

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836842-p0002-7



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836842-p0003-2

Nf. 85.
1.

J. JACOBI ZIMMERMANNI,

S. THEOLOGIÆ IN GYMNASIO TIGURINO PROFESSORIS,

REG. BORUSS. SOC. SCIENT. SODALIS

OPUSCULA

THEOLOGICI, HISTORICI ET PHILOSOPHICI ARGUMENTI.

TOMI PRIORIS

PARS I.



TIGURI,

TYPIS GESSNERIANIS.

AN. MDCCLI.

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

Viris plurimum Reverendis, Celeberrimis,
Amplissimis, Eruditissimis,

A. F. W. SACKIO, V. D. M.
Potentissimo & Sapientissimo Regi Borussiæ a Sacris.

S. PELLOUTIER, V. D. M.
& Bibliothecæ Regiæ Curatori.

J. FORMEY, V. D. M.
Philosophiæ Professori, & Societatis Regiæ Scientiarum Berolinensis Secretario perpetuo.

Primum hoc Volumen Opusculorum suorum
D. D. D.
AUCTOR.

NOn longe mihi sunt repetendæ rationes, Viri Præstantissimi, quibus commotus sum, ut primam hanc Opusculorum meorum partem Vobis publice consecrarem

Vestra enim potissimum Opera & Benevolentia factum est, ut ante aliquot annos, nihil tale cogitans, nedum meritus, in numerum Virorum, dignitate, Eruditione, & nobilitate præcellentissimorum, qui Societatem Regiam Scientiarum Borussicam exornant, receptus fuerim. Quo ipso singularem vestrum erga me Adfectum abunde satis demonstrastis. Quamvis enim forte non is ego sim, qui dignus fuerim, tam splendido Virorum doctissimorum & excellentissimorum choro adjungi; vestro tamen judicio, benevolentiaque conteſtati estis, Vos optime mihi cupere, & de qualicunque meo de Litteris bene merendi studio æquanimiter judicare. Æquissimum igitur est, ut publica grati animi testificatione pronam illam vestram in me voluntatem agnoscam, atque deprædicem. Vos insuper, Viri doctissimi, Auctores fuistis,

ut

ut opuſcula mea qualiacunque, hinc inde diſperſa colligerem & publicarem. Quod benevolum judicium veſtrum tantum in me ponderis habuit, ut poſthabitis variis rationibus, quæ me retrahere potuiſſent veſtræ ſententiæ album adjecerim calculum. Licet enim aliquando fieri ſoleat, ut Amici ſingulari affectu commoti nobis adblandiantur, nosque reddant ſecuros & audaces; perſuadere tamen mihi, quæ veſtra eſt erga me benevolentia, notaque Eruditio, non potui, Vos conſilium veſtrum mihi dare voluiſſe, Opuſcula hæc edendi, niſi cognitum perſpectumque Vobis fuiſſet, ea ad publicam privatamque utilitatem aliquid conferre poſſe. Hac ſpe fretus aliquid tentandum eſſe putavi, de ſucceſſu ſecurus. Vos denique reculam meam librariam, eruditiſſimis veſtris libellis exornare & adaugere ſoletis, atque adeo propenſam veſtram in me voluntatem

omni data occasione demonstratis. Hæc omnia ita sunt comparata, ut non possim non data hac opportuna occasione vestram erga me benevolentiam publice concelebrare. Amplissima hîc mihi data esset Eruditionem vestram & merita extollendi occasio. At præterquam quod mihi probe perspecta sit insignis vestra modestia, quæ virtutum omnium quidam vernix est; nolo ingenii mei culpa Virtutum vestrarum splendorem deterere & obfuscare, præsertim quod Eruditus Orbis dudum meritis vestris dignum posuit pretium. Verbum igitur non addo. Valete Viri Celeberrimi, atque porro mihi favete.

Dabam Tiguri d. 20. Septembris 1751.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

B. LECTORI SALUTEM.

ANimus non est B. Lector longo præfamine tua tempora morari. Paucis igitur, quæ mihi dicenda esse puto, complector verbis. In conspectum tuum prodeunt varii argumenti dissertationes, diversis temporibus a me scriptæ & editæ. Eas hinc inde sparsas in unum colligere & publicare volui: partim quod non incertis documentis edoctus sum, illas Theologiæ cultoribus placuisse; partim vero quod Eruditorum quorundam, quibus multum tribuo adhortamentis, ad id tentandum sæpissime sum invitatus. Ad rem ipsam quod spectat, omnia benevolo

tuo

ſubjicio judicio. Quod ſi hic vel illic torte errorem commiſi, humanitatis memor benigne eum interpretare, ejusque placidis verbis mihi oſtende fontem. Ego monitoribus non ſolum non ero aſper; ſed & non ſine gratæ mentis teſtificatione publicè errorem confitebor. Plura non addo. Hoc unum doleo, plures, quam par erat, irrepſiſſe errores typographicos. Extantiores Indici, quem Amicus quidam confecit, ſubjiciam: leviores ipſemet corriget B. Lector. Vale B. Lector, & de Conatibus meis judica benevole.



MEDITATIONIS
DE
CAUSIS, MAGIS MAGISQUE INVALESCENTIS
INCREDULITATIS,
ET MEDELA HUIC MALO ADHIBENDA.

PARS I.

Sect. I.

QUI ad præsentem, Reipublicæ Literariæ & Ecclesiasticæ statum, oculos mentis convertere, singulaque, quæ inter Eruditos aguntur, sollicite expendere solent, diversa de conditione ejus ferunt judicia. Sunt inter Eruditos, qui felicitatem Seculi nostri vix satis verbis extollere possunt. Scientiæ omnes, Sacræ præsertim, si illos audias, ætate nostra ad culmen suum pervenerunt, quod per partes eundo, docta oratione probare conantur. Disciplinæ (nimirum, ajunt) προπαιδευτικαι, quæ ad solidam rerum divinarum & humanarum cognitionem viam sternunt, a Viris doctissimis, incredibili cum diligentia, nec minore peritia in Academiis & Scholis docentur. Habemus Auctores Græcos & Latinos, non solum elegantissime, & emendatissime

Diversa de præsentis Reipublicæ Literariæ, & Ecclesiæ statu, Judicia.

tissime impressos, sed & eruditissimis Commentariis, notisque utilissimis instructos. Non desunt Viri Linguarum Orientalium notitia instructi, qui ad elucidandas S. Literas, omnem operam, atque diligentiam impendunt. Ars Critica, non solum in certas est redacta regulas, sed & iis feliciter utuntur artis hujus periti, ad optimos quosque scriptores explicandos & emendandos. Patrum scripta, nunquam tanta cum ἀκριβεια, ac id nostra factum ætate, sunt excussa. Incipiunt Viri Docti passim rectius de pretio horum scriptorum judicare, neque tam facile in transversum rapiuntur Patrum Auctoritate. In Anglia, Gallia, Italia, imo & in Germania nostra, antiquissima eorundem scriptorum Ecclesiasticorum monumenta, & fragmenta, ad disciplinam, consuetudinesque Veteris Ecclesiæ intelligendas multum lucis adferentia, e situ & squalore eruuntur. Philosophia, nobilissima scientia, (ita pergunt Viri Docti) certatim præsertim a Germanis nostris excolitur. Hæc autem ubi floret, fieri non potest, quin reliquis disciplinis, sacris præsertim, suus constet honos. Et ut propius ad disciplinas sanctiores accedamus, Interpretum S. Scripturæ, eorum præsertim, qui undiquaque collectis Philologiæ & Antiquitatis præsidiis, inusitata luce difficilia utriusque fœderis loca perfundunt, magna, & ingens est copia. Theologia ipsa, seu Systematica Religionem tradendi ratio, non solum ad accuratiores methodi leges est adstricta, sed & magis pura castaque enitet, postquam hinc inde, a tot scholæ terminis, & quæstiunculis parum profuturis est liberata, & purgata. Religio Christiana, Virorum Eruditissimorum, acutissimorum, & pientissimorum cura, tot gravissimis rationibus, est demonstrata, tantoque ingenii acumine Incredulorum rationes, & objectiones sunt excussæ ut, (nisi mens læva obstet) nemo non castissimæ, Sanctissimæque disciplinæ, admirabilem vim & præstantiam sentire possit. Controversiæ, majore cum modestia, quam Patrum nostrorum ætate, tractantur, & ad momentum earum sedulo attenditur. Passim etiam contemnuntur rigidi & morosi Theologi, qui omnes minutas opiniones in majus extollunt, nullumque inter leve & momentosum, discrimen facere possunt, vel volunt. Ethica Christiana, olim neglecta, vel scholasticis tricis involuta, in Academiis & Scholis, solerter traditur, ipsiusque Virtutis & pietatis, admirabilis pulchritudo a Viris Doctis & piis, magno studio delineatur, & inculcatur, cujus rei testes esse possunt tot in Germania nostra, ut de Anglis & Gallis nil dicam, de hoc argumento editi libri. Religioni (ita pergunt) Protestantium per insolitas Salisburgensium & Bohemorum conversiones, non

non solum magna facta est accessio sed & ad remotissimas Gentes, ad Garamanthas & Indos, ad gelidissimas Septentrionis Regiones, lucis divinæ radii penetrarunt, quod ex relationibus publice editis, non sine insigni gaudio & delectatione piæ mentes intelligere possunt. (*) Denique (ajunt,) si ad morum probitatem, rectique cultus Dei, & pietatis observantiam oculos mentis convertamus, fatendum esse, non deesse hinc inde pia pectora, ardente studio amoris DEI & Soteris nostri incensa, quæ quicquid possunt, ad aliorum salutem promovendam, conferant. Hinc tot Societates, in Anglia præsertim de promovenda Religione inter barbaras, & incultas Gentes; hinc tot seminaria Pietatis instituta, tot denique officinas bonarum artium, & disciplinarum, passim esse conditas. Atque ita quidem quidam Viri docti de Statu temporum nostrorum judicare solent.

II. Alii tamen, non minore sapientiæ & Eruditionis laude inclyti, existimant, ultra modum felicitatem temporum nostrorum hoc in negotio extolli. In quorum numero me etiam esse lubens fateor. Equidem injurii essemus, in O. M. Numinis singularem erga genus humanum, Ecclesiam præsertim Christianam, & cœtum purioribus sacris addictum, Benevolentiam: si non gratissima mente beneficia in nos collata, agnosceremus, atque publice fateremur, non sine ipsius auxilio tot Viros pietate, & Eruditione insignes passim in Academiis & Scholis hinc inde florere. Cum enim secundum *Socratem* nonnisi θεια quadam μοιρα viri boni & sapientes nascantur: vel ut rectius cum Apostolo Jacobo loquar, cum omne bonum opus, & donum mortalibus concessum, a Patre luminum sit: manifestum est, amplissimas nobis, si ad disciplinarum, sanctiorum præsertim progressus, totque Virorum ingenio & Eruditione præstantium labores, oculos animi convertimus, celebrandi Deum, subministrari causas atque occasiones (**). Neque

Quamvis oratio hæc sit honestissima neque negari omnia possint, non desint tamen qui putent ultra modum felicitatem temporum nostrorum extolli.

(*) Diligenter & erudite, quæ huc faciunt, collegit Cl. *Fabricius* ὁ Μακαριτης in Libro cui titulus: *Salutaris Lux Evangelii Toti orbi per divinam gratiam exoriens: sive notitia historico chronologica, Literaria, & Geographica, propagatorum per orbem totum Christianorum Sacrorum*; referri huc etiam meretur laude dignissimum Consilium Cl. *Callenbergii* nimirum revocandi ab erroribus Judæos & Muhamedanos, ut de Conatibus Comitis de Sinzendorf, de quibus diversa sunt judicia, nil dicam. Quæ hic, pro ea, quæ Theologum decet, modestia, de conatibus C. *Sinzendorfii* olim dixi, cum grano salis dijudicanda sunt; quandoquidem multis indiciis postea compertum est, disciplinam hujus cœtus, cujus Moderator est Illustris Vir, a doctrinæ christianæ simplicitate deviare & ad enthusiasmum & mysticismum valde inclinare.

(**) Cum mentionem injicio præclari hujus Loci Apostoli *Jacobi*, non possum me cohibere, quin egregia verba *Socratis*, Dei virtutes deprædicaturi, hic adducam. Extant ea apud *Xenoph.*

etiam tam iniqui ſumus Cenſores, ut exiſtimemus, ad felicitatem illam obtinendam, nonniſi Respublicas & Eccleſias requiri Platonicas, id eſt tales, in quibus cives omnes, ad ſapientiæ, Eruditionis, ac Virtutis exactam normam ſint examuſſitati. Bene memores ſumus illius prudentis dicti Antonini Philoſophi, Imperatoris, ſingulari Sapientiæ laude incluti, quod ita ſonat: τὴν πλάτωνος πολιτείαν μὴ ἔλπιζε, ἀλλὰ ἀρκοῦσί το βραχυτατον πρόεισι. Si ad diſciplinarum, ſublimiorum præſertim indolem reſpicimus, infinita prope ſunt, quæ nulla ingenii acie, nullo ſtudio, labore denique nullo, rite cognoſci poſſunt, neque unquam etiam dum in his terris, & in hac rerum caligine verſabimur, ad eorum notitiam perveniemus. Qui ab una parte ad rerum divinarum, & humanarum naturam, atque indolem; ab altera vero ad ingenii humani, facultatumque noſtrarum limites reſpicit, vel me tacente hoc ultro fatebitur. Non equidem tam mihi ſuffenus ſum, ut credam, me reſpectu omnium diſciplinarum, circa quas Virorum doctiſſimorum cura verſatur, perſpicue probare poſſe, quantum ſingulis ad perfectionis laudem deſit. Vix ætas, & ſtudium hominis etiam multum ingenio valentis, permittit, ut unam aliquam diſciplinam, ſingulasque ejus partes, rite habeat cognitas, atque perſpectas, nedum, ut de ſingulis accuratum ferre poſſit judicium. Quod ſi aliis cognoſcere hoc datum eſt, ſibi plaudant; ego paupertini ingenii homo, & heſternus Theologus, tantum mihi non ſumo. Forte quædam ad diſciplinas ſanctiores quod ſpectat, haud inutilia poſſem proferre in medium, atque oſtendere, quam multa ad illas plenius cognoſcendas, & tradendas, adhuc requirantur, quæque obſtent, quo minus accuratam harum rerum ſcientiam conſequi poſſimus; at ab aliis, quam a me mal parvo, hæc dici, & ingeminari malo. Hoc tamen non obſtante (ſalvo tamen meliore aliorum judicio) ſine ſuperbiæ nota dici poſſe exiſtimo, ultra modum extolli ſtatum præſentem Reipublicæ Literariæ & Eccleſiæ. Ad hoc probandum non opus eſt, ut quis ſingulas omnium diſciplinarum partes

Xenoph. Memorab. Socr. pag. 505. edit. Baſ. Sonant autem ita: Καὶ ὁ τον ὁλον κοσμον συνταττων τε καὶ συνεχων, ἐν ὠ παντα καλα καὶ ἀγαθα ἐςι, καὶ ἀει μεν χρωμενοις ἀτριβη τε καὶ ὑγιη καὶ ἀγηρατα παρεχων, θαττον δε νοιματος ἀναμαρτητως ὑπηρεθουντα. ὑτος τα μεγιςα μεν πραττων ὁραται, τοδε δε οἰκονομων, ἀορατος ἡμιν ἐςιν. i. e. Ille quoque qui totum orbem ordinat atque continet, in quo omnia honeſta, bonaque ſunt, quique cum ſemper eis utamur, ſemper nihilominus recentia, ſana, & immortalia ea nobis dat citius quam homo cogitet, & absque defectu nobis adminiſtrat, hic maxima quidem intelligitur operans, hoc vero totum gubernans inviſibilis nobis eſt.

tes habeat perspectas, sed ut ad finem duntaxat, scopum, atque usum Eruditionis, artiumque, ac disciplinarum, sanctiorum inprimis, animum convertat. Præcipuus, ni fallor, finis Literarum is est, ut quot quot iis cum cura vacant, insignem inde capiant utilitatem; ut omnes, maximi, medioxumi, minimi, per culturam disciplinarum quocunque tandem veniant nomine, fiant sapientiores, modestiores, virtutisque amantiores; ut ex universa Eruditorum vitæ ratione pateat, quantam, quamque incredibilem vim habeant disciplinæ & artes, ad perficiendam mentem, ad moderandos & edomandos pravos animi adfectus, ad sapienter, pie, & feliciter gubernandam Rempublicam, & Ecclesiam; ad proferendum denique & ampliandum Regnum sanctissimi Soteris nostri Jesu Christi. Hunc finem si non obtinent disciplinæ, si manifestum est, homines ætatis nostræ non magis esse Pios, modestos, pacificos, & sapientes, quam alios, qui superioribus seculis vixerant: ignoscent mihi Viri Doctissimi, si dicam, aut si hoc non licet, saltem tacite mecum cogitem, longe nos a felicitate temporum illorum, quam tantopere deprædicant, abesse. Fac enim multos esse, qui humanioribus & elegantioribus Literis, egregie sint exculti, sed eosdem simul ad præstanda humanitatis, & boni Viri officia, non magis esse paratos, quam quemlibet e Vulgo, certe parum proderit disciplinarum illarum cognitio. Fac te omnes Philosophiæ angulos perreptasse, universam ejus faciem animo esse complexum, & per concatenatam demonstrationis seriem, cunctas propositiones Systematis tui probare posse; simul vero esse Te Philosophum μέχρι τὲ λέγειν, ἀνευ τὲ πράττειν; Te in omni vitæ genere verum, rectumque non magis amare & curare, quam unum è multis; Te de DEO non magis magnifice sentire, non magis eum amare, colere, non magis ipsi confidere, non magis pro gloria ipsius promovenda esse sollicitum, uno verbo, Te non magis pium, castum, pacificum, & æquitatis amantem esse, quam cœteros, quid quæso tandem ad tuam, aliorumque salutem conferet, decantata illa, totque curis, Vigiliis, & meditationibus, acquisita philosophicarum disciplinarum cognitio? Fac Te Theologum esse, qui omnes systematis tui partes perspectas, & cognitas habeas: qui omnes præsentes, præteritas, & tantum non futuras controversias, non solum ad digitos referre, sed & singularum momentum expendere, errorum omnium fontes detegere, omnibusque a Te dissentientibus os obturare possis; deesse autem tibi simul veram pietatem; Te ne unam quidem de Vitiis, quibus deditus es, victoriam reportasse; vacuum te esse Theologia

gia illa Jacobi, quæ πρωτον μεν ἁγνη ἐστιν, ἐπειτα ειρηνικη, ἐπιεικης, ευπειθης, μεστη ἐλεους και καρπων ἀγαθων, ἀδιακριτος, και ἀνυποκριτος; Te contra morosum, superbum, avarum vel aliis pravis studiis esse captum, constrictumque, cui usui tandem erit omnis ille apparatus Theologicus? pone te omnibus illis præsidiis, quæ ab erudito S. Voluminum Interprete requiruntur, pulchre esse instructum, ad eruendos reconditos S. Literarum sensus, plurimum conferre, aliosque longe superare; impingere autem simul contra communissima Dei & Soteris nostri præcepta, quæ non minus rusticus quivis, quam tute intelligas, quam utilitatem tandem ex operosa illa & erudita, S. Literarum interpretatione, & cognitione percipies? De reliquis Eruditionis Theologicæ partibus, idem dici potest. Quod si ita ex usu, & finibus disciplinarum, de præstantia illarum judicium feras, nescio, annon multum decedat tantopere deprædicatæ temporum nostrorum felicitati. Ut autem cognoscamus, & probemus, pauciissimos veram utilitatem ex cultura Literarum percipere, non opus est, ut Rhetorum amplificationes in auxilium vocemus, sed jubeamus duntaxat quosvis in vitam humanam, tanquam in speculum inspicere, moresque hominum in eo, quo vivimus mundi angulo, ἀθεϱ παθων intueri, & res credo manifesta erit. Quis enim nescit, numerum eorum, qui vera pietate, Candore, æquitate, sinceritate &c. ornati sint, valde exiguum esse? quis non videt, raram esse in amicitia etiam doctissimorum fidem? Quis ignorat communia humanitatis & pietatis officia, promiscue pedibus conculari? Inter eos, qui sanctissimis amoris vinculis, constricti esse mutuo deberent, suspiciones, iras, atque inimicitias ali, plerosque commodis suis inservire, de Religione splendide loqui, at pessime vivere? Quid dicam de controversiis & litibus, quæ maximo fervore inter V. D. Ministros ab aliquot annis agitatæ sunt, & adhuc agitantur? Lege tu quisquis es, qui felicitatem temporum nostrorum tantopere deprædicas, quæ continuator Historiæ Ecclesiasticæ a Cl. *Heinsio* cœptæ ab anno duntaxat 1731. ad annum 1745. collegit, & obstupesces ubi videris, tantas inesse cœlestibus animis iras. Quot sunt adhuc inter ipsos Theologos Protestantes qui paci sacræ, Deo gratæ, Reipublicæ, & Ecclesiæ utilissimæ, pedibus manibusque obluctantur? Certe si præstantia seculi nostri in eo consisteret, quod multi Eruditorum ætatis nostræ, ad alios circumveniendos, & decipiendos; ad fraudes, & illicitas artes majori recti specie tegendas, & incrustandas, magis sint ingeniosi, & astuti, quam Majores nostri, non esset cur cuiquam de ea controversiam moveremus,

veremus. At nemo sanæ mentis, nedum pius, in eo seculi nostri felicitatem repositam esse contendet. Animus non est, degeneris Christianismi statum exaggerare. Interim etiam ea, quæ in oculos, sensusque incurrunt, salva conscientia, & fide, quæ probo cuique ineſſe debet, pariter negare non possumus. Quamdiu autem numerus vere piorum, cordatorum, DEUM, proximumque amantium, non erit major, quam nunc quidem est; Quamdiu plerique eorum, qui Eruditi apellantur, iisdem vitiis erunt immersi, quibus illi sunt, qui nullis tincti sunt Literis: Quamdiu Eruditio hæc tantopere deprædicata, non majorem in Ecclesiam, Rempublicam, omnesque vitæ conditiones & status diffundet utilitatem, causa non est, cur felicitatem Reipublicæ Literariæ & Ecclesiæ, miris modis extollamus. (*)

III. Quod si cui forte hæc, quæ hactenus adducta sunt, ad ostendendum, seculi nostri felicitatem tantam non esse, quantam quidem multi vellent, levia, aut non satis ponderosa videantur, en Argumentum omni exceptione majus, quo id probetur! petitum nempe, ex *crescentis indies magis atque magis, incredulitatis vitio*, quo prima Religionis Naturalis, & Revelatæ capita, voce & scriptis, impugnantur. Vitium hoc late grassari, & vires accepisse eundo, nemo, nisi, qui ea, quæ in Orbe Literato, & quotidiano hominum commercio aguntur, ignorat, diffiteri poterit. Notum est in Anglia, Gallia, Italia, Belgio, & in ipsa etiam nostra Germania, numerosum esse hominum, pessime de Religione sentientium, exercitum. Facile quidem concesserim, pauciores esse ex eo numero, qui ipsam Numinis existentiam in dubium vocent; ad hoc enim faciendum, rationi bellum apertum est indicendum. Interim ex Libello *Boulainvillierii Comitis*, in Belgio superiore anno edito, in quo *Spinozæ* obscura principia in clariore luce collocare, omniumque captui accomodare voluit, patet, ejusmodi homines non deesse, quibus ineptissima Athei hujus opinio arrideat. Nescio etiam, in quam Classem referam famosam quandam societatem hominum, quos Galli *des Franc Maçons* vocant. Quod si enim fundamentalis, & præcipuus Religionis horum hominum articulus is sit, quem Auctor *Mercurii Helvetici* perhibet, a *Spinozæ* sententia non recedere

Manifestissimum, sed simul etiam tristissimum degeneris Christianismi, & infelicitatis temporum nostrorum indicium est, crescentis indies magis Incredulitatis, vitium.

(*) Si quis forte existumet, me nimis tenuiter de statu Rei Literariæ, Sacræ præsertim, ætatis nostræ sentire, is audiat Virorum Eruditione non minus, quam pietate præstantissimorum editas de malis temporum nostrorum querelas & legat V. gr. *Viri pl. Venerandi Joh. Conradi Wirzii, Ecclesiarum Tigurinarum Antistitis Præstantissimi Vgilantissimique Orationem de Medicina corruptorum seculi morum: Excell. Pfaffii Dissert. de Vitiis eorum qui Sacris operantur; Pii, & Eximii Ostervaldi* utilissimum libellum cui titulus: *Sources de la Corruption qui regne aujourd'hui parmi les Chrétiens, ut alios taceam.*

cedere homines illi videntur. At cum varia sint Eruditorum de hac societate judicia, & nemini sine gravissimis, & evidentissimis rationibus, teterrimus Atheismi error sit exprobrandus, temere quicquam de illa pronunciare non licet. (*) Quicquid interim de eo sit, certum est, Deistarum, magnum esse nostra ætate hinc inde numerum. Patet hoc ex multis libellis, diverso idiomate editis. Utuntur autem *Increduli* ad opiniones suas in vulgus spargendas, aliisque commendandas, diversis methodis & artibus. *Quidam* aperto marte Religionis, vel omnis, vel præcipua saltem Theologiæ Naturalis, & Revelatæ Capita impugnant; noti sunt Labores *Spinozæ*, *Collini*, *Tolandi*, *Tyndalli*, *Edelmanni* aliorumque. *Alii Itineraria* varia fingunt, atque mentionem faciunt hominum variis argumentis Religionem Christianam impugnantium, quorum ratiunculis haud obscure album adjiciunt calculum. *Hîc* in scenam adducunt diversissimarum orbis sectarum homines, de rebus ad Religionem spectantibus inter se mutuo colloquentes, & disputantes, atque ita quidem, ut haud obscure pateat, eos, qui a Religione Christiana sunt alienissimi, victoriam reportare. *Illic* umbræ in campis Elysiis vagantes & per

- - - - - - - amæna vireta
fortunatorum nemorum, sedesque beatas
errantes, quanta

(*) Sonat autem ita; *Omnes res in mundo unam tantum conficiunt substantiam, sive hoc unum in omnibus partibus reperitur. Id quod omnia in omnibus vocatur Deus est, Ens nimirum æternum & sapientissimum. In hoc Uno vivimus, movemur & sumus. Per hoc omne singula sunt producta, & in hoc omne omnia tandem reverti debent. Hoc omne tandem fundamentum & finis omnium rerum est.* Nemo non videt, Universum systema *Spinozæ* in verbis illis latere. Habes unam substantiam, & quidem æternam, & infinitam; omnes partes hujus totius absolvunt unam tandem substantiam; in hoc toto, quod Deus vocatur, movemur & vivimus, quem locum Pauli ipse Spinoza *Epist. XXI.* ad monstrosam suam sententiam probandam adduxit; Ex hoc uno oriuntur omnia, nimirum non creatione sed necessaria emanatione, & in hoc omne cuncta redeunt per necessarias nimirum partium revolutiones; Hoc unum sapientissimum dicitur, eo nimirum sensu, quod cum infinita cogitatio attributum sit hujus unius substantiæ, atque per omnes totius Universitatis partes aliquid sit, quod cogitat, & sapit, nimirum mentes nostræ ceu modificationes attributi infiniti cogitantis, hinc Omne illud, seu totum sapiens Atheis dicitur. Cum autem anno proxime elapso libellum sub hoc titulo editum viderem: Gründliche Nachricht von den FREY-MAURERN nebst angehängter Historischen Schutz-Schrift, illum evolvi & pag. 104. libelli propositiones in Mercurio recensitas deprehendi. Sunt hinc inde in hoc libello vestigia ex quibus colligi potest, homines a sententiis illis non esse alienos: ita pag. 109. narratur, sapientes esse, qui cum discipulis *Epicuri* dicere possint:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas
Atque metus omnes & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

Hunc versiculum *Collinus* inter τας κυριας δοξας, & præcepta sapientiæ *libere Cogitantium* posuit. Confer item quæ pag. 122. hujus libelli, & *sq.* dicuntur, eaque cum iis confer, quæ *Bibl. Angl.* Tom. VII. de *Tolandi Pantheistico* referuntur.

quanta sub nocte jacuerint nostri in his terris dies, quamque siniſtræ sint mortalium in terris degentium, de Religione opiniones gravi oratione ediſſerunt. Mox iidem erudite, & prolixe ediſſerunt, quantum superſtitio, ſacerdotes præſertim, generi humano attulerint damni: ſed ita cuncta inflectunt, ut omnes, qui naſum habent, olfaciant, eos cum ſuperſtitione, omnem Religionem funditus evertere velle, (*) Rurſus alii, honeſtiſſimam induentes perſonam, conqueruntur de multitudine controverſiarum, quæ Orbem Chriſtianum tantum non obruant, docteque oſtendunt, quam frequenter acerrime de rebus nullius momenti ſit diſputatum: quantæ fuerint animis cœleſtibus iræ: quam innumera mala ex hac intempeſtiva de Rebus ad Religionem ſpectantibus diſputandi prurigine, enata ſint: ad finem tamen orationis ſpecioſæ, animis Lectorum, ut putant, ſatis contra Theologos quosvis, eorumque certamina præparatis, ita de controverſiis omnibus Religionis diſſerunt, ut omnes ejusdem, id eſt, nullius plane momenti & pretii eſſe, haud obſcure probare voluiſſe conſtet. Quidam miſericordia quaſi & amore generis humani tacti, omnia ad emendandum genus humanum de novo eſſe tentanda, ingeminant, excolenda igitur rectius, eſſe Religionis Chriſtianæ præcepta, majori argumentorum pondere ea eſſe tradenda, & inculcanda, his rite inculcatis, homines meliores fieri, non vero profeſſione neſcio quarum obſcurarum propoſitionum; detracturi nempe hac rationi iis, quæ Religio Chriſtiana de Myſteriis & Miraculis tradit, omnem fidem. Rurſus alii, ut animos hominum a Chriſtiana Religione reddant alienos, mores & conſuetudines, præceptaque cujusdam gentis, v. gr. *Spartanæ*, multa ſolicitudine & cura, ſed contra omnes hiſtoriæ & veritatis leges enarrantes, Auctorem Religionis Chriſtianæ diviniſſimum Jeſum Chriſtum, cum gentis illius Legislatoribus, *Lycurgo* v. gr., præceptaque Religionis Chriſtianæ & virtutes Chriſtianorum, cum Legibus, & virtutibus *Spartanorum* contendere nulla ratione poſſe, ineptiſſime & impudentiſſime perſuadere mortalibus volunt. (**) Non deſunt etiam, qui, ut Religionem Chriſtianam, a maleferiatis hominibus excogitatam eſſe probent, diſcipulos Jeſu Chriſti pro hominibus callidiſſimis, acutiſſimis, & ad omnem

 frau-

(*) Nunquam magis ſibi plaudunt *Increduli* atque inepte exultant, quam ubi in Sacri ordinis Viros impudenter invehendi occaſionem habent, vel quærunt. Eminent hîc Illuſtr. *Schaftsburius*, *Collinus*, *Tolandus*, *Mandeville*, *Radicati*, *Edelmannus* ut alios taceam.

(**) Non minus arroganter, quam impudenter hoc probare aggreſſus eſt Alb. Radicati Comes de Paſſeran in Opuſc. Rotterdami A. 1736. in 8. editis.

fraudem moliendam, fabulamque ingenioſe excogitandam, aptiſſimis habendos eſſe velint. Alii vero in contraria omnia eunt, ſed eundem tendentes ad finem, ita abjecte de iis ſentiunt, eos ita bardos & inepte credulos fuiſſe perſuadere volunt, ut vix ſenſum communem illis relinquant. Sunt denique ex hac turba, inter quos, caput extulit *Collinus*, qui libertatem conſcientiæ gravibus probant argumentis, quantamque ad proferendas divinas & humanas Literas hæc Libertas ponderis, quantum detrimenti ſuperſtitioni & Tyranidi contra adferat, eleganter oſtendunt. Dum autem inductione hominum abjectiſſime & ſtultiſſime de Religione ſentientium, hanc libertatem probare volunt, ſatis ſuperque oſtendunt, libere cogitare, & divina humanaque promiſcue habere, in hominum illorum ore, unum idemque eſſe. Et quis omnes μεθοδείας horum hominum enarrare poterit? (*) Quod ſi homines illi argumentis duntaxat, eaque, quæ inter Eruditos locum habere debet, modeſtia, pugnarent, ferri adhuc poſſent; facile enim concipi poteſt, quomodo homines variis rationibus, in ejusmodi opiniones & errores incidere poſſint: neque pro crimine haberi debet, ſi quis amore inquirendi veri inductus, dubia ſua cum Eruditis communicat. Modeſtia ſaltem, in omnibus, præſertim, ubi de ſanctiſſimis rebus agitur, eſt laudanda. At eheu multi *Incredulorum*, inſana quadam mentis cœcitate abrepti, acerbis facetiis, & magna impudentia, ſanctiſſima quæque impuro ore allatrant, exiſtimantes forſan, riſus & cachinnos, audaciæ ſuæ magnum & incredibile pondus allaturos; in quo tamen maxime falluntur. homines equidem rudes, & ad omnem opinionem impiam, ſæpiſſimeque ſtultam arripiendam proclives decipiunt ſæpe: Doctis, qui rationum duntaxat pondere ad aliquid vel amplectendum, vel rejiciendum moventur, ſunt deriſui. At nec docti ſaltem & diſciplinis exculti *Increduli*, hoc morbo laborare ſolent, ſed peſtis hæc omnem ætatem, & ſexum, omnis vitæ conditiones & ſtatus corripuit. Adoleſcentes, nullis ſæpe literis tincti, nullis ad recte ratiocinandum præſidiis muniti, atque vel ipſorum Religionis principiorum rudes, ſingularem voluptatem capiunt, in perſtringendis rebus ſanctiſſimis, & omnium ſapientum judicio, attentione digniſſimis. Lectitarunt nimirum hi homines, ad unguem facti, muſteos quosdam libellos, in quibus Religio non argumentis, ſed convitiis acerbis impugna-

(*) Conſer cum his noſtris ea, quæ de variis Incredulorum Religionem impugnandi artibus more ſuo, id eſt erudite & ſolide commentatur *Excellentiſſimus Mosheimius* magnum Literati Orbis Ornamentum in *Eth. Chriſt.* Part. I. pag. 523. ſq. adde quæ Tom. II. operis eximii contra *Radicati* diſputat.

pugnatur, sanctissimique viri aceto perfunduntur Italico. Lectis egregiis hisce opusculis, acutissimum, & ingeniosissimum ejus Auctorem esse, non sine supercilio clamant. Recentissimo hoc Auctoris libelli, cui titulus est; *Les Princesses Malabares*, constat exemplo. Auctor hujus sacri libelli nullis argumentis instructus, non solum impudentissime in Legatos DEI invehitur, sed & sanctissima quæque ferreo ore impugnat. Certe, si ea, qua sanctissimum Virum, *Mosen*, calumniandi impudentia aggressus est Auctor, sufficiunt, ad probandum, eum Impostorem fuisse, facile erit eodem argumento probare, *Grotium*, *Newtonum*, *Leibnizium*, aliosque viros omnium judicio eruditissimos, homines fuisse, imperitos plane & Literarum omnium rudes. Hic ipse tamen futilis libellus, ab Adolescentibus Religionis sanctissimæ & optimarum artium ac disciplinarum parum gnaris, maximo cum desiderio fuit emptus, lectus, in familiaribus sociorum colloquiis fragmenta inusitatæ sapientiæ in medium prolata. Ipsæ quinetiam Puellæ molles & delicatæ, otio non labori adsuetæ, atque vix præcepta Catechismi rite edoctæ, libellos ejusmodi studiose conquirere & lectitare solent, forte, ne cum colloquiis eruditi Gregis intersunt, loquacitate a Viris, quorum sæpe

nondum prima genas vestivit flore juventa

superentur.

Sed pergo ad alios. Inter eos, qui Aulas Principum sectantur magnum ejusmodi hominum numerum esse, dudum pervulgatus rumor est. Cum enim illi quavis arte, ad dignitates & ad divitias grassari velint, nec tamen salva semper id pietate fieri possit, Religio sæpius pedibus est conculcanda, aut ea pro instrumento duntaxat, vel arte Politica est habenda, ut ad finem, quem intendunt, perveniant. Hæc alii passim videntes, & iisdem studiis incensi credendum esse in Religionis negotio sapienti Viro, quod e re sua esse perspexerit, colligunt. Nec hi tantum, sed & triobolares homines, artem manuariam professi, Religionem sæpissime, si non argumentis, quod ob ingenii tarditatem, & turpem rerum divinarum ignorantiam, facere non possunt, convitiis tamen adoriuntur, non quod sciant, quid sit Religio, sed quod stulte putent, effrenem de rebus sanctissimis audaciam loquendi, Sapientiæ signum esse; Res certe apud quosdam eo est redacta, ut *Juvenalis* illud sibi dictum putent.

Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum
Si vis esse aliquis: Probitas laudatur & alget.

In genere de morbo hoc loquendo, invaluit certe, infelici hoc ævo nostro, stulta opinio, eos demum ingeniosos & eruditos esse, verumque & rebus & Literis pretium ponere, qui existument, perinde esse, quamcunque tuearis de Religione opinionem, Nervosque atque artus sapientiæ esse, de rebus ad Religionem spectantibus, utramque in partem disputare. Jocus aliquis frigidus, sale & sensu sæpe destitutus, modo Religionem pungat, prudens dictum est. Indoctissimus aliquando homo, in quo præter formam & liberalem faciem nemo bonus quicquam laudavit unquam, dummodo illoto ore de sanctissimis rebus garriat, multis Religionis Irrisoribus, elegantis & acuti ingenii vir est. Qui artem hanc ignorat, & verum a falso discernendum esse solicite ingeminat, modumque in rebus tenendum esse existimat, bonus homo est, aut inepte credulus.

Infestum est hoc malum, felicitati generis humani, multumque progressui veræ Religionis officit.

IV. Quin autem vitium hoc seculi nostri epidemicum, non solum progressui castissimæ Religionis, sed & felicitati humani generis multum officiat, nemo, cui probitas cordi est, diffitebitur. Cum enim vera Religio nil aliud præcipiat & injungat, quam ut vitam nostram ad S. Numinis voluntatem componamus; cum frænum injiciat pravis animi cupiditatibus; cum argumenta & incitamenta, ad omnis generis virtutes exercendas adferat gravissima; cum denique ad internam & externam nostram felicitatem promovendam, natura sua comparata sit: facile est judicare, homines præsidiis hisce destitutos, ad suam, aliorumque felicitatem promovendam minus habiles & paratos esse futuros. Scio non omnes promiscue errores bonis moribus & Reipublicæ nocere; Improbo eos, qui ob qualemcunque in Religionis negotio dissensum, tragicis clamoribus omnia implent; haud ignoro, vitia magis officere saluti Reipublicæ, quam errores. At de hoc jam non agitur: quæritur duntaxat, utrum homines, de Religionis Naturalis & Revelatæ divina origine persuasi, ad exercendam virtutem & pietatem, Virique boni & ingenui civis officia præstanda, non magis apti sint, quam alii, qui capitalia hæc Religionis Capita in dubium vocant. Atque hoc omnes, quotquot ad actiones hominum, eorumque agendi principia & incitamenta, probe attendunt, affirmaturos credo. Cum *Increduli* ex eodem luto, ex quo cæteri homines conflati sunt, constent; cum æque ac cæteri mortales, omnibus illis casibus, quibus homines a vero rectoque retrahi possunt, expositi sint, palam est, Eos, quos Numinis tangit Reverentia, quique tot ad recte agendum sunt instructi præsidiis, & incitamentis, cæteris paribus, ad resisten-

resistendum pravis animi cupiditatibus, longe magis aptos futuros esse, quoniam præter metum pœnarum, laudem bonæ existumationis, studium felicitatem nostram promovendi, & quæ alia, præter Religionem, homines in officio continere possunt, accedit, certissima illa & altissime animo infixa persuasio, DEUM, pro transactæ vitæ ratione, cum mortalibus post hanc vitam esse acturum, piosque per interminabilem æternitatem singulari DEI Favore esse fruituros, malos vero gravissimis subjectum iri pœnis. Scio, quid dicturi sint *Increduli*. Contendent, homines non semper suis convenienter principiis agere, neque adeo sequi, eos, qui Religionis capita principalia impugnant, aut de eorum veritate dubitant, in omne nefas ruituros. Neque ego adfirmarim, *Incredulos* semper frœnum desideriis suis laxaturos. Scio multa esse, ut jam dixi, quæ eos in officio continere possunt. Iidem tamen, si verum dicere velint, concedent, difficillimum esse, naturam subigere, domare æstuantes animi affectus, longaque exercitatione opus esse ad compescendas pravas animi cupiditates, atque ad hunc denique sapientiæ, atque continentiæ gradum, pauciſſimos mortalium pervenire; Concedent insuper, si veritas ipsis curæ cordique est, accedente ad omnia illa externa, quæ homines, ut dixi, in officio continere possunt, firmissima persuasione, de Numinis voluntate, Remuneratione, & pœnis post hanc vitam expectandis, majoribus stimulis ad recte agendum homines iri compulsum. Atque hoc unum est, quod volumus. Neque enim induci possum, ut credam, ipsos, quibuscum jam nobis res est, asserturos, argumenta a Religione petita, & alte animis infixa, nil quicquam ad dirigendas & moderandas animi inclinationes conferre posse: cum ipsorum *Incredulorum* confessione, ipsa *superstitio* in animos hominum, moresque plurimum valeat. Quod si Religio, ut nos contendimus, certis est superstructa fundamentis: Si hæc principia alte ad animum revocata, homo quotidie expendere debet: Si incitamenta denique Religionis voluntatem hominis inclinare possunt: manifestum est, Religionem ad moderandas animi adfectiones, ad compescenda prava mentium desideria, plus valere, quam temperamentum solum, aut metum pœnæ, aliaque externa, quibus hominum mores flectuntur. Ponamus duos *Incredulos*, iisdem animi adfectionibus, v. gr. voluptatibus deditos: fac eosdem amore sanitatis, studii famæ, atque tranquillitatis conservandæ inductos, impotentibus animi desideriis resistere, modum involuptatibus tenere, atque his, aliisque rationibus & auxiliis, hactenus impediri, quo minus cupiditatibus, ad quas ex-

plendas natura ſtimulat, ſatisfaciant. Quamvis paucos numero ita ſibi temperaturos crediderim, concedam tamen. Ponamus vero, alterutrum horum accurato Religionis examine inſtituto deprehendere, non ſolum dari Numen ſupremum, ſapientiſſimum, optimum, & potentiſſimum totius rerum Univerſitatis Moderatorem, ſed Eundem etiam humano generi dediſſe leges æquiſſimas, in natura humana radicatas, quarum obſervantia homines reddat felices; Eum innumeris beneficiis genus humanum adficere, mentesque amore ſui tactas & ſanctiſſimorum ſuorum præceptorum memores, poſt mortem æternæ felicitatis participes facturum, malos vero pro ſcelerum gravitate ſeveriſſimis pœnis ſubjecturum. Eundem Optimum atque ſanctiſſimum Deum, amore generis humani compulſum, voluntatis ſuæ decreta per viros fide dignos hominibus patefeciſſe, eademque ſtupendis miraculis, ut fidem faceret digniſſimis Legatis, confirmaſſe, imò *Soterem*, ad homines ab erroribus & peccatis revocandos, & felices reddendos, in terram miſiſſe, ut reliqua Decreta R. Chriſtianæ, utpote ſatis nota, jam quidem ſilentio tranſeam; fac inquam hominem illum, ſingula hæc Religionis principia & præcepta non ſolum intelligere, iis fidem habere, eaque conſiderare tanquam veritates ſublimes & attentione dignas, ſed & eadem altiſſime in animum demittere, ea firmiter credere, & vi tandem hujus perſuaſionis, eum compelli, ut fateatur, hanc Religionem non ſolum eſſe veriſſimam rationique convenientiſſimam, ſed & neceſſe eſſe, ut omnes ſuas actiones in poſterum ad voluntatem Optimi Numinis componat; Hoc poſito, provoco ad omnium, quotquot rem quamque ſuo pretio æſtimare ſolent, conſcientiam, utrum homo iſte, ad omnis generis officia præſtanda, non magis futurus ſit aptus, quam antea, ubi externis duntaxat quibusdam incitamentis inductus, a malo abſterrebatur. Neque juvat *Incredulos* dicere, pauciſſimos eorum, qui Religioni Chriſtianæ nomen dederint, vitam ſuam, moresque, ad ipſius Religionis decreta componere. Fatemur equidem numerum ejusmodi hominum magnum non eſſe; fatemur multos per omnem vitam nunquam fundamenta Religionis, cui ſeſe addictos eſſe profitentur, examinaſſe; Fatemur, multos ſectæ, ad quam veluti tempeſtate delati ſunt, tanquam ſaxo adhærere; Fatemur multos exiſtimare, ſummam Religionis in eo poſitam eſſe, ſi fortiter ac acriter pro ſingulis ejus ſententiis & decretis, licet minoris etiam ſint momenti, decertare, docte de ea diſſerere, diſſentientes cum fervore impugnare, externoque cultu ſingulari cum ſtudio defungi poſſint.

Hæc

Hæc omnia lubentes fatemur & dolemus. At quid inde lucrantur *Increduli*? Num inde ergo per legitimas consequentiæ leges sequitur; Ergo Religio Christiana nullam habet ad homines a malo revocandos vim, & efficaciam? Ergo vana sunt omnia argumenta & incitamenta, quibus virtutem commendat? Sane hoc idem esset, ac si quis propter calculos male a Mathematico subductos, colligeret, Arithmeticæ præcepta nullis certis fundamentis esse superstructa; autsi quis ex moribus solutis quorundam Civium inferret, leges Reipublicæ, in qua homines illi degunt, plane esse præposteras & impias, vel saltem ad salutem civium promovendam prorsus ineptas. Ipsi *Increduli*, ubi principia actionum, quibus ad agendum moventur, impugnamus & asserimus, negatis Religionis Naturalis & Revelatæ capitibus primariis, vix aliquod ita contra vim pravarum animi cupiditatum, relictum esse repagulum, fierique adeo aliter non posse, quam ut frequentissime in quævis scelera & peccata ruant, Ipsi, inquam, *Increduli* respondere solent: Homines non semper agere convenienter suis principiis; applicent hæc ad doctrinæ Christianæ professionem, & responsum ipsi dabunt ad hanc objectionem, Causam nempe præcipuam, quod Christiani vitam agant a præceptis Religionis suæ adeo alienam, in eo potissimum esse quærendam, quod nimirum hæc principia sibi cottidie in memoriam non revocent eaque sequantur. (*) Quod si vero ab una parte, ipsorum *Incredulorum* confessione, homines frequentissime a principiis suarum actionum deflectunt, & ab altera parte illi ipsi, qui sanctissimæ Religionis Præceptis sunt imbuti, de eorumque veritate & divina origine sunt persuasi, cottidie sentiant, quanta solicitudine, circumspectione, animi alacritate, & precibus denique opus sit, ad pravos animi impetus, & habitus longa consuetudine confirmatos reprimendos, ignoscent nobis, si putemus, homines tot præsidiis nudatos, totque gravibus argumentis & incitamentis ad virtutem & pietatem amandam destitutos, frequentissime pravis animi desideriis satisfacturos. Neque opponant nobis *Increduli*, nescio quam *Sinensium*, gentis, ut putant prudentissimæ, *Theologiam*, nullis ideis & principiis attributorum divinorum, vel Voluntatis Numinis, sed ordinis duntaxat, & moralitatis intrinsecæ actionum persuasione innixam; Præterquam enim quod omnia, quæ de hisce Theologiæ vel Philosophiæ principiis dicun-

(*) Cur Incitamenta Religionis Christianæ, non plus efficaciæ habeant inter Christianos solide præter alios ostendit Excellentissimus Basileensium Theologus Sam. *Werenfelsius*, *grande Helvetiæ nostræ Decus*, Oper. editorum pag. 145. sq.

dicuntur, incertissima sint, & Virorum doctissimorum testimoniis longe diversissimis incerta reddantur, provocamus ad omnia illa argumenta, quæ ab indole, natura, & incitamentis Religionis Christianæ petuntur, ad probandum, Religionem Christianam, ad veram hominum felicitatem promovendam, esse longe aptiorem, quam Theologiam, (si quidem hoc nomine dignæ sunt opiniones nullis virtutis, & Numinis reverentiæ fundamentis superstructæ,) hisce omnibus nudatam. Quid? quod ipsi illi viri docti, qui tam magnifice de Theologia illa morali *Sinensium* sentiunt, fateantur, Religionem, quæ attributorum divinorum, Numinisque voluntate innititur, qualis Christianorum est, perfectiorem esse ea, quæ hisce præsidiis caret. (*)

Huic malo obviam eundum, ita tamen ut mediis utamur licitis duntaxat, & malo huic imminuendo, & tollendo, aptis.

V. Cum ex dictis constet, malum illud non solum longe, lateque serpere, sed & progressui veræ Pietatis, atque saluti generis humani, haud parum officere: omnium, qui veritatis & Pietatis amantes sunt, Eorum præsertim, qui solida Eruditione, & disciplinis sublimioribus instructi sunt, officium est, dispicere, qua ratione, malum illud, si non penitus, (quod nulla cum veri specie sperari potest) tolli, imminui saltem, atque repelli possit. Licet autem in eo omnes boni, atque Eruditi, facile consentiant, nimirum omnes ingenii vires, ad reprimendum hoc malum esse impendendas, ubi ad rem ipsam seu modum malo occurrendi deventum est, in diversa abeunt. Sunt nimirum qui putent ejusmodi libellos, qui Religionem impugnant, in ipso partu esse supprimendos, vel si in publicam lucem edantur, Vulcano sine mora esse tradendos; Auctores ipsos, confestim, vel in perpetuos carceres esse compingendos, vel ad rogum ducendos. Abstinendum simul esse a lectione & refutatione talium scriptorum: cum enim generalia Religionis Naturalis & Revelatæ capita communi Christianorum consensu sint admissa, non opus esse, ut in his articulis confirmandis & tuendis sine necessitate desudent Viri Docti; varia esse insuper hominum ingenia; multos lectione refutationis ad ipsorum *Incredu-*

(*) Quam incerta sint omnia, quæ de Theologia Sinensium dicuntur patet ex iis, quæ nostra ætate scripserunt V. D. v. gr. *Turnemine* in præfatione libello Archi-Episcopi Cameracensis *Fenelonii* de existentia Dei præmissa. Cl. *Kortholtus* passim in Epistolis Leibnitianis, Cl. *Brukerus* noster Hist Philosoph. Tom. VII Excellentissimus *Mosheimius* Eth. Christian. Tom. II. aliique plures. Ipse Illustris Christ. *Wolfius* Philosophorum ætatis nostræ facile Princeps, licet magnifice satis de Philosophia *Sinensium* practica sentiat, passim tamen in *Oratione* publica de hoc argumento edita fatetur, Theologiam Moralem Christianorum excellentiorem esse Theologia Naturali; Hanc vero, quæ cognitione Numinis, & attributorum ejus superstructa est, præferendam esse Ethicæ *Sinensium*. Vide passim notas Orationi adspersas.

Incredulorum libros evolvendos allici; homines niti in vetitum: experientiam testari, post tot nostro seculo editas pro Religionis Christianæ veritate Apologias, malum hoc non repressum, nedum sublatum, sed potius auctum esse; præstare igitur, si quosvis moneamus, ut ab ejusmodi lectione librorum sibi caveant, eos contra hortemur, ut Religioni Christianæ, & elicitis inde consectariis, fidem habeant, neque de repellendis *Incredulorum* difficultatibus admodum sint soliciti &c. &c. Ita quidam bono animo differere solent, de quibus, antequam ulterius progrediamur, aliquid monendum est. Et (1.) quidem optandum esset quam maxime, ut qui ad scribendos & edendos libros animum adjungunt, nonnisi bonæ frugis pleniſſima, id est promovendæ Virtuti & pietati, omniumque saluti inservitura in medium proferrent; Optandum ut non solum illi libri, qui capitalibus Religionis Capitibus bellum indicunt, sed & qui bonis moribus nocent, juvenesque, quorum animi ceræ ad instar molles, & ad prava animi desideria explenda inclinatissimi sunt, corrumpunt, in ipso partu suffocarentur; at cum hoc nunquam in tanto luxuriantium ingeniorum, quibus Orbis Literatus repletus est, numero, sperari possit, paucique admodum sint, qui cum animum ad scribendum adpellunt, de gloria DEI, veraque virtute hominum promovenda soliciti sint, videndum, qua ratione arte emendetur, quod prorsus impediri non potest. Frustra certe disputatur, quomodo editiones ejusmodi librorum impediri, multo magis, postquam editi sunt, lectio prohiberi possit. Apud nos quidem legibus publicis satis cautum est, ne ejusmodi libri edantur; at cum nullum jus in alias Gentes habeamus, impedire non possumus, quo minus etiam ad nos deferantur. Notum est in *Anglia*, *Belgio*, & alibi non obstantibus Imperantium decretis & censuris, scripta ejusmodi prelis committi, & habendi cupiditatem, qua ardent multi Typographorum, omnes Censorum curas eludere. Ne ipsi quidem sacri illius Tribunalis, quod *Inquisitionis* nomine venit Præsides & Defensores, impedire possunt, quo minus *Incredulorum* & *Protestantium* libri, passim emantur, & legantur: quomodo ergo à cœtibus Protestantium, in quibus major viget libertas, libelli ejusmodi prorsus possent arceri, non video. (2.) Non multum etiam soliciti erimus de pœnis, quibus affici possent editores, & auctores hujusmodi libellorum, cum nos hoc duntaxat agamus, ut veritatem in tuto collocemus, & ex mentibus falsis opinionibus delusis & captis, pestilentes errores evellamus. Considerandi nobis videntur ejusmodi libellorum Auctores, tan-

quam homines animo ægri: at medicus ægros non flagris cœdit, sed medicinam adfert, quæ malum radicitus tollere possit. Neque scio, utrum Religioni Christianæ bene consulant, qui suadent, ut omnes, qui Religionis Christianæ principia impugnant, gravissimis subjiciantur pœnis. Loquor autem, quod *probe observandum*, de iis, qui rationibus duntaxat & argumentis, in veritates, communi alias consensu receptas, inquirunt, dubiaque sua, cum Eruditis, ea, qua par est modestia, communicant. Argumentorum loco, iis, qui aliter sentiunt, *Augustini*, Viri ejusmodi hominum generi, quocum nobis res est, gratissimi, adponam verba, qui contra *Manichæi*, *quam vocant fundamenti*, *Cap. II. Tom. VIII. Et Bened. Col. 151.* ita loquitur. *Illi in vos sæviant, qui nesciunt, cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quam rarum, & arduum sit, carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri solem suum. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quibus suspiriis & gemitibus fiat, ut ex quantacunque parte possit intelligi DEUS; Postremo illi in vos sæviant, qui nunquam tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident.* (3.) Quando dicitur, ejusmodi libellos, neque legi, neque refelli oportere, quoniam principia Religionis Christianæ communiter sint recepta, firmissimisque principiis superstructa, cum discrrmine ad hoc respondendum est. Non quæritur, utrum lectio ejusmodi librorum promiscue omnibus sit commendanda. Nemo ita desipit, ut hoc suadeat. Fatemur enim, lectionem ejusmodi librorum, multos non satis in disciplinis sublimioribus, & arte cogitandi exercitatos, in gravissimos conjecisse errores; Imo ejusmodi lectionem, ut in sequentibus probabimus, inter *crescentis Inccedulitatis* causas referimus. Sed de hoc quæstio est: Utrum nempe ejusmodi libri, ne ab iis quidem, qui in disciplinis Philosophicis & Theologicis sunt exercitati satis, quique omnium Judicio, momenta objectionum expendere possunt, non sint legendi, aut publice refutandi. Atque hoc non solum fieri posse, sed & Doctorum publicorum officium esse, ut errores pestilentes, & saluti hominum nocituros, gravibus impugnent & convellant argumentis, adserimus. At hi articuli, (inquis) quos *Increduli* impugnant, omnium consensu sunt recepti, firmisque fundamentis innixi. Non nego: sed an inde sequitur, ergo ipsa veritas non est vindicanda? Sane videor mihi audire hominem *Romanensium* sacris addictum, contra lectionem librorum a Reformatis editorum, vel eo

nomine

nomine detonare, quod nempe Una, Sancta, & Catholica Ecclesia, jam diu quid falsum, verumque sit, quid credendum, quid non credendum publicis decretis manifestum fecerit; temerarios igitur esse, superbos, imo sceleratos homines, qui post tot infallibilia decreta sanctissimæ matris Ecclesiæ, articulos evidentissimos & certissimos, examini submittere, eumque in finem etiam Reformatorum libros evolvere velint. Quid quæso ad ejusmodi Orationem dicerent homines sacris nostris addicti? An non clamarent, peccare ejusmodi hominem Pontificium contra regulam Logicorum, quæ vetat, το ἐν ἀρχῃ λαμβανειν? An non ingeminarent, homines Romanensium Religioni addictos, & librorum nostrorum lectioni vacantes, extra periculum erroris futuros, si tam evidentibus, tam solidis, & tam immotis rationibus, sit superstructa fides Catholica? Scio maximum esse discrimen, inter decreta ipsius Religionis Christianæ, & inter opiniones, quas tuetur Ecclesia Romana: sed de hoc non agitur; quæritur duntaxat, utrum in argumento eorum, qui Examen librorum *Incredulorum* ideo proscribunt, quod veritas Religionis Christianæ satis sit probata, non eadem sit, ἀσυλλογισία, quæ est in argumentatione Doctoris Pontificii, lectionem librorum Protestantium eo nomine proscribentis, quod Religio Catholica satis sit probata? certe in methodo ratiocinandi discrimen nullum est. Et quid quæso obstat, quo minus Viri docti, sanctissimæ Religionis causam publice contra *Incredulorum* objectiones tueantur? Num licebit *Incredulis* impune sanctissima quæque impugnare, veri rectique amantibus Eadem defendere non item? Vera est Religio Christiana, fateor, certisque fundamentis superstructa. At num omnes, qui Christiani vocantur, de ea sunt persuasi convictique? O quam vellemus hoc verum esse! Quam vellemus, ut plerique Christianorum, imo omnes, non tantum possent sonos Doctorum suorum repetere, sed gravissimis potius rationibus, fidei suæ rationes reddere! Quam vellem, *ut Incredulorum* objectiones sine labore dispellere possint! At cum hoc non sit, & contra vero pateat, multos sine examine Articulos Religionis admisisse, efficiendum est Doctoribus publicis, ut divinam Originem Religionis Christianæ, sine qua persuasione nemo jure Christianus appellari potest, evidentissimis, gravissimisque argumentis, omni data occasione probent, & *Incredulorum* errores, veritati & pietati insidias struentes, convellant; Verbo: aut dicendum, Religionis Christianæ decreta rectæ rationis principiis esse contraria, omni fundamento destituta, & ad sustinendas *Incredulorum* objectio-

jectiones plane non suffectura; aut ab altera parte adserendum, Ea certis Principiis esse innixa, & contra omnes *Incredulorum* insultus, si recte defendantur, satis munita, atque ejus denique naturæ, ut quosvis nullis siniſtris opinionibus, & pravis cupiditatibus captos, in adsensum rapere possint. *Prius* nemo sanæ mentis dixerit. Hoc enim esset *Incredulis* herbam porrigere, atque confiteri, Religionem & ineptissimam superstitionem nonnisi nomine differre. *Posterius* igitur erit asserendum, nimirum non solum licitum esse Eruditis ejusmodi libellos legere, expendere, atque refellere; Sed & Doctorum publicorum officium esse, ut non solum causam S. Religionis serio agant, ejus admirabilem præstantiam, argumentis evidentissimis probent; sed & ut discipulis suis viam monstrent, qua ratione animi piorum contra *Incredulorum* difficultates sint muniendi: Et ut dicam quod Res est, hæc una, optimaque methodus atque ratio est, *Incredulorum* insultus reprimendi, & Religionem in tuto collocandi. Nimirum argumentis *Incredulorum* argumenta sunt opponenda, omnesque ingenii nervi impendendi, ut nonsolum divinæ & cœlestis disciplinæ veritatem solide probemus, sed & ut eandem contra varias eorundem objectiones vindicemus. Imo tantum abest, ut Viros Eruditos, qui Religionis Christianæ veritatem demonstrarunt & singulas difficultates *Incredulorum* examinarunt, vituperemus; ut potius inter *seculi*, quo vivimus *Felicitatem* referamus, quod Viri Eruditione & pietate Eminentissimi, *Angli* præsertim, eruditissime & solidissime Religionis Christianæ veritatem confirmarint. Unde & præclare de Erudito, imo universo Orbe Christiano, meritus est præstantissimus *Burnetus*, *Magni & Illustris Parentis G. Burneti*, *Episcopi olim Salisburiensis dignissimus filius*, quod ea, quæ juxta *illustris & pii Boylei* æterna laude dignissimum institutum, pro Religione Naturali, & Revelata eruditissime & accuratissime, à præstantissimis *Angliæ* Eruditis dicta sunt, in compendium redegerit, atque nuper cum Erudito Orbe communicaverit. Sane dignissimus est hic liber, quem *Enchiridii* loco, omnes, quibus veritas, pietasque curæ cordique est, diurna nocturnaque versent manu. Ipsis interim *Incredulis*, tot exquisitæ Eruditionis scripta debemus; nunquam certe veritates capitales in tanta fuissent collocatæ luce, nisi Eruditi inter *Incredulos* speciosis suis objectionibus necessitatem Viris cordatis & doctis imposuissent, singula Religionis capita, solertissime examinandi & defendendi. (5.) Quod vero tandem objicitur, post tot libellos pro veritate Religionis scriptos numerum *Incredulorum* non

esse

esse imminutum, parum valet ad probandum, *Incredulorum* objectiones non esse curandas. Eodem enim argumento, probare possem, libros ascéticos, ad veram pietatem commendandam plurimum valentes, quorum magnus singulis annis in lucem editur numerus, inutiles esse, quod Impiorum numerum decrescere manifestis indiciis non constet; probare possem, si hæc ratiocinandi methodus valeret, controversias Religionis esse proscribendas, quod videamus pauciſſimos, ab avita & à Majoribus accepta, atque tradita Religione recedere, nec veteres aviculas de pulmone facile revelli. Denique si hæc argumentandi ratio valeret, in exilium ire jubendi essent plerique V. D. Ministri, quod post tot habitas orationes sacras, pauciſſimos Auditorum à vitiis & erroribus abstractos, ad veram mentis mutationem, & conversionem adduxerint. Ex quibus facile constat, quam parum huic objectioni sit tribuendum; Unde simul etiam colligitur, nullam aliam Religionem tuendi relictam esse viam, quam demonstrationis & legitimæ defensionis. (*) Scio non omnes eadem perveniendi ad hunc scopum incedere via: quidam methodum adhibent, quæ mea opinione *Incredulos* potius in sua opinione confirmare, quam ad veritatis confessionem adducere potest. Non loquor de iis, qui male Religionem defendunt, de his enim in sequentibus agendi locus erit; Sed de iis, qui novam quandam sed parum tutam *Incredulos* revocandi ab erroribus viam ineundam esse putant. Ita *Illustris Archi-Episcopus Cameracensis Fenelonius*, ut ex βιογραφία ab Anonymo scripta, patet, *Incredulum*, qualem se fuisse βιογραφῶ fatetur, conversurus, nullum aliud medium *ex Deismi Labyrintho* eluctandi esse docuit, quam confugiendo, sine ulteriore mora, ad infallibilis Judicis, id est, *Pontificis Romani* Tribunal. *Il n'y à* (Verba sunt illustris Viri ad Deistam) *aucun milieu raisonable, entre le Déisme, & la Catholicité. Hist. de la Vie de Monſ. de Fenelon pag. 113.* *P. D. Huetius*, Vir eruditissimus, *Incredulis*, ad convictionem solidam Religionis Christianæ perventuris, commendavit sedulam *Philosophiæ scepticæ* culturam. Animo enim per ἐποχὴν universalem rite præparato, facilem esse ad Religionem Christianam, prouti ab Ecclesiæ Romanæ decretis explicatur, viam. Auctor denique libri recentissimi, cui titulus: *Lettres sur la Religion Essentielle*

(*) Conferantur cum hisce ea, quæ de hoc argumento graviter & erudite monet *Excellentissimus Frey*, in Basileensium Academia Theologus longe præstantissimus, Fautor & Amicus honoratissimus, Dissertat. de Officio Doctoris Theologi I. Sect. 3. & sq.

à l'Homme, distinguée de ce qui n'en est que l'Accessoire, viam complanaturus ad convincendos *Incredulos*, nil rectius fieri adserit, quam si tantisper concedamus *Incredulis*, ad fidem habendam Religioni Christianæ non opus esse, ut Mysteria & miracula admittamus. (*) Quam parum aptæ autem sint hæ methodi, digressionis loco, bono cum DEO, singulari ostendam dissertatione.

Ad percipiendam autem vim argumentorum, pro veritate Religionis Christianæ militantium, non solum attentione, sed & animo, ab omnibus præjudicatis opinionibus, & pravis cupiditatibus libero, opus est.

VI. Præter alia autem, quæ impediunt, quo minus Vitium *Incredulitatis*, magis magisque crescens reprimatur, hoc potissimum obstat, quod pauciſſimorum animi ad argumenta, pro Religionis Christianæ Veritate militantia, rite perpendenda, sint dispositi; quod *Incredituli* multis præjudicatis opinionibus contra Christianorum disciplinam sint imbuti; quod multi eorum rite ratiocinari nesciant; quod plerique non rationem, sed pravos adfectus in consilium adhibeant, ut cætera, quæ in progressu harum meditationum in medium, si Deus vitam porro concesserit, prolaturus sum, jam quidem silentio transeam. Certe ad rei graviſſimæ, Examen Religionis nempe Christianæ instituendum, poscitur pectus aliquod sincerum, veritatisque amantissimum, & quod nonnisi argumentorum vi in alterutram partem deducitur. Ubi his virtutibus vacuus est homo, Religionem examinaturus, fieri per rerum naturam non potest, ut argumenta vim suam exerant. Recte & eleganter de hoc argumento Lactantius, immortalitatem mentis humanæ probaturus, judiciique noviſſimi rationem explicaturus, *Lib VII. Cap. 1. inter alia sic loquitur:* Interim *necessarium puto, admonere* Lectores, *quod hæc nostra quæ tradimus, pravæ vitiosæque mentes, aut omnino non intelligent, (hebetatur enim acies eorum terrenis cupiditatibus, quæ sensus omnes gravant, imbecillosque reddunt) aut etiamsi intelligent, dissimulabunt tamen, & hæc vera esse nolent, quia trahuntur a vitiis, & scientes malis suis favent, quorum suavitate capiuntur, & virtutis viam deserunt, cujus acerbitate offenduntur. Nam qui avaritia, & opum inexplebili quadam site flagrant, quia non possunt venditis, aut dilargitis, quæ amant, tenui cultu vitam degere, sine dubio malunt id esse fictum, quo desideriis suis renuntiare coguntur. Item qui libidinum stimulis incitati (ut ait Poeta) in furias ignemque ruunt, utique*

(*) Fama fert, libellum hunc scriptum esse ab erudita Matrona, aliis etiam opusculis editis, v. gr. de statu mentium post mortem; de mundo insipiente, præferendo mundo Eruditorum, seu ut titulus habet; le monde sou preferè au monde sage, nobili. Postea certissimis indiciis mihi innotuit, plures ad scribendum illum librum animos adjunxisse, quod vel notæ textui subjectæ cum ipso libro collatæ satis probant.

utique incredibilia nos afferre dicunt; quia vulnerant aures illorum præcepta continentiæ, quæ illos a voluptatibus suis prohibent, quibus animam suam cum corpore adjudicaverunt. Qui vero ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati, omne studium suum ad honores acquirendos contulerunt, nec si solem quidem ipsum gestemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos jubet omni potentia & honore contemto humiles vivere, atque ita humiles, ut & accipere injuriam possint, & referre nolint, si acceperint. Sic sunt homines qui contra Veritatem clausis oculis quoquo modo latrant. Qui autem sanati erunt, id est non ita vitiis immersi, ut sanabiles non sint, & credent, his libenter accedent, & quæcunque dicimus aperta, & plana & simplicia & quod maxime opus est inexpugnabilia illis videbuntur. Nemo virtuti favet, nisi, qui sequi potest, sequi autem non facile est omnibus. Sed audire videor *Incredulum*, non sine indignatione respondentem, postulatum hoc nostrum ineptum esse & risu dignum; postulare nimirum nos ab *Incredulis*, ut animum habeant ad recipiendas opiniones nostras paratum, ist est credulum. Hoc autem idem esse, ac si quis cum alio ratiocinaturus, eumque in suam sententiam adducturus, postularet, ut primo admittat conclusionem argumenti, & demum præmissas examinet. At nostram sententiam male intelligunt *Incredulі*, aut data opera in alienum detorquent sensum. Non poscimus enim ab *Incredulis*, ut ante examen rationum, quas ad probandam veritatem Religionis Christianæ adferre solemus, nobis fidem habeant, magnificeque de Religione sentiant. Inepti sine dubio essemus, si hoc nobis concedi vellemus. Nihil aliud contra postulamus, quam quod omnes omnium ætatum sapientes, ubi de quæstionibus gravissimis expendendis agitur, ab iis, qui verum cognoscere volunt, requirunt, nimirum hoc unum, ut ad quæstionem examinandam adferant animum attentum, a partium studio alienum, denique ad rationum vim percipiendam & ponderandam unice intentum. Quo majus est veritatis inquirendæ momentum; quo magis quæstionis solutio cum generis humani salute vel detrimento est conjuncta, eo magis necesse est, ut examinaturi quæstiones illas, attenti sint, & a partium studio alieni. Male verum examinat corruptus judex. Nihil hic poscimus, quam quod ipsi *Incredulі* a nobismetipsis, quando dubia sua, & objectiones contra Religionem in medium proferunt, postulare solent: Clamant nimirum, tantisper ponendas esse opiniones cum lacte quasi materno haustas, a præceptoribus nostris inculcatas, & longa consuetudine menti firmiter tanquam axiomata

æternæ

æternæ veritatis impressas, ingeminantes, ea quæ adferuntur, licet forte ingrata, ἀθερ παθων & serena mente esse expendenda. Quidni & nobis idem concedunt jus? Adeo sumus de bonitate causæ nostræ persuasi, ut credamus, rationes nostras, rite & ordine positas, attentaque mente libratas & expensas, *Incredulos* aut in adsensum pertracturas, aut saltem effecturas, ut posthac rectius, & melius de Religionis Christianæ natura & indole sentiant. Contendimus insuper, quæstionem inter nos & *Incredulos* agitatam, & gravissimam, & talem, ad quam rite solvendam, non judicio duntaxat & attentione, sincera item quadam veri sciendi cupiditate, sed & animo ad actiones suas omnes, desideria, & conatus, ad veri rectique normam componendi parato, opus sit. Huic enim Quæstioni rite evolvendæ, non tantum officiunt ingenium hebes, & præjudicatæ opiniones, sed obstant potissimum huic Examini prava animi studia, & perversæ cupiditates. Ratio hujus rei est in promptu. Non enim hic agitur de dirigendis duntaxat Ideis intellectus, sed de moderandis præprimis juxta certam normam actionibus nostris. Non agitur insuper de quæstione, ut Scholæ terminis utar, mere abstracta v. gr. de problemate quodam geometrico aut quæstione etiam critica vel historica; sed agitur non solum de quæstione omnium quotquot unquam inter mortales moveri potuerunt, gravissima atque momentosissima, sed & ex qua etiam dependet universa vitæ nostræ agendæ ratio; *Quæritur* enim num optimus & sapientissimus mundi Rector sit adorandus, mente, Verbis, & universa vitæ ratione colendus & venerandus; Utrum ei in omnibus, fluxæ & perituræ vitæ conditionibus, sit adhærendum, omniaque, quæ pro infinita sua sapientia de nobis disponit, pio, & constanti animo sint recipienda & ferenda; *quæritur* utrum morte careant animæ nostræ, nec ne, atque adeo utrum DEUS humani generis cupidissimus, post vitam hanc caducam, pios præmiis, impios vero pœnis, sit adfecturus; *quæritur*, utrum divinæ & cœlestis originis sit Religio Christiana, an vero fabula a maleferiatis hominibus temere inventa: *quæritur* non solum, utrum decreta hujus Religionis sint vera, & πασης ἀποδοχης ἀξια, sed & utrum vi voluntatis divinæ simus obstricti, omnes nostras cogitationes, desideria, & actiones ad præceptorum divinorum in Revelatione præscriptorum normam componendi, & in hac constanti veritatis confessione, & pietatis cursu, ad extremum usque vitæ halitum, inter omnes adversitates, adflictiones, & tormenta etiam exquisitissima, permanendi. Hæc est summa Quæstionis

inter

inter nos & *Incredulos* agitatæ. Aut vera rerum vocabula amisimus & nescimus quid leve aut momentosum sit, aut quæstio hæc ardua satis, atque gravissima est. Quod si *Increduli* inposterum negare volunt, ad hanc quæstionem evolvendam, non solum judicium acre, & attentionem, sed & animum a præjudicatis opinionibus, pravis studiis, & affectionibus liberum, requiri, alterutrum dicant necesse est; aut quæstionem hactenus propositam non tanti esse, ac vulgo dicitur, momenti; aut *Incredulos* homines esse, ab omnibus plane præjudicatis opinionibus liberos & ab omni specie corruptionis alienos. Si *prius* adserunt, non solum adversantes habebunt omnis ætatis & temporis viros doctos & sapientes: sed & ipsimet, qua ratione hoc suum judicium, cum actionibus & institutis suis concilient, viderint. Si enim quæstio hæc adeo levis est, nulliusque pretii, cur omnes ingenii nervos atque vires, ad Religionem oppugnandam, intendunt? Cur clamant, Religionem omnium in mundo malorum causam esse? Cur tantopere insultant Religionis defensoribus? Certe tot meditationibus, tot laboribus, & scriptis opus non est, si quæstio illa de veritate Religionis Naturalis & Revelatæ, nullius plane est momenti. *Posterius* vero nec ipsos *Incredulos* unquam publice dicturos crediderim. Elegantioris enim, & acutioris ingenii homines sunt, saltem Eruditi ex hoc grege, quam ut talia de se prædicare soleant. Quod si vero quidam ex hoc numero palam adseverent, solos *Incredulos* sapientes & ab omnibus pravis adfectionibus liberos esse, sat scio cœteros ineptam jactantiam, & plusquam stoicam impudentiam improbaturos, & non sine indignatione rejecturos esse. Quicquid autem de hac *Incredulorum* confessione sit, nos certe manifestissimorum exemplorum inductione in sequentibus probabimus, sæpissime doctissimos *Incredulorum*, sese, à rectæ rationis legibus, & decretis abripi passos fuisse. Ex quo satis superque colligitur, nihil plane nos absonum, vel a rationis decretis abhorrens statuere, quando contendimus, ad accuratum Religionis Examen instituendum, necesse esse, ut animi sint a præjudicatis opinionibus & partium studio alieni.

VII. Non sufficit autem, ut animi *Incredulorum*, & illi, quibus cavendum est, ne iisdem opinionibus imbuantur, attenta mente, serio, & ex animo argumenta, quibus Religionis Naturalis, & Revelatæ veritas demonstratur, perpendant, utque absque præjudicatis opinionibus, & pravis adfectionibus, ad hoc Examen accedant; sed & necesse est insuper, ut ostendatur, qua ratione animus hominis sensim

Ut rectius animus vim argumentorum pro Religione militantium sentiat, & a vitio incredulitatis

tis sibi caveat, generales causæ, & occasiones, quibus homines in hoc præcipitium ruere solent, sunt cognoscendæ.

sensimque diversis ex causis in errores illos incidere possit, quidque communiter obstet, quominus errantes veritati vacivas præbeant aures. Nimirum ex dicendis constabit, & quilibet, qui serio unquam de hisce meditatus est, facile deprehendet, non solum facile posse homines in pestilentes ejusmodi errores incidere; sed & dari argumenta quædam generalia, vel ut rectius dicam, sophismata, & falsas opiniones, quibus homines frequenter impediuntur, quo minus ad instituendum accuratum omnium rationum, quibus Religio innititur, Examen accedant. Doctorum igitur publicorum, imo omnium veritatis amantium officium est, sedulo ad hæc animos convertere, atque operam dare, ut mature homines contra varias illas, & multiplices errandi causas, muniantur. Atque etiam hoc me permovit, ut pro ingenii, (quod imbecillum esse probe novi,) modulo, materiam hanc paulo uberius pertractare, causasque, quæ mortales multos in errores illos pietati & Religioni inimicos, conjicere, & in iis confirmare possunt, sedulo aperire, optimaque tandem tollendo, aut saltem minuendo huic malo media, in medium proferre voluerim. Accesserunt alia, quæ ut elaborando huic argumento manus adjicerem, me induxerunt. Inter illa principem locum obtinet ipsius mali, de quo hactenus locuti sumus, & in posterum diligentius agemus, *Magnitudo*, & *Præsentissimum Damnum*. Clamant & ingemiscunt Viri docti & pii, etiam in nostris oris, vitium hoc *Incredulitatis* crescere, atque vires acquirere, & non obstante luce, in qua degimus, *multos*, ut cum *Johanne* loquamur, *Tenebras magis amare quam lucem*. Officium ergo omnium, qui sacris operantur, est, dispicere, ne civitas sacra detrimenti aliquid patiatur, & pensitare simul sedulo, qua ratione malo huic occurri, veritatique & pietati suum decus salvum, & incolume servari possit. Ad hoc autem, quantum in hac rerum caligne fieri potest, obtinendum, non vagis clamoribus & lamentationibus, nedum insectationibus, utendum; sed adferenda sunt media, tollendo, aut minuendo huic morbo accommodata. Ante omnia in causas morbi more Medicorum, solicite est inquirendum, hocque demum facto, omni adhibita modestia, atque prudentia, præstantissima adferenda sunt media, quibus animi inter Religionem vel dubii & ancipites, vel opinionibus falsis jam delusi & capti, in viam reducantur, & in sanctissima Religionis professione confirmentur. Quod si omnes V. D. Ministri hoc facere tenentur, singulari tamen ratione *S. Theologiæ Professoribus* incumbit, ut Discipulos suos, Ministerio cumprimis sacro dicatos, atque consecratos,

mature

mature non solum edoceant, quam facile homines in hæc præcipitia ruere possint, quæ causæ sint hujus mali, quid ad ea prævavenda dicere & facere publice & privatim debeant; sed & quibus rationibus & argumentis, pravis opinionibus capti reducendi, erroresque pietati nocivi illis eximendi sint, perspicue & mature ostendere. Atque hoc eo magis a sanctiorum disciplinarum Professoribus præstari debet, quod satis superque, ut ex progressu nostrarum meditationum suo tempore DEO dante patebit, constet, imperitiam multorum, qui sacris operantur, circa malum hoc cognoscendum, eique occurrendum, non exiguam incrementi illius causam esse. Quo gravius autem hoc malum est, & saluti hominum magis nocivum: quo latius serpit indies: quo majori denique eruditionis, vel sapientiæ specie sese commendat, animisque incautorum sese insinuat; eo magis nostri Ordinis Viri, omnes ingenii nervos intendere, nulli labori, vigiliis, & meditationibus parcere debent, ad evellendas ex animis hominum pestiferas opiniones, & ad demonstrandam contra Veritatis & Pietatis admirabilem vim, & excellentiam. Aliis temporibus alia erant frequentius ingeminanda & inculcanda: jam ea est seculi nostri infelicitas, ut passim prima & capitalia Religionis Naturalis & Revelatæ Capita, sint explananda, inculcanda & vindicanda. Neque putandum est, non adeo esse necesse, ut S. Ministerii Candidatis hæc tam frequenter & serio inculcentur, quod plerique eorum in agro cum rusticis, inter quos pauci sunt *Incredeli*, ætatem sint transacturi; Præterquam enim quod nemini constet, quibus in locis, ita dispensante divina Providentia, semina cœlestis sapientiæ sparsurus sit, omniumque, qui sanctioribus disciplinis cognoscendis, & aliis tradendis animum adjungunt, & cum fructu officio longe gravissimo defungi volunt, officium sit, ut mature satis errorum fontes detegere, & qua ratione iis occurri possit, scire debeant; Sciendum, ubique etiam inter rusticos tales dari, qui si non acutis rationibus Religionem impugnant, de veritatibus tamen momentosissimis dubitant. Verum est, inter rusticos & plebem, plures dari ineptè *Credulos*, quam *Incredulos*. At præterquam quod *Incredulitatis* vitium in omnium animos diversis licet ex causis facile irrepat, atque animi non satis adversus *Incredulorum* difficultates muniti circumveniri facile possint, maximo cum successu & fructu erit conjuncta accurata cognitio mali, quo mortales facile a vero rectoque abduci possunt. Ita enim mature discent, quæ *Incredulitatis* causæ præcipuæ, quomodo animi contra hæc vitia muniendi, quibusve rationibus

nibus potissimum utendum, ut admirabilis pulchritudo & utilitas Religionis altissime animo imprimatur. Experientia insuper constat, non solum in majoribus urbibus, sed & in pagis quotidie manifestissima Religionis Naturalis & Revelatæ præcepta pedibus conculcari, cujus mali sine dubio præcipua causa est, quod pauciſſimi de primis & præcipuis Religionis cum Naturalis, tum Revelatæ articulis, vere, & ex animo sint persuasi; Quicquid autem de eo sit, certi persuasique sumus, laborem, quem cæpimus, ætati nostræ, atque officio nostro, quam maxime convenire, atque ad impediendas & evellendas præcipuas Incredulitatis magis magisque invalescentis causas, plurimum conferre posse. Quod si ad institutum nostrum probandum, non rationibus duntaxat, sed virorum etiam pietate, eruditione, & meritis excellentissimorum, opus esset suffragiis & testimoniis, facile mihi esset ingentem testimoniorum farraginem adducere. Sed in re per se satis manifesta, testimoniis opus non est. Interim si quis putet longe magis præstare, & seculi nostri moribus, Discipulorumque nostrorum usibus, magis congruere, si prolixe differatur, de ἀφέσει & παρέσει; de *eo quod morale est in Sabbatho judaico;* De *stiente Ecclesia non addenda satiatæ* &c. &c. ille per me utatur suo judicio, atque integris, si placet voluminibus, hæc argumenta excutiat.

Diversæ constituuntur Incredulorum Classes.

VIII. Antequam vero ad ipsas *Incredulitatis*, magis magisque invalescentis causas accedamus, diversæ *Incredulorum* Classes sunt constituendæ. Cum enim diversis partim principiis innitantur *Increduli*, & vel magis vel minus a vero aberrent; partim etiam animi constitutio, qua commoti, Religionem impugnant, diversa sit; necesse est, ut non solum in Classes diversas eos distinguamus, sed & in adducendis ad mala hæc imminuenda mediis, hujus diversitatis ingeniorum & errorum, rationem habeamus. Quemadmodum enim ineptum esset, si Medicus omnibus ægrotis eandem διαιτην præscribere, & iisdem, ad restituendos eos medicamentis, uti vellet; ita pariter a ratione alienum esset, errantes omnes eodem loco habere, iisdemque ad eos ab erroribus revocandos, & in viam veritatis reducendos, uti argumentationibus; Hoc eum in finem adducimus, ut pateat, cur in sequentibus meditationis nostræ partibus diversis utamur ad revocandos *Incredulos* argumentandi rationibus. Quod si igitur in certas Classes *Incredulorum* cohors sit distribuenda, sunt *primo*, qui de præcipuis Religionis Naturalis & Revelatæ Capitibus duntaxat *dubitant*; Sunt ab altera parte, qui Religionem verbis vel Scriptis impugnant; In utra-

que

que Classe diversi gradus dubitantium, vel negantium possunt distingui. Quidam demum incipiunt, ob diversas rationes, quas suo tempore in medium proferemus, dubitare, quorum tamen animos cum Religionis amor satis firmiter teneat, quid faciendum aut non faciendum sit, ignorant. Alii ulterius progrediuntur, atque existimant, inter rationes dubitandi & non dubitandi, esse aliquod æquilibrium; Hi aut in aliud tempus examen hoc remittendum putant, aut difficultatibus absterriti, per omnem vitam rem in medio esse relinquendam existimant. Quidam perpensis hinc inde singulis Religionis Capitibus, iis duntaxat astipulantur, quæ capere per omnia possunt, de reliquis omnibus jure dubitari posse existimant. Alii denique dubitant, quia dubitare volunt, & nescio quam eruditionis & acuti ingenii famam consectantur ex scrupulis & objectionibus, quas quavis data occasione in medium proferre possunt. Hi ut plurimum nullis certis principiis ad Religionem impugnandam utuntur, sed arrepta quavis occasione, quæ dubitationi pondus addere videtur, huc illuc incerti rapiuntur. Neque possibile est, verbis definire, ad quos præcise gradus dubitationis vis pertingat: cum pro rationum, ingeniorum & adfectuum diversitate diversi etiam sint dubitandi gradus. Qui religionem ipsam, ore aut scriptis *impugnant*, vel Religionem universam, i. e. Theologiæ Naturalis & Revelatæ principia omnia falsi suspecta habent, vel partem duntaxat utriusque repudiant. Et respectu quidem Theologiæ Naturalis, sunt qui ipsam divini Numinis existentiam impugnent. Et *Hi* quidem vel cum *Spinoza* unam duntaxat substantiam infinitam, & æternam, duobus attributis, nimirum extensione & cogitatione constantem, cujusque partes universi omnes, mentes & Corpora, nonnisi modi essent, stultissime fingunt. *Illi* vero omnia, quæcunque sunt & esse possunt, sive νοητα sive αἰσθητα, ex fortuito infinitarum particularum, quas atomos vocant, concursu, cuncta orta esse contendunt. Scio a Viris Doctis v. gr. *Buddeo in Thesibus de superstitione* & *Atheismo*; *Cudvvortho* in *Systemate Intellectuali* alias & plures species Atheismi statui. At mea opinione ad duo illo Capita, revocari omnia possunt & debent; aut enim dicendum est, totum hoc universum, singulasque ejus partes, a causa quadam non solum æterna & infinita, sed & potentissima, sapientissima, optima & ab adspectabili hoc mundo prorsus diversa, originem trahere; aut asserendum, universum ipsum, singulasque, quibus constat partes, intrinseca quadam, & absoluta naturæ necessitate sine causa externa & libera

extitisse: vel denique omnia nescio cui casui sunt tribuenda. Si quis ergo primam trium illarum Thesium negat, necesse est, vel secundam, vel tertiam statuat. Fatendum autem est, (de Veterum Philosophorum Systematibus hic dicendi locus non est) quantum mihi ex Historiæ Litterariæ monumentis constat, paucissimos *Incredulorum* eo ascendere audaciæ, ut ipsam Numinis existentiam in dubium vocent. De iis enim, quæ forte tacita mente secum quidam volvunt, judicare sine temeritate nemo potest. Neque etiam in hanc Classem referendi, qui circa unum vel alterum attributum Dei, Physicum præsertim, errant, aut qui per longas consequentiarum ambages, gravissimi erroris, quem videre non possunt, arguuntur. Alii, & quidem plerique *Incredulorum*, admittunt optimi & sapientissimi Numinis existentiam, sed providam DEI ad omnia curam in dubium vocant, existimantes machinam hanc, semel productam, sine ulteriore DEI cura subsistere posse, Deumque securum agere ævum, longeque a rebus hujus mundi remotum, in altissima pace vitam agere. Quidam affirmant equidem, DEI cura & potentia universum hoc conservari; negant autem eandem, ad liberas actiones mentium humanarum sese extendere; Et hi quidem vel subtilioribus Eruditorum de origine mali disputationibus irretiti, vel adversitatibus variis adfecti, in eas pervenerunt cogitationes. Atque hi omnes, si recte & convenienter principiis suis ratiocinari velint, leges naturales proprie dictas, quatenus nempe illæ attributis & perfectionibus Numinis nituntur, admittere non possunt. Rursus alii de Numinis existentia & providentia prorsus non dubitant, sed negant tamen, morte carere mentes humanas, omniaque potius hujus vitæ terminis esse inclusa statuunt, quo ipso firmissimum, ad pie rectequæ vivendum tollunt incitamentum. Præmia enim & pœnas, post hanc vitam secutura si tollas, perire necesse est pietatis & virtutis amores. Dantur (& horum quidem magnus est numerus) autem multi, qui præcipua Theologiæ Naturalis capita admittunt: at Revelatione quadam divina opus esse prorsus inficiantur, adserentes, rationis rectæ de Deo decreta sufficere, ad cultum Deo placentem instituendum. Sunt denique, qui Revelationem & Religionem Naturalem admittunt, nimirum quantum ad præcepta Christi & Apostolorum spectat; At miracula & mysteria explodunt, eaque ad conciliandam majorem auctoritatem his scriptis, a maleferiatis hominibus, qui primi libros hos, in quibus Religionis Christianæ dogmata continentur, in vulgus sparserint, esse adsuta, contendunt. Hi omnes pro

judicii,

judicii, ingenii & adfectuum diversitate, aut modestius, aut impudentius, in hoc negotio versantur. Sunt enim, qui si ad mores *Incredulorum*, & disputandi modum respicere velimus, ut supra jam significavimus, qui rationibus duntaxat, posita omni verborum acerbitate suas difficultates in medium proferant; alii vero adfectibus præpediti, quorum eheu major numerus est, in convitiando modum vix tenere possunt. Horum omnium in sequentibus, ubi de Causis ipsis *Incredulitatis* agemus, rationem habebimus, inquisituri in momenta opinionum, quibus imbuti sunt *Increduli*, ita tamen, ut ad generalia duntaxat eorum argumenta animum simus conversuri. Neque enim animus est post tot eruditissimorum Virorum egregia scripta, operose ipsa capitalia Religionis Naturalis & Revelatæ dogmata probare. Auditoribus interim nostris (in eorum enim, non Eruditorum gratiam scribimus) iis præsertim, qui S. Ministerio consecrati sunt, eos commendamus de hoc argumento scriptores, qui nervosa brevitate gravissimam hanc materiam tractarunt, quales sunt v. gr. *Grotius* in aureo libello *de V. R. Christianæ* adjunctis V. doctorum, quas editioni suæ adjunxit doctissimus *Köcherus*, meditationibus; vel *Clarkius* in demonstratione *Veritatis Religionis Naturalis & Revelatæ*, qui, sive ad nervosam brevitatem, vel argumentorum pondus, aut denique ad concatenatam rationum seriem attendas, multis aliis palmam præripuisse videtur. Ubi hæc attentissima mente non semel legerunt & ad animum revocarunt sanctioris disciplinæ Studiosi; facilis erit ad majora & difficiliora examinanda, via. (*)

IX. Accedemus tandem ad ipsas *Incredulitatis* causas, postquam de definitione Incredulitatis, & Methodo hoc argumentum tractandi, aliquid monuerimus. Quanquam autem attentus Lector, ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facile animadvertat, quid *Incredulitatis*, & *causæ* nomine intelligamus, ne tamen contra scholæ leges peccemus, definienda est notio *Incredulitatis* & *Causæ*. *Incredulitatis* igitur nomine intelligimus eam animi adfectionem, juxta quam quis, aut omnia Religionis Naturalis & Revelatæ capita, aut partem duntaxat eorum, quibuscunque demum id fiat ex causis, vel in dubium revocat, vel negat: *Causæ* nomine vero intelligimus id omne quod mentem ad Religionem

Prima Incredulitatis causa est, turpis quædam rerum divinarum ignorantia.

(*) Silentio transimus plurimorum Virorum doctorum egregia scripta, quæ ab eo tempore, quo edita est hæc prima dissertatio, lucem adspexerunt. Ea diligenter ennarrant Historiæ Litterariæ Scriptores.

nem parvi habendam, aſpernandam, aut plane impugnandam inducere poteſt. Scio, alios *Cauſas* incredulitatis ab *Occaſionibus* diſtinguere, ſed nos generalis *Cauſæ*, vel fontis nomine cuncta comprenſa volumus, quæ hominem ad Religionem, id eſt, præcipua illa Religionis Naturalis & Revelatæ Capita (neque enim de his vel illis erroribus, qui a certis ſectarum Patronis defenduntur, hic agitur) neganda commovere poſſunt. In hoc argumento autem ita verſabimur, *ut primo* præcipuas *Incredulitatis* cauſas detegamus. *Secundo* generales rationes, quibus inducti *Increduli* alienum a Religione animum gerunt, expendemus: *Et tertio* tandem medelam huic morbo allaturi, varia proferemus homines a malo hoc abducendi, aut erroribus jam conſtrictos revocandi, media & argumenta.

Poſſunt autem omnes cauſæ *Incredulitatis* commode ad duo ſumma revocari capita. Nimirum cauſæ illæ oriuntur, vel ex ipſa animorum adfectione & ſtatu; vel extrinſecus accedunt, mentesque ad ita ſentiendum inclinant. Verbo, cauſæ illæ ſunt vel *Internæ*, vel *Externæ*. A prioribus initium facturi, *Primam Incredulitatis* cauſam, quæ ex ipſa animi adfectione oritur, adſerimus eſſe *turpem quandam rerum divinarum ignorantiam*. Mens nimirum humana in prima ſua conſtitutione, omnium rerum eſt ignara, quod ex Infantibus, recens in lucem editis, ſatis conſtat. Certe præter confuſas quasdam ſenſationes nil in illis deprehendimus. Si altius aſcendere, atque ſtatum mentium humanarum, in ipſa primæva origine, quando corpori junctæ ſunt, cognoſcere velis, nil præter conjecturas te in medium proferre poſſe, poſt longas meditationes & ambages, experiundo diſces. Status corporis reſpondet mentis imbecillitati. Ipſi Gentiles miſerabilem illum generis humani a prima ſua Origine ſtatum haud ignorarunt. Hinc *Cicero Lib. III.* de Republica dixit; *non ut a matre, ſed ut a noverca natura editum eſſe hominem in vitam, corpore nudo, fragili & infirmo, animo anxio ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen velut obrutus ineſſet ignis quidam divinus mentis.* Hinc ortæ ſunt innumeræ Gentilium quærelæ de infelicitate generis humani, quas adductis undiquaque teſtimoniis, ſed peſſimo fine, in medium profert *Baylius*, voce *Xenophanes*. At fontem tamen mali detegere non potuerunt. Nos quibus Revelatio conceſſa, unde clades illa generi humano illata ſit, pulchre ſcimus. Neque opus eſt, ut jam quidem, ubi nobis cum *Incredulis* res eſt, locis ſcripturæ id probemus: ſufficit, quod experientia quemvis edoceat, homines reſpectu mentis & cor-

& corporis, ubi in lucem eduntur, valde esse imbecillos. Sed non tam de corpore, quam vero de mente nos jam quidem sumus soliciti. Præter ignorantiam, in qua mentes infantium omnes versantur, experientia constat, homines omnes, res in sensus non incurrentes & abstractas, difficulter percipere. Hinc non sine magno labore pueri notitiam aliquam rerum spiritualium, abstractarum & moralium consequuntur. Imo quam pauci sunt, ex ipsis adultis, qui accuratiorem habeant harum rerum notitiam! Ubi de DEO ipso, Ente omnium excellentissimo, cogitandum, imaginatio plerosque mortales impedit, quo minus de tanto objecto pura mentis acie meditari possint. Pulchre & vere *Lactantius* Lib. V. Sect. 7. ait: *Cum ad illum mentis humanæ intentio, & acumen & memoria pervenerit, quasi abductis & consumtis omnibus viis, subsistit, hæret, deficit, nec est aliquid ulterius, quo progredi possit.* Difficile insuper est, attributorum divinorum sibi comparare paulo pleniorem notitiam. Cum enim ad consequendam divinorum attributorum cognitionem opus sit, ut primo in nos descendamus, nostrasque mentis adfectiones probe cognoscamus, iisque demum cognitis, Deo ejusmodi, sed sine mistura defectuum, imo in eminentissimo, quem concipere tamen non possumus gradu, Illi inesse, colligendum sit, satis patet, non mediocri attentione, quam in plerisque mortalibus frustra requiras, opus esse. Idem dictum velim, de cognitione existentiæ, indole ac natura legum Naturalium, officiorumque quæ mortalibus erga DEUM, aliosque præstanda sunt. Hac tamen (2.) imbecillitate naturali non obstante, quotidiana, imo omnium seculorum experientia docet, posse homines adhibita qualicunque diligentia, ut ad cognitionem artium & scientiarum, quæ generi humano perquam utiles sunt, ita etiam ad sufficientem rerum divinarum, officiorumque, quibus cultus Numinis absolvitur, cognitionem pervenire. Mirabili enim ratione indigentiæ & ignorantiæ nostræ, O. M. & Benignissimus Deus occurrit: oculos enim, mentemque, nobis non dedit, eum in finem, ut intimam των νοητων & των αἰσθητων essentiam cognoscceremus, sed potius, ut perspectis utriusque generis attributis, objecta, quatenus ad felicitatem duntaxat nostram faciunt, contemplaremur. (3.) Probe autem animadvertit homo, ad consequendam rerum divinarum & humanarum notitiam, cultura quadam ingenii, attentione, meditationeque & labore opus esse. Nil enim sine magno labore vita dedit mortalibus. (4.) Non minus insuper, comparata rerum divinarum cognitione etiam mediocri, deprehendit homo, ob-

jecta, circa quæ versatur Religio, res esse hominis cognitione & amore dignissimas, & ad promovendam suam aliorumque felicitatem, plurimum facientes. Quo magis autem contemplatione harum rerum capitur, quo magis intuetur DEI erga genus humanum curam, atque Benevolentiam, eo magis etiam sese ad officia Deo præstanda, obligari sentiet. Ex observantia vero officiorum, rationi convenientissimorum enascetur suavis animi sensus, delectatioque, quandoquidem mentis vires ita sensim perfici, suamque felicitatem augeri, homo experiundo discit. Quamvis autem nemo negare possit, quin mortales adhibitis hisce auxiliis, ad Religionis & officiorum suorum notitiam pervenire possint; fatendum tamen est eheu! multos plane homines dari, qui in extrema rerum divinarum versentur ignorantia; unde mirum non est, si multi de capitalibus Religionis articulis dubitent. Cum enim hæ veritates aliquo studio sint pervestigandæ, plerique autem nullo plane cognoscendæ & eruendæ veritatis, teneantur desiderio, quid mirum est, si homines illi non solum in ineptas & Deo indignas incidant opiniones, sed & ad arripiendas quasvis *Incredulorum* sententias, faciles nimis sint, atque proclives? Neque hoc duntaxat de barbaris *Africæ* & *Americæ* populis intellectum velim, qui omni fere rerum divinarum studio abjecto, ventri duntaxat obediunt, quosve ad mediocrem rerum divinarum cognitionem Christiani vix adducere possunt; sed de iis potissimum loquimur, qui in florentissimis Europæ regionibus degunt. Quot quæso in altissima rerum sanctissimarum ignorantia per omnem vitam versantur? quot sunt, qui credunt, quod creditur, licet nesciant, quid sit illud, quod alii credunt? Quot superstitionem à Religione discernere non possunt? Quot sunt, quibus perinde est quid credant? Quot sunt, qui nil minus hominis cura dignum esse putant quam Religionis Examen? Mirumne autem est ejusmodi homines, facile in stultas & Deo indignas incidere opiniones? Mirumne est, eos, quemvis *Incredulorum* impetum sustinere non posse, sed herbam statim porrigere? Mirumne est, eos pro temporum & occasionum diversitate, principia Religionis mutare, ex una dubitatione in aliam conjici, & irruentibus pravis animi desideriis, Religioni bellum indicere; quid obtigerit Gentilibus, divinarum rerum cognitionem negligentibus, egregie docet *Paulus in Epistola ad Rom. cap. 1.* Ejusmodi autem homines, non solum stultis quibusvis opinionibus album adjiciunt calculum, & a vero rectoque facile abducuntur; Sed & difficulter, dum tales manent, id est, examen rerum dignissimarum ultro negli-

negligunt, in viam reducuntur. Ad persuasionem enim solidam de articulis gravissimis & momentosissimis, quatenus id auxilio humano obtineri potest, duo ad minimum requiruntur; *Prius* est, ut homo propositiones, quæ admittendæ sunt, non solum intelligat, sed & ut consectaria, quæ immediate ex iis fluunt, elicere possit; *Posterius*, ut ad hoc obtinendum, examen aliquod instituat, resque examini subjiciendas serio, attenta mente, ἀθεῳ παθων, utramque in partem expendat. Hæc ubi non fiunt, ubi omnis cura Religionis posthabetur, ubi examen ejusmodi rerum prorsus odio habent malesani homines, mirum non est, si stultissimas opiniones admittant, in omne nefas ruant, & in perniciosis etiam sententiis suaviter adquiescant. Unde satis patet, turpem rerum divinarum ignorantiam, non solum impedire, quo minus homines prima illa & capitalia Religionis Capita cognoscant, sed & eandem efficere, ut ineptissimis & Religioni nocivis quammaxime opinionibus præbeant aures, & facillime *Incredulorum* objectionibus capiantur. Hæc autem ignorantia in rebus ad Religionem spectantibus, non solum efficit, ut homines ad quasvis portentosas & ineptas opiniones arripiendas proni sint; sed & *Increduli* animadversa tanta Christianorum ignorantia in sua, quam semel amplexi sunt, sententia, confirmantur. Ubi enim vident, plerosque Christianorum sine sufficienti Examine nomen Religioni dedisse, easque opiniones, quæ in illa, qua nati sunt, provincia, communiter admittuntur, tueri: colligunt, licet ineptissime, Religionem ipsam nullis certis fundamentis esse superstructam; Quamparum autem hæc ad tuendam causam *Incredulorum* faciant, mox dicemus. Interim si ad fontes mali descendere velimus duplicem potissimum causam reperiemus. *Prior* est *inertia* quædam & *torpor*, qui plerorumque mortalium mentes occupat, ubi agitur de rebus in sensus non incurrentibus, sed ratiocinatione pervestigandis. Examen rerum divinarum & humanarum deposcit animum attentum, & inquirendæ veritatis studio & amore incensum. Ad hoc cum aliqua successus spe aggrediendum labore quodam opus est. Hunc autem, ubi animi vires sunt intendendæ, tanquam pestem plerique mortales fugiunt, & malunt acquiescere in iis, quæ semel menti inhærent. Conjuncta est cum hoc torpore stulta quædam acquiescentia & dulcedo; *Subit quippe etiam ipsius Inertiæ dulcedo, & invisa primo desidia, postremo amatur*, ut *Tacitus in vita Agricolæ* ait. Hinc nil est tam absonum & a ratione alienum, quod quædam ingenia concoquere non possint. Augetur turpis hic torpor,

quando vident, homines veri amore incensos sæpissime sibimetipsis molestias facessere, aliorumque iras in se provocare. Hinc videmus *Mahumedanos*, *Judæos*, & inter *Christianos* plurimos, per omnem vitam spreto omni examine novo, opinionibus, ad quas veluti tempestate delati sunt, tanquam saxo adhærere. Eo tempore quo St. *Soter* noster Jesus Christus inter mortales vixerat, & sanctissimam disciplinam argumentis & miraculis confirmaverat, pauciſſimi erant, qui dicta factaque ejus, ad rationis normam & Oraculorum V. T. Decreta expendere voluerunt, sed inertia potius & præconceptarum opinionum amore abrepti, in sententiis semel animo infixis adquiescebant. In quo confirmabantur, cum ipsi Doctores publici, de pura castaque Religione, parum soliciti essent, mallentque cæca fide homines capi, quam res momentissimas examini submittere. Unde S. *Soter*, eos Matth. XV. duces cæcos cæcorum appellavit. (*) *Posterior* mali causa est, quod passim plerique mortales *exiguam veri curam habeant.* Ad ea potissimum feruntur, quæ sensibus & adfectibus grata sunt, ad hæc consequenda omni virium nituntur contentione. Hinc quæ πϱος τα ἄλφιτα faciunt, prima desiderantur, imo respectu hominum plurimorum dici potest, hæc sola omnium desideriorum & actionum fines esse. Vel nobilissimæ disciplinæ misere jacerent neglectæ, nisi cultura earum, habendi cupiditati, aut voluptatibus multorum satisfacerent. Confirmantur in hac sua opinione multi, ubi vident passim, non studium inquirendi verum, sed longe alia, amicos & fautores conciliare. Observant insuper plerosque ea credere, quæ commodis suis, honoribus & desideriis inservire possunt. Quidam adeo levis sunt ingenii, ut singulos in dies sententias suas essent mutaturi, modo id e re sua fore essent persuasi. (**) Accedit, quod etiam multi metu præpediantur, quo minus verum inquirant. Notum est, non solum *Mahumedanorum*,

(*) De causis Incredulitatis Judæorum docte disseruit Jacobus *Plantier*, Genevensis, Vir ingenio & doctrina præstans, in libro cui titulus: *Reflexions sur l'Histoire des Juifs &c.* Tom. II. pag. 59. sqq. Jungi huic possunt Reverendissimus Kidderus in demonstratione Jesum esse Messiam, Limborchius in Amica Collatione cum Erudito Judæo & plures alii.

(**) Incidit mihi, hæc dum scribo, ingeniosum Excellentissimi nostri *Werenfelsii*, de hoc Hominum genere Epigramma, quod ita sonat:

Qui credit id, quod creditur;
Ne panis auferatur:
Vis scire quem colat Deum?
Dicam tibi: Artolatra est.

rum, sed & numerosissimarum inter dissidentes Christianos familiarum decretis & legibus præscriptum esse omne Religionis Examen. Imo inter eos ipsos, quos minime oporteret, dantur, qui quamprimum audiunt, homines etiam optimos ac honestissimos, frequenter de Examine Religionum loqui, indignentur, atque eos suspectos habeant. Quid mirum ita Ignorantiam magis magisque confirmari, hominesque ad retundendas *Increduli* cujusvis objectiones, ineptos plane fieri?

X. Quanquam autem certum, atque indubium sit, eos omnes, qui tam turpiter ingenium, quo majus, atque excellentius naturæ humanæ datum non est, negligunt, atque omne Examen rerum saluberrimarum atque sanctissimarum proscribunt & abjiciunt, Insultibus *Incredulorum* facile patere, atque ad arripiendas ineptas, Religionique inimicas opiniones, facile adduci posse; non est tamen cur *Increduli* sibi plaudant, & arreptas semel opiniones firmiter tueantur. Quod si enim absque præjudicatis opinionibus, de causis hujus ignorantiæ meditentur, facile deprehendunt, eam non impedire, quo minus multi judicio, ingenio & exquisita Eruditione præstantes Viri, Religionem pulchre non solum intelligant, sed & acutissimis gravissimisque rationibus probent. Non ita abjecte de Eruditione & æquitate *Incredulorum* sentio, ut credam, eos, omnes Religionis defensores promiscue pro stupidissimis ingeniis, quibus pepo pro cerebro obtigerit, habere: Quod si vel voce & scriptis id *Increduli* non confiterentur, vel sola illa & incredibilis quidem diligentia singula argumenta nostrorum expendendi & vellicandi, satis superque hoc edoceret. Hoc autem posito vide qualis sit *Incredulorum* argumentatio. Scilicet innumeri ex Christianis, neglecta rationis cultura & Religionis examine abjecto, cuilibet sententiæ promiscue adhærent, & ad quodlibet admittendum faciles sunt: Ergo ipsa Religio Christiana, nullis est solidis argumentis superstructa; ergo promiscue omnes Christiani præjudicatis duntaxat opinionibus capti, Religioni nomen dant; Ergo secure in nostra Incredulitate acquiescimus. Hem acumen! an non cottidie observant aliarum disciplinarum cultores similiter peccare, neque tamen præstantiæ disciplinarum propterea quicquam decedere? Multi dicuntur *Medici*, *Jurisconsulti* & *Philosophi*, qui tamen nunquam per vitam principia, quibus disciplinæ illæ nituntur, cum aliqua cura & solicitudine examinarunt, sed repetunt sonos Magistrorum suorum. Num autem inde colligi potest, disciplinas ipsas, nullis prorsus fundamentis esse superstructas? Quid si nos ita de *Incredulis* judicaremus; nimirum multi ex

Incredulí deprehensa multorum Christianorum ignorantia, inepte tamen propterea in suis opinionibus confirmantur, & acquiescunt.

fæce plebis huic factioni adscripti, blasphemant quæ nesciunt; Religioni, quam nunquam per vitam examinarunt, temere & stulte insultant; Ergo *Increduli* omnes, nullo sunt ingenio instructi; ergo ratiocinationis omnes leges ignorant; ergo omnes plane objectiones & dubitationes, quas in medium proferunt, stultæ plane sunt & insipidæ? Sat scio, Eos injuriam sibimetipsis fieri, altissima voce clamaturos, si ita cum iis ageremus: Hinc etiam conqueruntur de *Philaleuthero Lipsiensi*, id est Eruditissimo *Bentley*, quod singulis fere defensionis suæ paginis, non solum *Collino*, sed & universæ *Incredulorum* turbæ, stuporem, ignoratiamque turpissimam objecerit. Quod igitur sibi fieri volunt, (credo enim eos hoc principium in sacra scriptura licet adductum, admittere, quoniam *Radicati*, *Comes de Passeran*, haud ignotum *Incredulis* nomen, *histoire de la profession sacerdotale Ancienne & Moderne* p. 242. tam ingenuus & liberalis est, ut dicat: *Il faut remarquer, que les Esprits forts admettent tous les Passages de l'Ecriture, qui semblent favoriser leurs opinions*) aliis etiam concedant necesse est. Vel an omnes tandem *Increduli Geometræ*, *Philosophi*, *Historici* vel *Critici* sunt? Num omnes tandem excellenti ingenio & judicio præditi? Nemo ne tandem huic factioni nomen dedit, nisi qui Religionis & Naturalis & Revelatæ fundamenta, rigidissimo subjecerit Examini, singula doctissimorum inter nostros Virorum argumenta excusserit, & quidem tanta cum Cura, atque rigore tanto, ut perpensis omnibus, atque inter se collatis, tandem rite collegerit, principia *Incredulorum*, firmissimis niti principiis, atque adeo Religioni necessario bellum esse indicendum? Ignoscent nobis ingeniosi homines, si dicamus, historiam *Deistarum* & *Atheorum* nobis non plane esse incognitam, meritaque & ingenii monumenta, quibus famam sunt consecuti, nobis probe esse perspecta. Haud ignoramus, sed scientes dolemus, quosdam præstanti Ingenio Viros, & magna, si rectius sapere voluissent, exempla daturos, in numerum *Incredulorum* referri voluisse; simul vero etiam probe scimus, plerosque hujus tribus, pravis animi adfectionibus velificaturos, nullo examine instituto, decretis *Incredulorum* subscribere. Certe ad nomen & titulum *Increduli* obtinendum, non exquisita Eruditione, acuto ingenio & longa rerum experientia opus est: Dic saltem Religionem omnem ad continendos in officio homines esse excogitatam; clama, Christianorum disputationes omnes esse de Lana Caprina; mysteria & miracula omnia inter suavia insomnia, & impostoras sacerdotum refer; in conventibus amicorum,

sacro-

sacrorum Ministros omnes Attico perfunde sale; loca scripturæ per ingeniosam vel ineptam detorsionem, ad risum captandum rape; indulge Voluptatibus tuis & dic perinde esse, quid de Religione sentiamus. In egregia hæc cum *Catullo* erumpe Verba:

Vivamus mea Lesbia, atque amemus.
Rumoresque senum Severiorum
Omnes unius æstimemus assis,
Soles occidere, & redire possunt
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Aut tandem egregiam sententiam tantopere *Collino* laudatam, semper in ore habeto & commendato, ita sonantem.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

Et jam adeptus es *libere cogitantis*, id est *Increduli*, famam (*). Ex iis, quæ dixi, facile colligi potest, non esse, cur tantopere sibi plaudant *Increduli*, quando vident, multos Christianorum in turpissima versari

(*) Ipse A. Radicati, Comes de Passeran, haud ignobile membrum factionis hujus, recensitis, Spinozæ, Collini, Tolandi & Woolstoni ad oppugnandam Religionem, editis libris, ostendit, (num serio, & ex animi sententia jam non quæro) multos re non satis perspecta & examinata, voluisse in *Incredulorum* numerum referri. Audi quomodo, *Hist. de la Profess. Sacerdotale* p. 286. de hoc argumento loquatur: Cependant (inquit) nous pouvons juger de la bonté de ces Ouvrages, & sur tout de celui de Woolston, par le nombre & la qualité des Proselytes, qu'ils ont fait, savoir: I. Une multitude des jeunes Etudians en Loi & en Medicine. II. Les Officiers & les Soldats les plus debauchés III. Le corp entier des Damoiseaux & des Petit-Maitres. IV. Un grand nombre de ces Gens qui trouvent l'Irreligion un excellent remede contre les remords de conscience. V. Une quantité de Demi-Savans qui ont la vanité de se distinguer par des opinions nouvelles, & de passer pour des Esprit-Forts du premier ordre. VI. Plusieurs Gentilhomes Campagnards qui affectent d'imiter les beaux Genies de la Capitale du Roïaume & Plusieurs Bourgeois, qui se font un honneur d'etre les singes des Gentilhomes. VII. Des Pedants laborieux sans jugement & par-ci par-la quelques Ministres ou Pretres mécontens, a cause qu'on ne les a pas avancés aux dignités de l'Eglise, ou qu'on ne les a pas pourvû de quelque bon benefice. Toutes ces Gens, dis-je ont reconnu la bonté de la doctrine de nos fameux Athletes & la force de leurs argumens par un pur effet de leur raison. Ut magis in hac sententia confirmeris, lege duos sequentes libellos. Prioris titulus est, Alciphron, ou le petit Philosophe en sept Dialogues, contenant une Apologie de la Religion Chretienne contre ceux qu'on nomme Esprits-Forts Posterioris Inscriptio hæc est: La Friponnerie Laïque des pretendus Esprits-Forts d'Angleterre; Ou remarques de Phileleuthere de Leipsick sur le discours de la Liberté de penser.

versari rerum divinarum ignorantia, atque Religionis principia nunquam examinasse, & solerter expendisse! Certe ideo non sequitur, Opiniones, quibus *Incredulitatem* hactenus tuiti sunt, immotis & mathematicis esse superstructas argumentis. Atque hoc eo magis *Incredulis* in memoriam est revocandum, quod neque Christus S. noster *Soter*, neque discipuli ipsius, cœcam & stultam Credulitatem commendarint, sed omnes ad Religionem ab ipsis traditam, examinandam invitaverint, & adhortati fuerint. Nemo, qui unquam scripta hæc cum cura, atque attentione evolvit, de hoc nostro asserto dubitaverit. Christus, homines ad admittendam suam cœlestem doctrinam adducturus, ad ipsius doctrinæ præstantiam, provocat, atque miracula. Iis ut sine Examine fidem habeant non vult. Ita Joh. V: 31. ait: Ἐαν ἐγω μαρτυρῶ περι ἐμιαυτε, ἡ μαρτυρια με ἐκ εςιν ἀληθης. Apostoli idem fecerunt: Totidem verbis ait Paulus 1. ad Thessal. V: 21. Παντα, audi παντα δοκιμάζετε, τὸ καλον κατεχετε. 1. Joh. IV: 1. ita hortatur Apostolus Christianos: Αγαπητοι, μη παντι πνευματι πιςευετε, ἀλλα δοκιμαζετε, εἰ εκ τε Θεε ἐςιν, ὅτι πολλοι ψευδοπροφηται ἐξεληλυθασιν εἰς τον Κοσμον. at hoc sine examine fieri non potest: laudantur Judæi Beroenses Act. XVII: 11. quod scripturas V. T. sedulo examinarint, & cum doctrina Apostolica contulerint. Taceo alia plura loca, quæ a Theologis nostris contra Pontificios, Religionis Examen promiscuum proscribentes, in medium proferri solent. Hortantur insuper passim Apostoli quosvis, ut non minus in pietatis, quam veritatis cognitione, magis magisque confirmentur, quod sine dubio Examen aliquod & studium deposcit. Ex quo simul patet, inepte agere *Incredulos*, quando clamant, Christianos quid *fidei* nomine intellectum velint, ipsosmet ignorare. An non tandem satis superque a Viris doctis inter Christianos excussum & explanatum est, quid sit *fides* Christianorum? Num perversa quædam Vulgi interpretatio, *fidei* nomine incertarum opinionum farraginem complectentis, in causa esse debet, ut dici & scribi publice possit, Christianos promiscue nescire, quam potestatem Voci *fidei* tribuant? Mirum est homines illos propterea nobis insultare, cum tamen ipsi centies licet interrogati, quid *Naturæ* omnia sustinentis, aut *Casus* omnem ordinem mundi efficientis, nomine intelligant, ne quidem explicare, aut definire hactenus potuerint. Quod si hic vel ille Doctor publicus de fide vel ingenere, vel de *justificante* in specie, obscurius locutus sit, num propterea hoc omnibus Christianis in genere est tribuendum? Ubi manent æquitatis & ratioci-

tiocinationis leges? sed non opus est, ut prolixiores hic simus, conferatur Cap. I. Part. II. tractatus. Joh. *Clerici de l'Incredulité.*

Quæritur, utrum detur Religionis naturalis, vel Principiorum Juris Naturalis, ignorantia invincibilis.

Cum in antecedentibus ostenderimus, in quam turpi multi homines rerum sanctissimarum versentur ignorantia, quæret forte quisquam, utrum ergo putemus, dari, ut Theologi & JCti loquuntur, Juris Naturalis principiorum *Ignorantiam* quandam *Invincibilem.* Antequam alterutram in partem quicquam de hac quæstione pronuntiamus, quædam ad explicationem hujus argumenti sunt necessario præmittenda. Et (1.) quidem dicimus, infinitam videri esse, mentium humanarum diversitatem, cum respectu naturæ primigeniæ, quam ab O. M. Numine acceperunt, tum respectu culturæ rationis. Quod ad *prius* spectat, experientia notum, homines respectu facultatis percipiendi, imaginationis & memoriæ infinitis gradibus inter se esse distinctos. Atque hæc mentium diversitas videtur locum habere, ante omnem institutionem & meditationem. Cum enim Deus infinitam rerum corporearum effinxerit varietatem, adeo ut recentiorum Philosophorum opinione, nullum corpus detur, quod alteri per omnia simile sit, nescio cur dicendum tandem esset, mentes humanas respectu originis suæ, per omnia similes esse. Videmus certe gemellos, sub eodem cœlo in lucem editos, iisdem Parentibus prognatos, eodem Cibo & potu altos & enutritos, mirum quantum, si ad vires mentis respiciamus, inter se differre: unde & illa ingenii diversitas mature in Infantibus sese exerit. Hujus rei ratio, melius nostra opinione petitur, ex primæva mentis constitutione, quam vero ex Corporis structura, spirituumque animalium operationibus. Quicquid autem de eo sit, certum est, infinitam esse ingenii humani varietatem. (2.) Certum est, posse omnes homines, multum conferre ad perpoliendas & perficiendas animi facultates. (3.) Contendimus, quod & per se omnibus constat, ad Principia illa Juris Naturæ & prima capita Religionis Naturalis cognoscenda opus esse aliqua attentione & meditatione. (4.) Quando dicimus, homines hæc principia juris Naturalis cognoscere posse, Theologiæ Naturalis nomine non intelligimus, scientiam philosophicam horum principiorum, definitionibus, axiomatibus & propositionibus evidenter inter se connexis, constantem. Tali cognitione pauciſſimi mortalium sunt instructi, licet de veritate horum principiorum nullatenus dubitent. Sed cognitionis nomine intelligimus persuasionem de horum principiorum veritate, licet, qua ratione Originem habeant & inter se connexa sint, accurate ostendere non possint.

Ita v. gr. experientia omnes mortales sciunt, effectum ponere causas, quicquid factum est ordine, id requirere causam intelligendi vi instructam. Has propositiones omnes homines, qui sensu communi sunt instructi, admittunt; possunt igitur easdem ad quæstiones, de quibus agitur transferre, quod nimirum Mundus habeat causam, eamque sapientissimam, potentissimam, Optimam. Eandem mundo præesse, & quemadmodum inter Triangulum & Cubum est discrimen intrinsecum, ita etiam tale esse inter sobrietatem & ebrietatem, inter misericordiam & sævitiam: observantiam denique officiorum reddere homines felices, &c. &c. (5.) Quando asserimus, omnes homines hæc generalia principia cognoscere posse, nolumus hoc ita intelligi, ac si nullus plane esset homo, in quocunque statu positus, quin actu hæc principia cognoscat; dantur enim homines, qui ab ipsa nativitate vel morborum vitio, vel aliis ex causis, ratione, quantum constat, uti non possunt. Sunt insuper, qui immanitate quadam ita sunt efferati, ut a bestiis parum differant. Sed universalitatem illam ita intellectam volumus, quod omnes homines, sensu communi præditi, adhibito aliquo ingenii conatu & mediocri attentione, ad horum principiorum cognitionem pervenire possint. Hisce in antecessum notatis, adserimus, non dari horum principiorum *Ignorantiam invincibilem.* Ut autem ita sentiamus, sequentibus adducimur rationibus. Et (1.) experientia constat, homines omnes sensu communi præditos, ad cognitionem multarum artium & scientiarum pervenire posse. Quanquam enim in eo sit magna humanorum ingeniorum diversitas, adeo ut quidam maximos faciant progressus, alii vero difficulter paulo difficiliora intelligant, certum tamen est, omnes, labore & diligentia multum efficere posse. At contendimus, cognitionem, saltem popularem, Religionis Naturalis principiorum captu & Intellectu non esse difficiliorem, hac ipsa artium & disciplinarum peritia. Inde & gentilium Theologia ineptissima licet superstitione incrustata, nihilominus tamen generalia illa principia passim admisit. Neque obstat, quod plebs inter Gentiles sacrificulorum potius & Poëtarum secuta sit deliramenta, quam Philosophorum Decreta. Hæc enim objectio duntaxat hoc unum probat, homines nimirum, qui nullam plane habuerunt ingenii curam; qui ineptissima quæque sine examine admiserunt, de origine autem sua & rerum omnium per vitam non cogitarunt, ineptas has opiniones credidisse. At enim dixeramus antea, opus esse, ad principia illa cognoscenda attentione aliqua; neque adeo probat,

probat, Religionem rem esse, cujus natura & indoles, adhibita omni diligentia & attentione cognosci tamen non possit. Observandum præterea, Gentiles, Theologiæ Naturalis principia & opiniones vulgo de Diis receptas, turpiter commiscuisse; hinc aliquando v gr. de Jove ita loquuntur magnifice, ut facile pateat, ideas illas ex sacerdotum & Poëtarum disciplina non esse haustas, sed reliquias duntaxat esse cognitionis de DEO, vel per ratiocinationem, vel per Traditionem acceptas. Idem contigit Vulgo Christianorum, Pontificiæ Religioni addictorum. Cultus Dei & sanctorum passim turpiter miscetur. Nemo tamen inde tuto colligat, plebem Romanensium sacra sequentem, omnia plane Religionis Naturalis & Revelatæ decreta tollere. (2.) Cum ex ipsa hominis Creatione, facultatibus item ipsi a DEO datis, rationibusque aliis constet, homines ad colendum Numen & sui legitimam conservationem factos esse, sequeretur, Deum homines plerosque ad impossibile obligare, nisi adhibita aliqua diligentia & attentione principia illa cognosci possent. Quod quam impium sit de Deo cogitare, nemo non videt. De *Caligula* testatur *Suetonius* c. 4. vitæ hujus Imperatoris, eum tabulas legum tam minutis characteribus scribi jussisse easque tam alte suspendisse, ut legi non potuerint, nec minus tamen transgressores pœnis subjecisse. Quæ nonnisi a crudeli Tyranno fieri potuerunt. Quid igitur magis esset Bonitate Dei indignum, quam mentes creare & in exiguum hoc corpusculum immittere, eas nobilissimis facultatibus instruere, ad cultum Numini præstandum eas obligare, simul tamen ita eas fingere, ut viribus ad intelligendas leges præscriptas prorsus destituantur, aut potentiam eadem aliquam ratiocinandi iis concedere, sed officia simul talia præscribere, quæ ne a millesimo quidem adhibita etiam omni diligentia & labore cognosci possent? (3.) *Paulus Apostolus* ad Rom. Cap. I. & II. non solum adserit, id quod de Deo naturaliter cognosci potest, manifestum fuisse gentilibus: Sed & legem naturalem scriptam esse in cordibus eorum; quæ duo testimonia, licet Interpretes non per omnia eodem sensu intellecta velint, omnes tamen in eo consentiunt, eam esse legum illarum naturam, ut adhibita qualicunque diligentia probe intelligi possint. Vel quomodo alias Gentiles cognitionem Numinis turpiter negligentes, possent dici ἀναπολογητοι? quo fundamento Apostolus idem adserere posset, Deum gentiles legem scilicet revelatam non habentes, secundum legem tamen naturalem judicaturum esse? Cur Deus adeo ira exarsisset, ut Apostolus ait contra Gentiles, si sci-

visset neminem eorum adhibita qualicunque etiam cura & solicitudine ad illorum principiorum & officiorum cognitionem unquam pervenire potuisse? Neque Thesin hanc subvertunt testimonia Itinerariorum scriptorum, ad quæ *Lokius*, *Baylius* aliique provocant, probaturi, dari gentes, ita immanitate efferatas, ut nullum habeant sensum Numinis, saltem nullis manifestis indiciis, ac si cognitione quadam principiorum Religionis & legum Naturalium essent instructi, prodant. *Primo* enim testimonia testimoniis illis contraria opponi possunt, quod a doctissimis Viris, *Fabricio* (*), la Croze (**), Fenelonio (***), *Grapio* (****) & aliis factum. *Secundo*, pauciſſimi linguas Barbararum Gentium rite intelligunt; hinc post tot labores & meditationes v. gr. nondum conveniunt Eruditi, utrum *Sinenses* nomine TIEN & THANG-TI cœlum ipsum, an Dominum cœli intellexerint. *Tertio* non tam diu plerique inter homines illos conversati sunt, ut consuetudines & opiniones eorum exacte habere potuerint perspectas. Hinc sæpe factum, ut quos omni prius Numinis cognitione destitutos existimaverant, re melius introspecta, & moribus linguisque rectius intellectis, sese deceptos fuisse, Viri docti ipso opere deprehenderint. (*****) Quic-

(*) In Apologia Generis Humani contra calumniam Atheismi, quæ inserta est operibus ejus junctim Tiguri editis.

(**) Dans les Entretiens sur divers sujets d'Histoire &c. pag. 254.

(***) In præfatione libello de demonstratione Existentiæ Dei præmissa.

(****) In Theologia recens Controversa.

(*****) Exemplo *Hottentottorum* hoc contra *Baylium* ostendit Reverendus *Reinbeckius* in seiner *Betrachtung über die Augspurgische Confession. I. Betrachtung.* S. XXX. p. 31. not. verba ita sonant: Bayle in seiner Continuation de Pensées sur les Cometes beruset sich S. 104 p 489. edit. 8. und am Ende der 145. S. auf Dappers Beschreibung von Africa, dass derselbe versichere, man bemerke unter den Hottentotten gar nicht, dass sie einige Gottheit verehreten, ob sie gleich ein höchstes Wesen erkenneten. Allein die neuesten Nachrichten, die man von diesem Volke hat, bezeugen das Gegentheil. Zwar hat einer von den neuesten Scribenten, M. *PETER KOLBE*, der selbst auf zehen Jahr sich auf dem Vorgebürge der guten Hoffnung aufgehalten hat, in einem seiner ersten Briefe, die er heraus geschrieben, berichtet, dass die Hottentoten das Wesen Gottes, seine Allmacht, Allwissenheit, und alles, was man von Gott mit Recht sagen könte, gänzlich nicht erkenneten, auch nichts von den Grund-Reglen der natürlichen Erkäntnus Gottes wüsten. Allein hernach, da er mit diesem Volk näher bekant zu werden Gelegenheit gefunden, hat er seine vorige Meinung zu ändern sich genöthiget gesehen, wie er in dem zweyten Theil seiner vollständigen Beschreibung des Africanischen Vorgebürges der guten Hoffnung, und zwar in dem fünften Brief weitläuftig an den Tag leget. Eben so berichtet auch der Probst

Quicquid autem sit de Gentibus illis Barbaris, hujus Quæstionis solutio parum adjuvat *Incredulos*. Ipsi enim in florentissimis Europæ degunt Regionibus, in quibus scientiæ & artes excoluntur. Et licet nobilis Europæ pars Religionem castam & puram, turpi superstitione commaculaverit, nihilominus tamen hæc principia generalia passim inter omnes admittuntur. Probandum igitur esset *Incredulis*, aut principia illa generalia Religionis Naturalis esse propositiones mere contradictorias, aut ita falsas, ut quam primum intelliguntur, earum vanitas illico compareat. *Prius* nemo sanæ mentis, quod sciam unquam adseruit: *Posterius* autem si tueantur *Increduli* nostri, inepte sibi concedi postulant, quod negamus: Et si (uti supra diximus) principia illa adeo levi nituntur tibicine, si a quovis mediocris ingenii homine convelli possunt, cur ingenium omne & aciem, quam habent, impendunt, ad stramineas illas scilicet, si Diis placet, propositiones subvertendas? & ubi tandem gentium sunt illa argumenta φοβητικα, quibus acuti homines religionem omnem falsi conficerunt? Sane si graviora iis, quæ a *Spinoza*, *Collino* & *Tolando*, *Incredulorum Hyperaspistis* in medium prolata sunt, non adducuntur, causa non est, cur Eruditi objectiones *Incredulorum* in posterum admodum pertimescant. (*)

Probst ZIEGENBALG, einer von den ersten Dänischen Missionariis auf der Küste Coromandel, dass er, als er bey seiner Anländung auf den vorgedachten Gebürgen einen Hottentotten gefraget, ob sie denn auch wüssten und glaubten, dass ein Gott wäre, er die Antwort erhalten habe: „ Herr wer will denn nicht „ glauben, dass ein Gott sey. Wers nicht glaubt, der kan über sich und unter sich sehen, so wird er ja wohl befinden, dass ein Gott sey. „ Conferatur insuper Lib. VI. Historiæ Christianismi Indorum, scriptæ ab Eruditissimo la Croze.

(*) Ex iis, quæ hoc loco dicta a me sunt, nemo colligere debet, ac si argumentum, ab universali Gentium consensu petitum, ad demonstrandam Numinis existentiam pro demonstrativo habeam. Semper enim putavi, & adhuc existimo, si vel maxime historicis argumentis, consensus ille omnium populorum, quod tamen præstitu vel plane impossibile, vel saltem difficillimum est, probari posset, nihil aliud ex eo patere, quam hoc: Nimirum persuasionem de existentia Numinis esse captu facilem, & adhibita mediocri attentione adquiri posse; aliunde igitur probanda est certitudo hujus veritatis, quum dentur etiam opiniones erroneæ, quæ a plerisque mortalibus pro veris habentur. Conferenda cum iis, quæ de hoc argumento dixi, erudita dissertatio Celeb. & conjunctissimi Collegæ J. Breitingeri de vi argumenti, quod a consensu Multitudinis duci solet, edita Tiguri 1748.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

THESIUM THEOLOGICARUM ET PHILOSOPHICARUM. (*)

I. Resurrectio Christi a mortuis veritatem Religionis Christianæ evidentissime probat.

II. J. Christum sese victimam piacularem pro peccatis nostris obtulisse, constantissima S. Literarum doctrina est.

III. Si quis dubitet sitne regenitus nec ne, tutissimum est, ut se nondum regenitum esse credat.

IV. Æquitatem præcepti Apostolici: quod nimirum quicquid non ex fide oritur peccatum sit, Ethnici agnoverunt, qui teste Cicerone *Lib. I. de Off. nil faciendum præceperunt, de quo dubites, æquum sit an iniquum.*

V. Cum Deus, qui Revelationis Auctor est, sit etiam Auctor rationis, fieri nequit, ut Revelatio quicquam doceat, quod manifestissimis rationis principiis contrarium sit.

VI. Consequentiæ legitimæ ex claris locis Scripturæ deductæ respectu nostri sunt certius Dei verbum, quam sensus immediati locorum difficilium & ambiguorum.

VII Ecclesiam Romanam fallibilem esse hoc unum satis docet, quod crassissimam contradictionem pro fidei dogmate longe gravissimo habeat.

VIII. Nullum est Systema Theologiæ vel Philosophiæ, quod omnibus difficultatibus circa originem mali moralis & Physici occurrentibus ex asse satisfaciat.

IX. Cognitio linguarum orientalium, Veterum historiarum, consuetudinum, rituum, opinionum, non tanta hodie comparari potest, quæ sufficiat omnibus scripturæ locis intelligendis, omnibus difficultatibus & dubiis solvendis, omnibusque apparentibus contradictionibus conciliandis.

X. Quid ad salutem consequendam necessario credendum sit, quisve error a salute excludat, is solus decernere potest, qui est salutis & Exitii Dominus.

XI. Fal-

(*) Thesibus Theologicis jussu venerandorum Præsidum quædam philosophicæ erant adjiciendæ, quia Cl. Philosophiæ Professor gravi morbo implicitus officio suo hac in parte satisfacere non potuit.

XI. Falsissimum est, quod contendunt Athei, nimirum propositionem hanc: mundus ex nihilo factus est, *contradictionem involvere.*

XII. Gravissimum argumentum pro immortalitate mentium humanarum, quod ratio suppeditat, petendum est ex virtutibus Dei moralibus.

XIII. Definitio Dei, quam exhibet Illustris Wolfius, *quod nimirum sit Ens in quo reperiatur sufficiens ratio existentiæ omnium rerum, innocentissima est, & a Spinozæ deliramentis toto cœlo diversa.*

XIV. Neutrum argumentorum Cartesii pro existentia Dei, ab idea Dei petitorum contra Atheos afferendum. Non prius, *quia merum est Sophisma: Non* posterius *quia innumeris exceptionibus est obnoxium.*

XV. Non ita extollenda est libertas hominis, ut inde gratia Dei obscuretur, neque ita deprimenda est libertas hominis, ut inde judicii divini æquitas labefactetur.

XVI. Libertas, id est vis pro idearum, sensationum & adfectuum diversitate judicandi & agendi, menti essentialis est, neque adeo ei eripi potest.

XVII. Officia Juris Naturalis non ideo justa sunt, quia Deus ita voluit; sed ideo Deus illa vult, quia justa sunt.

XVIII. Cum neque mentis neque corporis adæquatam habeamus cognitionem, sequitur nullum systema, explicandi nempe unionem, quæ inter corpus & mentem intercedit, confici posse, quod demonstrativis nitatur principiis.

XIX. Licet omnes hypotheses de commercio corporis & mentis, variis difficultatibus obnoxiæ sint, nobis tamen videtur Systema causarum occasionalium *omnium maxime periculosum & Religioni inimicum esse.*

XX. Sententia eorum, qui statuunt, bruta Animantia meras esse machinas nullis certis rationibus est superstructa; rationi contra & experientiæ consentaneum est dicere, Deum singulis animantibus, vim quandam sentiendi & intelligendi, gradibus perfectionis distinctam, concessisse, sed eum duntaxat in finem, ut quæ ad vitam animalem sustentandam facere possunt, cognoscant.

MEDITATIONIS DE CAUSIS MAGIS MAGISQUE INVALESCENTIS INCREDULITATIS, ET MEDELA HUIC MALO ADHIBENDA.

PARS II.

Sect. I.

Transitus fit ad sequentes Incredulitatis causas enarrandas.

ACcedimus jam quidem ad alias causas, quæ mentes hominum in vitium *Incredulitatis* conjicere possunt. Atque hic ante omnia, si naturalem dicendi ordinem sequi vellemus, de falsis & ineptis opinionibus, quibus passim homines imbuti sunt, quæque cum sanctissimis Religionis capitibus pugnant, verba essent facienda. Tristi enim constat eheu! experientia, multas falsas, futiles, imo pestilentes & Numinis Majestate indignas opiniones inter homines esse receptas, altissimeque animis, plebis præsertim, infixas. Hæ nonsolum obstant, quo minus pura castaque Religio, cultusque Numinis λογικος radices in animis agere possint; sed & alios ut abjecte de Religione sentiant, inducunt, efficiuntque, ut Increduli opinionibus semel arreptis veluti saxo adhæreant. Ea autem est anticipatarum opinionum natura, ut haud facile animis eximantur: quo altiores radices egerunt in mente eo difficilius evelluntur. Haud male opiniones ejusmodi passim receptas *Idola Generis humani* appellavit Illustris *Verulamius*. Quemadmodum enim homo tetra superstitione captus & inani Deorum vel Sanctorum metu constrictus, nonsolum magnifice & reverenter de iis sentit, fabellas omnes de iis traditas admittit, nihil nisi consultis prius

tam

tam caris Protectoribus tentat & agit, sed & male cupit omnibus quicunque meritis, Potentiæ & Majestati eorum detrahere videntur; ita solent similiter homines ineptis opinionibus imbuti, atque delusi, sententias a pueritia de Religione acceptas magni facere, eas tanquam axiomata nullis exceptionibus obnoxia deosculari, ratiocinationes denique suas & actiones ad eas tanquam ad lydium aliquem lapidem exigere. Quod si vero animum ad contemplandas hasce opiniones convertamus, constabit, eas non tam cum mente ipsa nasci, aut ex natura ejus atque indole erui, sed potius pravæ Institutioni, Educationi, Lectioni, aut exemplis aliorum deberi, atque adeo potius ad *causas externas*, quæ mentem ad *Incredulitatem* invitare possunt, quam vero ad *internas*, quæ ex fundo ut ita dicam cordis enascuntur, esse referendas. Necesse igitur est, ut antequam de opinionibus Religioni inimicis, quæ aliunde ortum trahunt, agamus, prius de causis *internis* animum a casta Religione abducentibus, simus solliciti.

Vitiosæ animorum inclinationes & adfectiones præcipuæ causæ sunt crescentis indies Incredulitatis.

II. Atque hic quidem, si naturam atque constitutionem mentis humanæ rite contemplemur, nobis ante omnia occurrunt parvæ hominum inclinationes & adfectiones, quas *Affectus* vocare solent Philosophi. De Affectibus hisce in se spectatis, eorum origine, natura & viribus, multis non agemus, quandoquidem hæc a Philosophis & disciplinarum moralium cultoribus prolixe satis tractantur, atque ab instituto nostro sunt aliena. Pauca duntaxat, quæ ad scopum nostrum facere videntur, de iis monebimus. Per affectus, (ut tribus verbis mentem nostram de eorum natura pandamus) intelligimus vitiosas animi inclinationes & vehementiores commotiones, quibus, neglectis rationis legibus, spretisque divinis & humanis præceptionibus, ea duntaxat homines meditantur, moliuntur, omnibusque votis expetunt, quæ ipsis grata, jucunda atque accepta sunt. Inclinationes animorum in se spectatæ malæ non sunt, imo potius illæ a summo rerum omnium Moderatore sapienter mentibus sunt inditæ & ad exercendas omnis generis virtutes prorsus necessariæ. Male autem fiunt non solum quando vehementiores sunt mentisque & corporis viribus nocent; sed & tum potissimum, ubi rectæ rationis Decretis, voluntatisque divinæ normæ non subjiuntur. Ratio ab Optimo Numine nobis eum in finem est data, ut Rectricis ad instar imperium in nostras inclinationes animique affectiones teneat; rationis vero & Revelationis præcepta, normæ sunt, secundum quas actiones nostras instituere tenemur. Hæc ubi negliguntur belluinam potius quam humanam vitam

vivunt homines. Sed hæc notiora ſunt, quam ut prolixâ explicatione opus ſit. Conſtat autem, quod nemo ignorat, plerosque mortales ſiniſtris opinionibus captos, pravisque animi affectionibus compulſos, non tam ad veri rectique normam, ſaluberrimorumque præceptorum regulas, quam vero ad prava animi deſideria judicia ſua & actiones exigere. Ea autem affectuum horum eſt natura, ut quo altiores in animis egerunt radices, eo magis etiam homines iis obtemperent, cæterasque facultates in conſenſum rapiant, imo vinclis quaſi conſtringant. Intellectus, qui lux eſt mentis, obtenebratur, ſeu ut clarius loquar, voluntatis & affectuum vehementia fit, ut homines res ita concipere, itaque de iis judicare velint, uti id menti pravis opinionibus captæ & rerum illicitarum amore ineſcatæ, placet. Hinc paſſim, ubi de rebus moralibus agitur, perverſiſſime audias diſſerentes viros cætera non indoctos & variis diſciplinis probe excultos, at pravis ſtudiis captos: adeo, ut in eundem hominem tam diverſam judicandi & ſentiendi rationem cadere poſſe, ſæpe vix tibi perſuadeas. Quemadmodum autem vehementiores illi impetus, omnibus mentis facultatibus damnum adferunt, ſic luci intellectus, qui oculus eſt mentis, quammaxime officiunt. Recte *Boëthius:*

Nubila mens eſt
Vinctaque frænis
Hæc ubi regnant,

Hinc S. noſter Soter Matth. VI: 32. ait: Ἐαν δε ὁ ὀφθαλμος σȣ πονῆρος ἦ, ὁλον το σωμα σȣ σκοτεινον ἐςαι, ἐι ȣ̓ν το φως το ἐν σοι σκότος ἐςι, το σκοτος ποσον? cum hiſce Soteris monitis conveniunt ea, quæ ab *Hierocle* in Commentario ad aurea Carmina *Pythagoræ* paſſim allata ſunt; Ita ſtatim poſt initium pag. 4. Edit. *Curterii* ait: ὡσπὲρ γαρ ὀφθαλμω λημωντι, καὶ ȣ̓ κεκαθαρμενω τα σφοδρα φωτεινα ἠδειν ȣ̓χ ὁιοντε: ȣ̓τως καὶ ψυχη μη ἀρετην κεκτημενη το τῆς ἀληθειας ἐνοπτρισασθαι καλλος. (*) i. e. *Ut enim lippitudine laborante oculo, nec purgato, quæ valde lucida ſunt, videri non poſſunt: Ita nec animo virtute carenti cernitur veritatis pulchritudo.* Et pag. 282. ἐπει ȣ̓ν τὸ δειξαι τινι ὁτιȣν δυο προσωπων ἐνεγρειας εἰς ἀυτο δραμȣσας ἐμφαινει (πως γαρ ἀν δειξας τυφλω καὶ μυριακις προςφερης, ὁ βȣλη δειξαι; ἠ πως ἀν τω ὁρωντι δειξαις μηδεν προσαγων;) ἀμφοτερα ȣ̓ν παρειναι

(*) Poſt vocem καλλος, in Codice Mſcto optimæ notæ, Dacierio ab Illuſtri Renaudotio communicato, adjicitur, quod & ſenſus poſtulare videtur, ἀμηχανον. Vide notas Dacierii pag. 245. ſq.

παρειναι δει; το τε παρα τȣ δεικνοντος προσαγομενον ἀγαθον καὶ παρα τȣ ὡ δεικνυται διορατικον ὀμμα, ἱνα ἐκειθεν μεν το ὁρατον, ἐντευθεν δε ἡ ὁρασις συνδραμη προς την της δειξεως συμπληρωσιν. i. e. *Quoniam vero ad quamcunque rem alicui ostendendam duarum personarum actiones in unum constat debere concurrere* (qui enim *cæco quod cupis ostendas, etiam si millies proferas? aut qui videnti demonstres, quod non proferas*) *utrumque certe adesse convenit, & bonum quod ab eo proponitur, qui ostendit, & ejus videndi capacem oculum, cui res ipsa ostenditur; ut hinc quod in videndi sensum cadit, inde autem visio ipsa ad ostensionis effectum concurrant.* Affectus autem hosce in causa esse, quo minus homines de rebus gravissimis & ad Religionem potissimum spectantibus, recte judicent, deprehendent omnes, qui paulisper ad naturam *Veritatis* attendunt; cum enim in inquirenda veritate ratio duntaxat habenda sit nexus propositionum, ex quibus erroris vel veritatis oritur cognitio, homines vero impotentibus adfectibus abrepti, ad ea duntaxat, quæ grata atque accepta sunt respiciant, mirum non est, eos lubentissime adquiescere in iis conclusionibus & opinionibus, quæ amice cum pravis animi desideriis conspirant. Hac autem peste si semel est afflata mens, nihil tam ineptum & ridiculum, nihil tam monstrosum atque detestabile est, quod homines illi non adsensu suo comprobent, atque tueantur. Habet autem hoc, uti dixi, maxime locum in rebus ad Religionem & ad officia pietatis facientibus. Veræ, id est Christianæ Religionis scopus potissimus non is est, ut nos acutiores, doctiores aut eloquentiores, sed ut nos meliores, vel ut cum *Apostolo Paulo II. ad Timoth. III: 17.* loquar, ut nos προς παν ἐγρον ἀγαθον reddat ἐξηρτισμενȣς. Hæc, ut idem *Apostolus ad Rom. XII: 2.* divine monet, nos vult μεταμορφȣσθαι τη ἀνακαινωσει τȣ̃ νοος. *Facere, divina hæc Philosophia*, ut verbis *Erasmi* utar, *docet; non dicere. Hæc in affectibus potius piis sita quam in Syllogismis; Hæc vita magis quam disputatio, afflatus potius quam Eruditio, transformatio denique magis quam ratio.* Hæc qui perpendit, facile sentiet, homines pravis adfectibus captos & vitiis deditos, de rebus adeo sanctis & divinis recte & sincere judicare non posse. Aliud plane est judicare de rebus historicis, criticis, aut de quæstionibus philosophicis, ad mores formandos nihil aut parum facientibus: aliud vero expendere dogmata, quæ natura sua ita comparata sunt, ut per evidentissimas consequentiæ leges mentes ad pie vivendum, cunctisque pravis desideriis valedicendum, & quidem sub æterni exitii pœna, obstringant. Fieri enim aliter non potest, quam

ut tales homines auditis tam ingratis præceptionibus indignentur, easque aut aliter plane interpretandas esse velint, aut prorsus attentione dignas esse negent. Ne forte frustra quidam hæc a me dici clament, confirmationis loco adducam duorum *Theologorum* eruditione, pietate & ingenio eminentissimorum, S. nempe *Werenfelsii*, & J. F. *Osterwaldii* in eodem argumento occupatorum, verba: Prior in examine quæstionis: *Cur Incitamenta Scripturæ sæpe inefficacia* pag. 149. Edit. prioris ita loquitur: *Homines mundo immersi perdunt omnem gustum bonorum Spiritualium: plane ut tandem non magis apti sint ad ea cognoscenda & sentienda, quam Epicuri de grege porcus, qui in ventre saginando ætatem consumit, concipere valet, cujus generis sit illa voluptas, quam Philosophus capit ex contemplatione veritatis. Certum enim est, plerosque avaros, ambitiosos, voluptatibus deditos, gustum ita depravatum habere, ut illis nil sapiat nisi aurum suum & argentum: Istis nihil, nisi cum sentiunt, se turma eximi, digitoque monstrari: hi denique nullam voluptatis ideam animo concipere possunt, nisi quæ crassa sensuum organa ferit. Propone his bona alterius generis, quantumlibet excellentia, perinde est, ac si cæco formæ pulchritudinem commendares, ac surdo laudares Musicæ dulcedinem.* Posterior vero in utilissimo & bonæ frugis plenissimo libello, cui titulus: *Source de la corruption* &c. pag. 249. secundum versionem latinam ipsius Cl. *Werenfelsii*, ita mentem suam explicat: *Fieri nequit ut ab eo, qui cor mundo addixit, Religio & virtus ametur. Nemo ait Christus (Matth. VI: 24.) duobus Dominis servire potest, & Johannes (1. Joh. II: 15.) negat in eo esse amorem Dei, qui mundum amat. Usque adeo spiritualia à corporalibus distant, ut ad hæc inepti fiant, quotquot illis valde occupantur. Nempe terrenis illis curis homines paulatim ita carnales redduntur, atque ita si dicere licet pinguescunt & obbrutescunt, ut brutorum instar nihil nisi quod sensus afficit, percipiant. Quid? quod ita paulatim ignorantia & desidia alitur animus, omnesque eius propensiones terræ affigantur. Vilescunt, ubi res eo rediit, bona spiritualia, atque homo ad illa pro merito æstimanda, sinceroque studio quærenda, inhabilis redditur. Et quis quæso credet, illos, qui nihil aliud cogitant, quam quo pacto opes corradant, potentium gratiam aucupentur, ad dignitates & honores grassentur; quis inquam credet, hos aliqua salutis cura tangi posse? Nemo non videt, curas tam diversas simul consistere non posse.* Ita pius & eximius ille Theologus.

III. Inter

III. Inter omnes autem affectus Religioni inimicos, quique homines facile in Vitium *Incredulitatis* præcipites dare possunt, merito referas *Ambitionem*. Qui hoc vitio laborant, nonsolum magnifice de se, suisque virtutibus sentiunt; sed & incredibili laudis & honoris desiderio flagrant. Studium harum rerum eos impellit, ut sollicite circumspiciant, qua ratione ingenii & eruditionis famam consequantur. In hoc vitium non tam incidere solent homines indocti, hebetes, nullisque exculti disciplinis, quam vero vel semidocti, vel ingenio etiam præstantiore ornati. Plerique ex hoc numero, literas non tam excolunt, ut sapientiores & meliores evadant, quam vero ut famam hominum eruditorum, atque acutorum qualitercunque adquirant. Hinc in eo toti sunt, ut mentem variarum rerum abstrusarum præsertim cognitione imbuere, de omnibus disserere, contra quosvis disputare, immota convellere, novas, generi licet humano nihil profuturas sententias & opiniones excogitare, atque ita per ora virorum celebrium volitare possint. Quicquid igitur aliquid conferre potest ad laudem illam consequendam, avidissime arripiunt. Non est animus hic ostendere, quam turpiter se se multi ex his, quos inanis illa gloria & eruditionis fama vexat, deridendos sæpe dederint. Hoc enim nos ab Instituto nostro longius abduceret. Probandum duntaxat nobis est, *Ambitione*, laudisque immensa cupiditate flagrantes, sæpe ad *Incredulitatem* rapi. Nimirum norunt hi homines, ea, quæ ad Religionem cultumque Numinis spectant, a plerisque mortalibus pro rebus sanctissimis, maximique momenti haberi; haud ignorant insuper, multos dari Religionis Articulos, qui ab omnibus aut saltem plerisque, iisque doctissimis etiam & acuti ingenii viris tanquam certissimæ & evidentissimæ veritates admittantur. Igitur putant è re sua esse, ut ea, quæ maxime certa, gravia & immota esse videntur, convellant, utque contra novas & paradoxas de Religione in medium proferant sententias, eruditissimorum Virorum argumenta, quibus Religionem hactenus strenue defenderunt, si fieri possit concutiant, ita enim quosvis, auditis tam raris & inauditis propositionibus & objectionibus, in maximum stuporem iri raptum, tantumque ingenii acumen, & rara mentis dona admiraturos & publicis laudibus in cœlum elaturos. Hoc studio incensi nonsolum in colloquiis & scriptis portentosissimas opiniones tuentur, gravissimaque Religionis capita rident & explodunt, sed & omnem curam atque sollicitudinem adhibent, ut rara hæc

Ambitio inprimis religioni est noxia.

Ευρηματα Erudito orbi innotescant. Hoc si sunt consecuti, vehementer sibi plaudunt atque cum *Lucretio* (*) identidem exclamant:

Nil dulcius est bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena
Dispicere unde queas alios passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

Infra manifestissimorum exemplorum inductione probabimus, quantopere tetra illa lues, *Ambitionem* puto, optima corruperit ingenia. Heic duo tantum Exempla adduxisse juvat. Prius est J. *Tolandi*, famosi illius Athei, vel Deistæ. Quisquis hominis illius non contemnendo ingenio instructi vitam, mores, editosque ingenii fœtus perpendit, facile deprehendet, *Ambitionem* omnes ipsius venas pervasisse. Ineptissimas enim opiniones cum fortunæ & existimationis detrimento ad finem usque vitæ defendit. Cum Juvenis adhuc Lugd. Batavorum Literis

(*) Ipse *Epicurus* quem tantis extollit laudibus *Lucretius*, vanissimo, si Plutarcho credimus, gloriæ studio captus fuit. Hinc in libello cui titulus: *Ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicurum*, ita loquitur: Καὶ μην ἀπο δοξης γινεσθαι τινας Ἐπικουρος ὡμολογει. Τι δε οὐκ ἐμελλει, αὐτος ὑτος σπαργων περιμανως, καὶ σφαδαζων προς δοξαν, ὡς τε μη μονον ἀπολεγεσθαι τους καθηγηθας μη δε Δημοκρατει τω τα Δογματα ῥημασιν αὐτοις ὑφαιρουμενω Ζυγομαχειν περι συλλαβων καὶ κεραιων, σοφον δε μηδενα φαναι, πλην αὐτου γεγονεναι καὶ των Μαθητων, ἀλλα γραφειν ὡς κωλοτης μεν αὐτόν φυσιολογουντα προσκυνισειν γονατων ἀψαμενος, Νεοκλης ὁ ἀδελφος ἐυθυς ἐκ παιδων ἀποφαινοιτο μηδενα σωφοτερον Ἐπικουρου γεγονεναι; ἐιτα οὐχ ὡσπερ καλλικρατιδις ἐλεγε τον κωνονα μοιχευειν την Θαλατταν, ὑτως ἀν τις ἐιποι τον Ἐπικουρον αἰσχρως καὶ κρυφα πειραν καὶ παραβιαζεσθαι την δοξαν οὐ τυγχανοντα φανερως, ἀλλα ἐρωντα καὶ κατατεινομενον. ὡσπερ γαρ ὑπο λιμου τα σωματα τροφης μη παρουσης ἀναγκαζεται παρα φυσιν ὑφ αὐτων τρεφεσθαι, τοιουτον ἡ φιλοδοξια ποιει κακον ἐν ταις ψυχαις, ὁταν ἐπαινου πεινοντες παρ ἑτερου μη τυγχανωσιν, αὐτους ἐπαινειν. i. e. *Porro a gloria etiam proficisci quasdam voluptates Epicurus fatetur, Qui vero hoc non faceret? Ita insano flagrans gloriæ studio, ut non modo negaret, ullis se usum præceptoribus, & cum Democrate decreta ejus totidem verbis suffurato altercaretur de syllabis & apicibus, nullumque diceret extitisse sapientem, extra se & suos discipulos; sed scriberet etiam sibi, cum explicaret naturam rerum ad genua accidisse suppliciterque ea tetigisse Coloten: Neoclem autem fratrem statim a puero pronuntiavisse, neminem Epicuro sapientiorem unquam fuisse; matrem quoque suam in se tot tantasque habuisse atomos, quarum congressu sapiens ederetur. Non igitur sicut Callicratidas ajebat, Cononem mare adulterare, ita jure aliquis dixerit, Epicurum turpiter ac furtim captare gloriam viduque in eam sese ingerere, cum palam ea non patiatur, sed amet tantum ac totis viribus affectet? Sicut enim præ fame corpora cibo destituta coguntur contra naturam ex se ipsis alimentum petere; ita ambitio hoc mali in animis ingenerat, ut laudum avidi, quando ab aliis eæ non conferuntur, ipsi sese laudent.*

Literis operam daret, atque inprimis duce Cl. viro *Spanhemio* Antiquitati Eccleſiaſticæ operam navaret, neque male in Literis proficeret, jactaverat, ſe quam primum in Angliam eſſet venturus, novæ ſectæ caput futurum. Certe hoc morbo & quidem graviter laborare Tolandum mature deprehenderunt *Lokius*, *Clericus*, *Molyneſius*, Viri eruditiſſimi & ingeniorum exploratores ſolertiſſimi. Vide pluribus hæc ediſſerentem Celeb. *Moshemium in Commentatione de vita, fatis & Scriptis Tolandi pag. 23. ſeq.* Poſterius Exemplum ſuppeditat *Anonymus* quidam, qui, data ad Cl. *Clericum* epiſtola, *Bibliothecæ Antiquæ & modernæ* inſerta, contendit, *quinto* demum *ſeculo*, fabulam ſcilicet illam de Chriſto, ejusque ut & de Apoſtolorum Scriptis ortam fuiſſe; veniſſe nempe cum magna fuiſſet hoc Seculo Gentium migratio, ex remotiſſimis ſeptentrionis Regionibus, neſcio quos fraudulentos Impoſtores, qui Novum Teſtamentum, omniaque illa antiqua, uti putamus nos cæteri homunciones, Chriſtianæ Religionis monumenta effinxerint. Hunc autem hominem cum Cl. *Clericus* meliora edocere vellet, juberetque in ſe ipſum deſcendere & ἀθεῳ παθων diſpicere, utrum non turpi ambitione ad tam portentoſam & ſtolidam opinionem defendendam inductus eſſet, eumque in finem libellum ſuum de *Incredulitatis cauſis* legendum commendaret; reſpondit ille, ſe poſt diligentem libri hujus lectionem & excuſſos omnes mentis ſuæ angulos, nil deprehendiſſe, quod animum ad mutandum ſententiam ſuam inducere poſſet, nedum ut ſuperbia, ambitione, aut aliquo quodam turpi affectu ſeſe abreptum fuiſſe fateri poſſet. Et quis tamen non videt opinionem ab hoc homine inventam ſtolidam plane eſſe? Nimirum faſtus ille ridiculus, quo ejusmodi homines tument, adeo intellectus aciem ſæpe obtundit, ut malint pertinaciter ineptiſſimas opiniones defendere, quam fateri, ſeſe ambitionis inſatiabili cupiditate compulſos, paradoxas in medium protuliſſe ſententias. Magnum incrementum capit hic adfectus ex aliorum laudibus. Nimirum nunquam deſunt homines, vel ſimilis furfuris, id eſt ambitionis æſtro perciti, vel adulatores & paraſitæ, qui in cœlum tollant laudibus novarum & paradoxarum, ineptiſſimarum licet opinionum inventores. Scilicet pulchrum eſt laudari & dici, hic eſt incomparabilis ille vir, qui omnium ſcientiarum vanitatem primus & ſolus introſpexit; qui ad oculum oſtendit mathematicarum diſciplinarum principia nullo plane niti fundamento; qui Religioni omni indixit bellum, eamque pedibus ſubjicit; qui Sacrorum Miniſtros omnes depexos hactenus dedit, eorumque

fraudes

fraudes intrepido animo detexit, &c. &c. mirum ne est hominem superbia, & laudis amore tumidum auditis blandis illis & gratissimis vocibus & acclamationibus, crista tollere, supercilia adducere & tantum non rumpi? Sed memores sint tales dicti *Aristotelis*, vel quisquis Auctor sit *Magn. Moralium* Lib. I. cap. 5. ita pronunciantis: Ἐαν ἴνα ποιησῃς ἀφοβον ὡς τε μητε Θεες φοβεισθαι ἐκ ἀνδρειος, ἀλλα μαινομενος. i. e. *Si quem sic intrepidum feceris, ut ne Deos quidem timeat, jam non fortis, sed demens fuerit.* (*) Hinc etiam difficulter hi homines ad saniorem reducuntur mentem. Suo jam tempore id vidit Philosophus insignis *Epictetus*: postquam enim perversas *Academicorum* atque *Epicureorum* opiniones enarrasset, atque explosisset, ad finem Cap. XX. Lib. II. apud *Arianum*, hæc adjicit: πολυ νη Δια καλλον τες κινδυνες ἐλπισει τις ἀν μεταπεισειν, ἡ τες ἐπι τοσετον ἀποκεκωφωμενες καὶ ἀποτεθλιμμενες των περι ἀυτες κακων. i. est. *Cinædos profecto facilius sperare queas à vitæ instituto recessuros, quam istos, qui usque adeo ad sua mala vel videnda vel audienda excæcati sunt atque obsurduerunt.*

Cum hoc pravo affectu multa alia mala sæpe sunt conjuncta.

IV. Ex hac autem prava animi dispositione alia sæpe sequuntur mala. Tales enim nonsolum omnis generis paradoxas, Religioni inimicas, & ab omni verisimilitudinis specie abhorrentes defendunt opiniones; sed & inani superbia elati, atque occæcati, ad se omnia vellent referri, iniquissimoque animo nonsolum adversa fata ferunt, sed etiam illoto ore, abjectaque, quam optimo Numini deberent reverentia, de causis suorum & aliorum malorum disputant. Quando non ex animi sententia cuncta succedunt, incipiunt dubitare, utrum sit Rector orbis. Ipsimet nonnisi per lilia & rosas vellent incedere, atque existimant, Deum in gratiam hominum tanto ingenio, judicio & Eru-

(*) In eandem sententiam concedit Vir doctus de la *Touche Bosnier* in libello cui titulus: *Preservátiv* contre l'Irreligion. Ita enim pag. 21. loquitur: *La troisieme raison qui oblige les orgueilleux a embrasser le parti de l'incredulité ce sont les eloges & les faveurs que les Luciens de notre temps, les Libertins d'esprit reçoivent d'ordinaire de leur admirateurs. Lorsque quelqu'un des ces malheureux Plaisans a appris l'art de tourner agreablement la Religion en ridicule, & de faire des passages de l'Ecriture Sainte la matiere de ces bons mots, celui est un metier singulier pour s'attirer les applaudissemens de ses Sectateurs, qui sont pour le plus part des jeunes debouchés & des personnes de qualité, dont la vie s'accommode bien mieux de l'Irreligion que des maximes rigides de l'Evangile. Chacun l'encense a l'envi & l'eleve jusqu'au ciel comme un genie du premier ordre. Il fait les delices des Societés & des fêtes. On le comble d'honneurs, de caresses, des bienfaits & on n'oublie rien de tout ce qui peut flatter sa vanité. Qu'y a-t-il de plus capable de chatouiller l'amour propre d'un Orgueilleux, qui a le funeste talent de divertir les impies aux depens de la Religion & de se procurer par là tant d'avantages.*

& Eruditione instructorum efficere debere, ut ab omnibus magni fiant, ut in omnium rerum abundantia versentur, ut omnes denique veluti agmine facto ad homines tantis virtutibus exornatos, & tam excellenti ingenio instructos, laudandos, atque honore & beneficiis accumulandos, concurrant. (*) Aut fallor vehementer, aut huic etiam adfectui inter alia tribuendum nimium illud studium pervestigandi omnes Dei vias, causasque cur & morale & physicum malum permiserit, vel hunc non alium condiderit mundum. Non quæritur utrum Providentia Dei contra *Incredulos* vindicanda sit nec ne; aut utrum mortalibus, cum variis adversitatibus conflictantibus solatia vera sint adhibenda; nemo enim sanæ mentis de hoc dubitat; sed de hoc potissimum quæstio est: utrum nempe, postquam satis superque cognitum, atque demonstratum est, fieri non posse, ut omnes consiliorum divinorum causas & fines cognoscamus, omniaque dubia, quæ circa administrationem orbis in regno Naturæ & gratiæ, occurrunt, præsertim ubi ad hæc vel illa individua deventum est, enodemus, cunctisque difficultatibus ex asse satisfaciamus, rationi consentaneum non sit, si missis curiosis disquisitionibus & hypothesibus, quæ utplurimum difficultates non tollunt, sed augent, incredulisque triumphandi materiam suppeditant, in illis subsistamus, quæ ad virtutes divinas celebrandas facere possunt, in reliquis autem fateamur nostram ignorantiam. Certe multum ille sibi sumit, & nunquam vel raro de imbecillitate mentium humanarum arctissimisque cognitionis humanæ terminis cogitavit, qui putat se accuratissime omnium consiliorum divinorum & eventuum circa administrationem generis humani occurrentium causas

(*) Ne quis putet vix dari exempla hominum adeo stolidorum & ineptissima Superbia captorum, unum suppeditabo, quod mihi per Literas communicavit, Vir *celeberrimus, mihique faventissimus C. A. Heumannus, Theologus in Academia Gottingensi famigeratissimus.* Ita autem is epistola A. 1728. 24 Julii ad me data. *Illud ante, quam desino scribere, Te scire volo, me aliquando incidisse in hominem vere Atheum, qui dicebat, vel potius fingebat, sibi esse nomen Willenbergii. Erat Medicinæ & Matheseos haud vulgariter peritus & Doctoris nomine se appellari volebat. Is a me rogatus, ut demonstrationem suæ non existentiæ Dei expromeret, ita ratiocinabatur: Si Deus est, sequitur dari Providentiam. Atqui falsum est posterius, E. & prius. Proba inquiebam, non dari Providentiam. En probationem morosophi: Ego sum, inquiebat, homo summa sapientia & eruditione præditus & virtutibus ita excellens, ut omni caream vitio: & tamen misere mihi vivendum est, perpetuoque vagor. E. non est Deus. Si enim Deus esset, fere non posset, Virum tam doctum tamque bonum esse miserum.* Postquam hæc narrasset, addit Vir doctissimus: *Dubium tibi scio erit, Vir optime, risu an commiseratione prosequaris hominis amentiam, qui quo delatus sit postea ignoro.*

sas & fines enarraturum. Qui vero hoc præstare non valet omnes difficultates sufficienter tollere nunquam poterit. Si ullibi hic certe verissimum est illud Apostoli; ἐκ μέρους γινώσκομεν. Neque opponat mihi quis, optimos & pientissimos Viros, v. gr. *Jobum*, *Eremiam*, *Nathanem*, aliosque, qui adversis rebus pressi in flebiles voces effusi fuerant, conspectoque florente Impiorum statu sæpe minus reverenter de Providentia Dei fuerant locuti. Præterquam enim quod haud diffiteamur, optimis etiam ingeniis & maxima Numinis Reverentia tactis, contingere posse, ut variis malis pressi & innocentiæ suæ memores ultra modum dolori indulgeant, fataque sinistra secus atque deceret, deplorent; teste enim *Phœdro*.

Difficulter continetur Spiritus
Integritatis qui sinceræ conscius
A noxiorum premitur insolentiis.

Sciendum sanctorum horum virorum quærelas fuisse utplurimum subitaneas, cum amore Numinis conjunctas, eosdemque redeunte sereniore mentis statu, pudore fuisse suffusos, atque ingemuisse, quod nimia doloris vehementia abrepti & sinistro de felicitate malorum judicio seducti, de optimi Numinis Consiliis & viis minus verecunde & pie senserint atque locuti fuerint. Alia plane res est eorum, de quibus nos jam quidem loquimur. Hi enim in has quærelas propterea erumpunt, quod nimis magnifice de se suisque meritis sentiant; Hi singularem voluptatem capiunt, ubi difficultates circa hoc argumentum occurrentes adaugere possunt, aut ab aliis multiplicari vident gaudentque in sinu, si perlustratis omnium Christianorum systematibus, non prorsus tolli omnia dubia deprehendunt, atque hanc ob causam de administrationis divinæ ratione libere, id est impudenter, garriunt, Deum hominesque incusant, ingeminantes alium plane orbem fieri oportuisse, idque non tam amore aliorum, quibus bene cuperent, faciunt, quam vero desiderio alicujus felicitatis omnis labis expertis, & in hac vita quidem perenniter duraturæ. Hinc etiam fieri solet, ut homines ejusmodi, præcepta Religionis Christianæ de patientia, amore inimicorum, de ferendis omnis generis propter Religionem calamitatibus, de edomandis pravis concupiscentiis & commotionibus &c. pro impossibilibus, adeoque rationi omni adversis, habere sæpe soleant. Exempla hujus rei prostant multa; ita famosus ille *Uriel Acosta*, qui rejecta Religione Christiana ad Judæos transierat & postea Sadducæorum impiis opinionibus calculum adjecit, non poterat concoquere præceptum

ptum Jesu Christi de amandis inimicis, quoniam ut ex theatro vitæ suæ, *Limborchii amicæ collationi cum Erudito Judæo* adjectæ patet, natura vindictæ cupidus fuit, Judæis Amstelodamensibus, a quibus male fuit habitus, ignoscere nulla ratione voluit, existimans, præceptum hoc plane esse præstitu impossibile atque adeo Deum Auctorem habere non posse. Nescio denique an non in hanc etiam classem illi sint referendi, qui existimant, nullis ad Religionem quod spectat sententiis firmo animi adsensu esse subscribendum nisi illis, quæ omnibus plane dubiis, exceptionibus & difficultatibus careant; qui propterea vehementer dolent, quod Christus & Apostoli, Religionis capita methodo mathematica non elaboraverint, sed decreta sua, præcepta, exemplaque populari quadam ratione adornarint: putares hos homines nunquam edere, bibere, aut loco moveri, nisi geometricis rationibus inductos: firmissime persuasus sum, eos, siquidem ejusmodi Systema a Christo nobis homuncionibus in manus fuisset datum (ut alia quæ hic dici possent, silentio premam) insolentius adhuc, quam nunc quidem ab iis fieri solet, de Auctore Religionis Christianæ judicaturos fuisse. Forte ego non peccavero si dixero, homines ita judicantes impudentem suam audaciam, atque superbiam manifestissime prodere.

V. Succedunt alii affectus, homines a vera, castaque Religione utplurimum abstrahentes, nimirum *amor voluptatum*, & *avaritia*, quæ pecuniæ studium habet. Qui voluptatibus & delitiis hujus vitæ dediti sunt, plerumque ea, ad quæ perversiganda industria quadam & longo examine opus est, aut parum, aut nihil curant, toti quippe in iis, quæ sensibus grata sunt, atque accepta, defixi; meditationes vero de argumentis gravioribus & severioribus disciplinis illis sunt perquam molestæ & ingratæ. Cum autem ita natura simus comparati, ut ea lubentes credamus, quæ cum animorum nostrorum affectionibus conspirant, Religio autem Christiana talia discipulis suis præstanda inculcet, quæ nullo modo cum vita molli & delicata consistere possunt, facile colligi potest, qua ratione homines ventri dediti & voluptatibus immersi, in vitium *Incredulitatis* delabi possint: duriora nimirum hæc præcepta ipsis videntur, quam ut ea admittant, neque sibi persuadere volunt, Deum ob habitum in his vitiis contractum, adeo ipsis male cupere posse. Unde putant, causam non esse cur ejusmodi Religionem divinæ esse Originis credant. Talium inter eos, qui Aulas sectantur, castra sequuntur, & inter promiscuam turbam maximus

Amor voluptatum & avaritia, homines etiam in vitium Incredulitatis præcipites dare solent.

eſt numerus. At & dantur tales inter eos, qui diſciplinis probe ſunt exculti atque Religionem Chriſtianam non ſine cura examinarunt. Sunt nimirum inter Eruditos plures, qui affectuum potius impetum ſequuntur quam vero Religionis Decreta. Plus autem affectus & ſuaves ſenſationes in animum valere quam opiniones & argumenta etiam graviſſima, experientia conſtat. Hi omnia quidem Religionis capita uti vocantur theoretica, lubentes admittunt, imo ſæpe ſtultis opinionibus adſenſum præbent; at ubi deventum eſt ad præcepta recte pieque vivendi, atque ſedulis duntaxat præceptorum ſanctiſſimorum obſervatoribus veram felicitatem poſt hanc vitam promiſſam eſſe audiunt, transgreſſoribus vero pœnas infinitas irrogatum iri legunt, incipiunt tam ſeverum difficillimorum, ut putant, morum Præceptorem odio habere atque pravis cupiditatibus compulſi clamant, vix credibile eſſe Deum tantam rerum inter mortales geſtarum curam habere, ut in actiones malas tam ſevere ſit animadverſurus; ingeminantes, homines natura ad ea omnia ferri, quæ grata ſunt; Auctores præceptorum adeo difficilium non adeo eſſe ad Literam intelligendos, ſed hic in partem favorabiliorem verba ipſorum interpretanda; ipſosmet forte fanatico quodam & hypochondriaco temperamento abreptos, delicias, quas nunquam guſtarint, averſatos fuiſſe &c. &c. verbo ut abſolvam, alienum plane propterea à Religione Chriſtiana ejusmodi homines gerunt animum. Non opus eſſe puto, ut pluribus oſtendam, frequenter eheu homines voluptatibus captos, atque conſtrictos, ita turpiter ſolere labi: nemo, qui quæ inter homines aguntur expendit, de hoc dubitaverit. Ita (ut exempla quædam addamus) *Reverendus in Chriſto Pater G. Burnetus Epiſcopus* olim *Sarisberienſis*, *Wilmotum Roſtæ Comitem*, cujus vitam, mores, paradoxas de Religione ſententias & mortis genus ſingulari libello cujus titulus: *Roſtæ Comitis* μετανοια; deſcripſit, teſtatur, Nobiliſſimum hunc & ingenio præſtanti præditum Adoleſcentem, amore voluptatum primum incenſum, ad tantam impietatem & infelicitatem graſſatum: unde & idem *Excellentiſſimus Præſul* narrata βιογραφια, & ſubſecuta læta quidem, ſed valde ſera Juvenis præſtantiſſimi καταστροφη, Adoleſcentes & optimarum Literum Studioſos, graviſſimis verbis monet, ut mature ſibi ab amore voluptatum, tanquam *Incredulitatis* & Impietatis matre, omniumque malorum lerna, caveant. Quales fuerint ſententiæ & mores *Beverlandi*, Eruditis ignotum non eſt: de quo alibi fuſius nobis dicendi datur occaſio. Sæpe hi homines ſine ambagibus, quid de præceptis ſanctiſſimis Jeſu Chriſti judicent,

judicent, aperire solent. Ita *Gallus* quidam, Veneris sine dubio delicium, sequentes versiculos facere non dubitavit:

De la Nature un doux panchant
Nous porte à la tendresse;
Mais on dit que la foi defend
D'avoir une Maitresse:

Ou la Nature peche en soi,
Ou la Loi est trop dure
Seigneur reformez votre Loi
Ou changez la Nature. (*)

Quid Viri eruditi de *Evremontii*, Viri ingenio & judicio præstantissimi, scriptis & moribus judicarint, satis notum est. Impensius hic quam Religionis Christianæ indoles & severitas permittebat, *Epicuri* amabat præcepta, delicatam atque mollem vitam sectans, neque magni Articulos Religionis, etiam graves & momentosos faciens, compendiosum & breve, sed *Petronii* potius & *Epicuri*, quam S. Soteris nostri decretis innixum effinxit Religionis Systema. (**) Mitto alios, quorum

(*) Juvat in gratiam Studiosorum antidoti loco adducere versus, quos impudenti Gallo oppositi Cl. *Theol. Hasæus* ὁ νῦν ἐν Ἁγίοις, quique extant *Biblioth. Brem. Class. VI.* pag. 765. sonant autem ita:

Dum natura homini teneros inspirat amores
Ni queat humanum disperiisse genus
Et mens & ratio, justique scientia nostris
Quam naturæ simul cordibus imposuit
Castos nec ruptis laxas jubet esse repagls
Brutaque, vel quorum pœne pudere queat.
Non amor est lascivus amor, cassusque pudore
Ille mera est rabies, est furor ille brevis
Ergo, nisi malis te mentis egere, fatert
Et furere, & turpem vel magis esse feris
Aut fœdis actus circum tua pectora tædis
Injice naturæ fræna modumque tuæ,
Aut tua tartareas, agitant quæ viscera flammas
Tartareæ exstinguent mox Acherontis aquæ.

(**) Qui Viri hujus scripta leget, de veritate judicii nostri non dubitaverit: conveniunt etiam cum hoc versiculi, quos ipsemet imagini suæ sculptæ adjecerat: En eos!

Je suis peu severe, mais sage,
Philosophe, mais amoureux.
Mon art est de me rendre heureux
J'y reussis, en faut-il d'avantage?

P. *Baylius*, *continuat. des pensées diverses* pag. 786. hæc paucis post ipsius excessum mensibus de eo narrat: *Je sai que plusieurs lettres ont assûré qu'il avoit fini sa longue course en esprit fort, tout tel qu'il avoit vécu.*

non exiguus numerus est. Pergimus tribus adhuc verbis ad *Avaritiam*. Et hunc affectum, qui rite cognoscit, vimque quam in animos habet, perpendit, concedet, hoc morbo decumbentes ad Religionis contemtum facile induci. Sunt quidem qui putent, Avaros facilius in vitium vanæ *Credulitatis* & *Superstitionis*, quam vero *Incredulitatis* incidere. Atque hoc postremum verum est, si ad objectum, in quod omni virium contentione feruntur duntaxat respiciamus. Nimirum eos cura habendi ita mordet, itaque de corradendis opibus sunt solliciti, atque anxii, ut vix unquam serio de rebus ad Religionem facientibus cogitare possint; hinc eunt quo itur non quo eundum est, id est credunt, quod vulgo credi dicitur, receptisque, licet non examinatis unquam sententiis de Religione subscribunt. At hoc non obstante facile etiam in oppositum huic vitium Incredulitatem puta, ruunt. Præterquam enim quod illi, quibus perinde est, quid credant, quosve articulos Religionis admittant, potius nihil credere dicendi sint, qui enim *ubique habitat*, *nullibi habitat* inquit *Seneca*: notandum, homines insatiabili cupiditate habendi ardentes, nullisque certis imbutos de Religione principiis, facile, si e re sua esse manifeste videant, & experiundo discant, iis accedere & sese dedere, qui abjecte de Religione sentiunt, atque ut divitias consequantur, cœlum ipsum stultitia petere. Imitantur, etiam ubi de sanctissimis Religionis capitibus agitur, *Terentii Gnathonem*, cujus Symbolum fidei hoc erat:

Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt
Nec sunt: hos consector: hisce ego non paro me ut rideant,
Sed eis ultro arrideo, & eorum ingenia admiror simul:
Quicquid dicunt, laudo; id rursum si negant laudo id quoque:
Negat quis, nego: ait, ajo; postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari; is quæstus nunc est multo uberrimus.

Terent. Evnuch. Act. II. Scen. II. Pone *Avarum*, & superficiaria Religionis a parentibus acceptæ cognitione instructum, venire in amicitiam hominis divitis, factiosi, & Religionis simul Irrisoris atque profani, qui singularem voluptatem capiat ex consortio eorum, qui albis dentibus res sanctissimas ridere solent; fac eundem sentire, multum ipsi lucri adferre hominis hujus familiare consortium, dubitarine potest, utrum avarus ille suas opiniones ad nutum hujus impii compositurus sit nec ne? mirumne est hominem, qui thure Superos fraudare, & cœlum sordido perjurio fatigare non verecundatur, pestilentissimis etiam opinionibus cum præsentissimo hactenus quæstu conjunctis, album

adjicere

adjicere calculum? Posset idem etiam dici de *ira*, *vindictæque* cupiditatibus. Novimus enim homines male a suis habitos & vindictæ cupidos, ad *Mahamedanos* &c. transisse. At non opus est, ut hic prolixi simus, quoniam nemo dubitat, quin adfectus omnes homines in hæc mala præcipitare possint.

VI. Antequam vero Exemplorum inductione ostendamus quot homines adfectibus & vehementioribus animi commotionibus velificaturi, assensum pestilentissimis opinionibus dederint, signa quædam proferam, ex quibus satis probaliter colligi potest, utrum Examen serium Religionis, an vero hic vel ille impotens animi adfectus hunc vel illum hominem ad Sanctissima Religionis capita vel impugnanda, vel neganda prorsus, commoverit. Illi certe, qui soli sibimetipsis sapere videntur, quique in vellicandis sanctissimis & gravissimis Religionis articulis, multum operæ & studii ponunt, imo exinde maximam capiunt voluptatem, ex characteribus illis & signis, si serio & ex animi sententia de causis suæ *Incredulitatis* judicare volunt, colligere possunt, utrum operæ pretium facturi & dignum homine sapiente officium præstituri sint, si ad novum, idque attentum & serium Examen Religionis Naturalis & Revelatæ instituendum, animum adjiciant.

Signa quædam ex quibus probabiliter & sine temeritatis nota judicari potest, utrum quis amore veritatis an vero affectuum impetu, compulsus, ad neganda Capitalia Religionis dogmata fuerit inductus.

Sunt autem potissima signa hæc:

I. Qui nullo ingenio, vel Eruditione insigni præditus est, neque capita gravissima Religionis hactenus rite intellexit & perpendit, simul tamen quavis data occasione, veritates momentosissimas, captuque non faciles impugnat, atque explodit, pravis affectibus, non rationis decretis ad ita agendum compelli dicendus est.

II. Meris affectibus velificantur, qui Articulos Religionis omnes serio Examine indignos esse ajunt, atque contendunt, perinde esse, quamcunque tueamur Religionem.

III. Qui propter discrepantes in Religionis negotio opiniones & sententias in quas scissus est eheu! Orbis Christianus, omnia capita Religionis vel incerta esse ajunt, aut ejusdem ponderis esse tuentur, non rationi, sed affectibus obtemperant.

IV. Qui ea duntaxat credere vult, quæ cum pravis suis inclinationibus amice consentiunt, cætera vero alto supercilio contemnit, manifestissime animi sui levitatem & impotentiam prodit.

V. Ille, qui singularem voluptatem capit, quando irridere & explodere potest veritates & sententias, quæ sapientissimorum & eruditissimorum Virorum judicio nonsolum evidentibus, aut maxime probabilibus

libus nituntur principiis, sed & quæ ad homines in quocunque vitæ statu positos meliores reddendos plurimum conferre possunt, non tam rationem, quam vero prava animi studia sequitur.

VI. Ille, qui in Sacrorum Ministros, quorum multi semper fuerunt & adhuc sunt, Viri eruditione, pietate, aliisque virtutibus excellentes, promiscue debachatur, eosque sine exceptione cum Superstitionis tum Tyrannidis accusat, eoque nomine Religionem exosam omnibus facere vult, impotens scurra est & turpissimorum adfectuum miserum mancipium.

VII. Qui vehementer sibi plaudunt & in sinu gaudent, eoque nomine de Religione abjecte sentiunt, quando ab hoc vel illo Doctore publico causam Religionis male agi, sanctissimaque ejus dogmata minus recte defendi animadvertunt, suam in judicando infantiam, cordisque malitiam manifestam faciunt.

VIII. Qui omnia, quæ in Sacris utriusque fœderis libris reperiuntur insolita, albis dentibus rident, nihilque credere volunt, nisi quod ad evidentiam mathematicam accedit, non tam rationis vocem, quam vero affectuum suggestiones audiunt.

IX. Qui sententias Religioni omni inimicas acriter defendunt, rogati autem iterum iterumque, ut doctissimorum Virorum rationes opinionibus hisce oppositas expendere prius velint, antequam firmo animi adsensu semel receptas approbent, neque tamen illud facere volunt, affectibus quo minus verum cernant, præpediuntur.

X. Qui eo duntaxat nomine paradoxas, & a Religione valde abhorrentes opiniones defendit, probat, & tuetur, quia illæ raræ, novæ & insolitæ sunt, affectibus fræna solvit.

XI. Qui omnes libros ab Incredulis scriptos nonsolum diligenter legunt & evolvunt, sed & eorum pretia magnificis extollunt laudibus, cæteros vero omnes pro Religione a Doctissimis Viris in publicum editos labores nihili faciunt, verbis quantum possunt extenuant, cunctaque eorum argumenta nonnisi straminea esse inter sui gregis socios clamitant, meri histriones sunt, quibus hellebori multo maxima pars quantocius, ut sapere incipiant, est danda.

XII. Qui universalem Scepticismum aut Egoismum defendunt, idque multis argumentis aliis persuadere nituntur, inepto & ridiculo tument fastu.

XIII. Qui veritates Religionis graviissimas & momentissimas rejicit, atque explodit; simul tamen addictus est opinionibus, aut plane stultis

ſtultis & ineptis, aut ſaltem talibus, quæ minus probabiles & veriſimiles ſunt iis, quas tanto cum ſupercilio contemnit, non rationis conſiliis, ſed adfectuum æſtui obtemperat.

XIV. Qui ſtatuunt perpetuum aliquod eſſe inter rationem & revelationem bellum, viresque rationis ita deprimunt, ut eam in rebus ad Religionem ſpectantibus plane cæcam & ſtultam eſſe adſerant, aut fanatici ſunt, aut data opera Religionem omnium riſui volunt exponere;

XV. Qui Impoſtorum, aut fanaticorum hominum, qualis *Apollonius Thyaneus*, *Muhamedes* aliique fuerunt, vitam fataque ita deſcribunt, ut quæ manifeſte inepta & abſurda ſunt ſilentio involvant, vel ſtudio omni colorem iis concilient, ficta vero quæ iis tribuuntur miracula & ſtulte dicta ſpecioſa oratione confirmare ſatagunt, idque eum in finem, ut excellentiæ Religionis Chriſtianæ & divinæ S. Soteris noſtri dignitati detrahant, nihil aliud agunt, quam ut ſtultitiam ſuam atque audacem impudentiam, omnibus, quibus pro ratione pepo non obtigit, manifeſtam faciant.

Hæc ni fallor præcipua ſigna & indicia ſunt, ex quibus illi, qui *Deiſtæ* vocari volunt probabiliter colligere poſſunt, utrum ſincero ſtudio veritatis compulſi, factioni huic hactenus nomen dederint nec ne: Non quæritur, utrum alii, ubi ad hoc vel illud ſingulare exemplum deventum eſt, errare poſſint nec ne, quod non negamus, atque eo nomine cunctos monemus, ne præcipites ſint, ubi de cauſis errorum agitur, in judicando: ſed de eo ſermo eſt, utrum nempe plerique, qui Religioni bellum indicunt, ſi intimos cordium receſſus perveſtigare, & ad characteres illos ſignaque attendere vellent, an non inquam facile deprehendere poſſent, cauſam non eſſe, cur vel ſecure in receptis opinionibus ſine novo examine adquieſcant, vel diſſenſum ſuum a cæterorum Chriſtianorum ſententiis, nonniſi acri ſuo ingenio & culturæ rationis tribuant.

Exemplis, oſtenditur quoties homines pravis adfectibus inducti ſanctiſſima Religionis Capita impugnaverint aut negave-

VII. At cum longior via ſit ad cognoſcendam veritatem per præcepta, brevior vero & magis expedita per exempla, dabimus operam, ut antiquorum pariter & recentiorum exemplorum inductione, ſententiam noſtram probemus atque confirmemus. Atqui hic non provocabimus ad veteres *Philoſophos*, *Legislatores* & *Jurisconſultos*, quorum plerique ſatis ſuperque manifeſtum fecerunt, quod res ad Religionem ſpectantes vix unquam ſerio expenderint, quoniam a loco hoc ſunt aliena. Tribus tantum verbis monemus, ipſorum etiam exemplo

rint. Et primo quidem id Exemplo Judæorum tempore S. Soteris nostri viventium probatur.

thesin nostram mirifice confirmari. Nolumus equidem infitias ire, *Lucianum*, multosque primorum Ecclesiæ Christianæ Doctorum, sæpe nonsolum opiniones quas tuebantur, minus recte repræsentasse, sed & iis iniquiores fuisse. Concedimus insuper, rerum cognoscendarum sublimitatem, temporum, quibus vivebant infelicitatem, præconceptas animis, alteque infixas de Religionis avitæ præstantia & antiquitate opiniones, defectum meliorum consiliorum &c. multos impediviſſe, quo minus in rebus ad Religionem spectantibus acutius cernerent. Hæc omnia inquam lubentes fatemur. His tamen non obstantibus contendimus, non tam ingenii imbecillitatem & rerum cognoscendarum difficultatem, quam vero potius prava animi studia in causa fuisse, quo minus rectius, de rebus tam gravibus judicarent. Duo sunt, quæ non obscure hoc probant: *prius* est, quod hi homines de aliis rebus, ad quas cognoscendas non minore ingenii acumine opus erat, eruditissime & prudentissime dissererent. In Italia & Græcia, uti notum est, florebant olim Viri ingenio præstantissimi, acutissimi, eloquentissimi, & variis disciplinis probe exculti. Hi de rebus ad Rempublicam pace belloque facientibus sapientissime loquebantur, prudentissimeque consultabant. Eorum in his negotiis dicta factaque admirantur & suspiciunt omnes, qui suum cuique rei pretium tribuere sciunt. At hi ipsi homines, ubi ad Religionem deventum est, animique sensa de ea expromunt, ita plerumque inepte dissernnt, ut in eosdem homines tantam judicandi diversitatem cadere posse vix credas. An non autem credibile est, si ingenii aciem intendere, & ad cognoscenda Religionis Naturalis capita parem industriam adhibere voluissent rectius judicaturos fuisse præstantissimos Viros? *Paulus* certe Apostolus in Epistola ad Romanos Cap. I. v. 28. de Gentilibus in genere, de Philosophis autem & Eruditis inter ipsos in specie loquens ait: ἐκ ἐδοκιμασαν τον Θεον ἐχειν ἐν ἐπιγνωσει. Qui Virorum doctissimorum ad caput hoc primum Pauli ad Romanos meditationes & testimonia duntaxat legere dignatur, & in Historia philosophica non plane hospes est, quam parum hisce hominibus curæ cordique fuerit castæ Religionis examen, satis edocebitur. *Posterius*, quod nos inducit, ut adseramus, plerosque negligentia & adfectibus fuisse præpeditos, quominus accuratius de Religione judicarent, hoc est, quod nimirum incertissimis hypothesibus, quæ cum principiis veris Theologiæ Naturalis, si certitudinem & evidentiam spectes, nulla ratione comparari possunt, album adjecerint calculum, easque quavis data occasione acerrime

defen-

defenderint. (*) Sed mittamus hosce & de gente, cui Deus T. O. Revelationem concessit, *Judæis* nempe *Christi ætate viventibus* faciamus verba. Quando Christus Sanctissimus noster Soter ad Judæos accesserat, lucem (Joh. I: 9.) allaturus genti densissimis ignorantiæ tenebris immersæ, tristia valde erant eorum fata, cum quod in potestatem Romanorum essent redacti, tum quod vera Religionis a Mose & Prophetis tradita decreta & præcepta aut plane in oblivionem essent adducta, aut tot novarum traditionum accessionibus aucta, atque obscurata, ut pauci, plebs certe, quæ de Religionis examine non admodum solet esse sollicita, Doctorumque suorum & Ductorum sequitur sententias, genuina Prophetarum Oracula a contortis Pharisæorum explicationibus vix distinguere potuerint. Vel sola Evangelistarum scripta, ut de dogmatibus sectarum, quæ tum temporis inter Judæos invalescebant, nihil dicam, ea quæ dico satis superque comprobant. Jesus igitur medicinam allaturus, omnia illa præstitit, quæ ægrotantibus valde salutaria esse potuissent, si oblatis medicamentis rite uti voluissent. Eum in finem postulavit, ut nonsolum primo receptis opinionibus de Gentis suæ prærogativis mittant nuntium, Matth. III: 9. Luc. III: 8. Joh. VIII: 33. seq. altosque premant spiritus, sed & ut pravis animi studiis valedicant: Hinc *Johannes* animos ipsorum ad cœlestem Philosophiam capessendam præparaturus, magnum illud & divinum ingeminabat ante omnia postulatum: *Pœnitentiam agite quoniam appropinquavit Regnum cœlorum;* vel: *& credite Evangelio; quasi diceret* (verba sunt *Magni nostri Zvvinglii* ad h. l.) *qui volunt esse Christi, posita vita veteri, novam inchoent necesse est. Christiana enim vita regeneratio quædam & nova vita est.* Matth. III: 2. Marc. I: 4. Quo ipso tamen dicto non hoc obtinere voluit, ut nimirum sine mora ante quam Christi disciplinam atque miracula examinassent, ipsi adsentirentur; sed ut ante omnia iis vitiis, quibus hactenus erant addicti, mitterent nuntium, significans, ipsos tum demum capaces fore ad fata cœlestis doctrinæ accipienda, verumque pretium disciplinæ a Sotere tradendæ statuendum. Postulatum certe hoc erat *æquissimum* & rationi convenientissimum. Præterquam enim quod ad omnis generis veritates rite examinandas & expendendas postuletur animus attentus, veri cupidus, & a pravis

(*) Conferatur ad hoc argumentum præstantissimi Theologi Camp. Vitringæ meditatio, de *Philosophia Græcorum vitio affectuum corrupta*, quæ extat observat. S. Lib. III. cap. XII. pag. m. 657.

commotionibus vacuus, Judæi vero illius ætatis plerique ob custoditas nescio quas Patrum traditiones aut præstita quædam cultus externi officia magnifice de statu suo interno judicarent, pervulgatus tum temporis erat rumor, instare tempus illud, quo Magnus ille Propheta Patribus promissus, esset compariturus, testibus non solum Evangelistis sed & *Josepho* de Bello Jud. Lib. VI. cap. 5. *Suetonio* in vita Vespas. cap. IV. & *Tacito* Hist. Lib. V. cap. 13. *æquissimum* erat hoc postulatum, quod Jesus Christus se, & quidem jure pro Messia illo venturo venditaret, atque ad Oracula Veteris Testamenti & miracula sua, fidem dictis & factis suis conciliaturus, provocaret. Vide Joh. V: 39. seq. *æquissimum* denique erat, quod a quæstionis hujus decisione utrum nempe Jesus esset ille verus Messias nec ne, salus Judæorum erat suspensa. Quam turpiter autem plerique Judæorum saluberrimum hoc consilium contemserint, notum satis est ex Novi Testamenti scriptis. In genere de hac re loquendo verissimum erat, quod Optimus Soter noster Joh. III: 19, 20, 21. objecerat Judæis, dicens. *Hæc est autem damnatio, quod cum venerit in mundum lux, tenebras magis quam lucem amaverint homines, quippe quorum prava forent opera. Quisquis enim vitiosa facit, lucem odit, nec in lucem prodit, ne ejus facta arguantur. Sed qui vera facit, is in lucem prodit, ut patefiant ejus opera, utpote facta divinitus.* In specie vero occasione miraculorum a Christo editorum, patuit, plerosque non tam mentis imbecillitate, ignorantia & præjudicatis opinionibus quam vero potius pestilentissimis animi commotionibus & affectibus impeditos fuisse, quo minus ut decebat ea expenderent, aut recte de eorum natura, origine & fine judicarent. Nimirum admittebant hi homines Scripta V. Testamenti, eoque nomine gloriabantur; credebant & jure quidem miracula a Mose patrata divinæ esse originis; credebant tam firmiter, quæ in Mosis Scriptis de iis narrantur, ac si propriis ea conspexissent oculis, licet multa secula ex quo patrata fuerant, effluxerint. Cum autem S. Soter noster ad probandam divinam suam Legationem, confirmandamque cœlestem disciplinam longe plura quam Moses faceret miracula: faceret illa palam inspectantibus hostibus & amicis: præstaret ea ita, ut circumstantias rei gestæ omnes possent perpendere, imo ad ea tanquam infallibiles divinæ Missionis characteres provocaret, plerique ea aut non examini submittunt, aut altius rem exploraturos respondent, sed pro suspectis habent. Alii vero, Pharisæi nempe quidam, Sacrorum Antistites, tanquam furiis agitati & detestanda malitia compulsi, malis Dæmonibus

ea

ea esse tribuenda rabido ore clamant Matth. XII: 25. Annon ex hisce exemplis cuivis cordato constare potest (Conf. Joh. IX: 8-34. Joh. cap. V: 10. seq.) hujus calumniæ vel blasphemiæ causas non in rei discutiendæ difficultate, non in meris præjudicatis opinionibus, non in mentis imbecillitate, sed in pestilentissimis animi adfectionibus esse quærendas? Nemo credo de eo dubitaverit, qui non hæc tantum, sed & alia quæ contra S. Soterem a maleferiatis hominibus dicta & facta sunt, simul perpenderit. Diu noctuque ipsi insidias tendebant, adeo ut mox in hunc mox in alium locum sese recipere debuerit. Nihil ab eodem vel dictum vel factum fuerat, quod non siniſtre pessimi Hypocritæ interpretarentur, nec ante conquieverunt, donec ipsum falsis calumniis, homini etiam Gentili, Pilato nempe, ad rationis duntaxat libram eas expendenti, suspectis, circumventum neci addixissent. Post resurrectionem Soteris (cujus commemorabilis & stupendi operis famam lubentes extinxissent) quando mira plane & insolita ratione Spir. S. commonstraverat, Jesum ad gloriam Patris esse evectum, & ipso opere eundem, ea quæ promiserat discipulis, præstare velle; quidam ex insana turba fauce improba incitati, rem omnium sani cerebri hominum attentione dignissimam & miraculis plenissimam, vini effectibus tribuere non verecundabantur. Hæccine ignorantiæ duntaxat an vero potius execrandæ malitiæ, & turpissimorum affectuum sunt indicia? Mitto nunc quæ passim in Actis Apostolorum de conatibus Judæorum contra Apostolos, & doctrinam Jesu Christi narrantur. Si ad sanctissimam Christi *disciplinam* progrediamur patebit, eosdem (loquimur de maxima infelicis Gentis parte & de Ducibus cumprimis illius) quavis data occasione eidem detrahere voluisse. Judæi plerique de lege Mosis & Oraculis Prophetarum recte & magnifice sentiebant. Nihil Auctoritati eorum nos detractum volumus; agnoscimus enim Deum eorum esse Auctorem. At si quis disciplinam Jesu Christi cum illis contulerit, facile, si verum amat, deprehendet, eam, sive ad disciplinæ ipsius præstantiam & claritatem; sive ad argumentorum & incitamentorum pondera, aut denique ad officia & adminicula omnis generis respiciamus, Religionem Mosaicam non parum superare. Hic autem mortalium infelicissimi, duplici ratione impudentiam suam, cordisque duritiem manifestam fecerunt, nimirum partim, quod missa cœlesti Jesu Christi doctrina, ad traditiones suas, quarum tamen solidum fundamentum ostendere

non poterant (*) provocarent; partim quod vel ipsas leges Naturales interverterent. S. Soter noster suam doctrinam comprobaturus, aut facta sua & dicta contra censuras Judæorum vindicaturus, ad Mosen & Prophetas provocaverat. Ipsi vero missis oraculis Mosis & Prophetarum, Christum vel discipulos accusaturi nonnisi Traditiones opponebant. vid. Matth. cap. XV: 3. seq. & cap. XXIII: 13-26. Quando vero versuti homines eundem in ordinem cogere voluerant, aut fraudis convincere, audita responsione Jesu Christi, legisque genuina interpretatione adducta, ad silentium illico erant redacti, neque Traditionibus suis ullum ex lege conciliare poterant præsidium. Præcepta insuper natura nota & cordibus inscripta, malignis interpretationibus, quas male sani scribæ & Pharisæi excogitaverant, prorsus enervare voluerunt. Sic putabant temerariis votis eludi posse officia Parentibus præstanda. Matth. XV: 5. seq. Marc. VII: 10-12. (**) unde & rectissime *eruditissimus Jure-Consultus Barbeyracius*, in suis ad *Puffendorfii* de *Officiis Hominis & Civis* libellum elucidationibus, hanc malignam Interpretationem ita comparatam esse ait, ut inde manifestum sit, hos homines contra clarissima & cognitu facilia conscientiæ decreta data opera peccasse. Verum Numinis cultum in intimis cordis adfectionibus voluntatisque, & commotionum pravarum emendatione quærendum Jesus ingeminabat Joh. IV: 24. atque id ipsum universa disciplinæ Christianæ indoles deposcit. Judæi contra, proceres præsertim & Pharisæi inani superbia tumentes, ea quæ ad internum mentis cultum pertinebant, parum curabant, in externis vero actionibus & ritibus observandis supra modum erant seduli & superstitiosi, vide Joh. cap. V: 44. Matth. XXIII: 13, 14. seq. Marc. VII: 3, 4. Matth. VI: 5. Luc. VIII: 12. alibique, quod inter Recentiores pluribus edisserunt *Basnage Hist. des Juifs Lib. II. cap. II. Clericus Hist. Eccles. Proleg. Sect. I. cap. 2.* aliique magno numero. Hominem propter Sabbathum conditum; non vero in gratiam hominis Sabbathum a Deo institutum adserebant. Marc. II: 17. Justitiam, Misericordiam, Benignitatem, verbo cultus moralis capita gravissima longe infra præceptorum quorundam

(*) Solide hoc probavit Cl. Limborchius in Amica Collatione cum Erudito Judæo p. 303. sq. edit. Basil.

(**) Videantur, præter ea quæ collegit ὁ μαχαιρίτης Cl Wolf. in Curis philolog. eruditæ meditationes clarissimi & amicissimi Altmanni, Professoris Bernensis meritissimi, observat. Philolog-Critic. in N. Test. pag. 176. sq.

dam cærimonialium & traditionum dignitatem subsistere eodem cap. XXIII. Matth. inepte non minus quam impie arbitrabantur. In quo cæciores erant Judæi ipsis Gentilibus, quorum plerique falli sunt, cultum verum Deorum, in mentis puritate vitæque Innocentia consistere. Audiamus ex magno numero quædam duntaxat Veterum Testimonia. Ita *Cicero* Lib. II. de *N. D. ait: Cultus Deorum est optimus itemque castissimus atque sanctissimus plenissimus pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur. Non enim Philosophi solum verum etiam Majores nostri superstitionem a Religione separaverunt. Plinius* in *Panegyrico* cap. IV. Sect. 6. *Animadverto etiam Deos ipsos (inquit) non tam accuratis adorantium precibus quam sanctitate & innocentia lætari, gratioremque existumari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.* Cui ignota sunt *Persii* verba, quæ extant Satyra secunda circa finem, ubi ita Poëta:

Dicite Pontifices, in Sancto quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ a virgine puppæ,
Quin damus id superis de magna quod dare lance
Non possit Magni Messalæ lippa propago:
Compositum jus, fasque animo sanctosque recessus
Mentis & incoctum generoso pectus honesto?
Hæc cedo ut admoveam templis, & farre litabo.

Ad quem locum confer. Eruditissimi *Casauboni* Commentarium. Plura qui requirit, adeat *Huetium*, *Grotium*, *Pfannerum*, *Gatakerum*, aliosque qui collectis undique testimoniis, rem in clara collocarunt luce. Quod si denique expendimus, quid Judæi de S. Sotere nostro ipso ejusque actionibus judicarint, manifestissimum erit, plerosque ira, invidia, maloque zelo correptos, dignitati ipsius omni modo detrahere voluisse. Mosen, nulla ratione cum S. Sotere nostro conferri posse, fatebuntur omnes, qui ἀθεῳ παθων, utriusque mores, dicta & facta probe inspexerint. De illo vero magnifice senserant, istum vero plerique, personati certe illi Histriones Pharisæi, alto supercilio contemserant, omniaque ipsius dicta & facta pejorem in partem erant interpretati, eum calumniati, vitæque bene de ipsis merentis, insidias struxerant. Hoc universa docet Evangelica Historia. Unum vel alterum Exemplum adduxisse sufficiet. Samaritani, ut notum, in quibusdam Religionis capitibus a Judæis dissenserant, & propterea ipsis execrationi erant. Jesus, mitissimus Doctor, Samaritanos in viam revocare voluit meliora docendo, uti ex familiari colloquio ipsius cum

uxore

uxore Samaritana habito Joh. IV. patet. Discipulos insuper suos sectæ studio & inepto, impioque Zelo incensos, & erga Samaritanos nonnisi iram & vindictam spirantes Lucæ cap. IX. v. 55. nonsolum graviter objurgaverat, sed & simul adseruerat, odium ejusmodi & vindictæ contra dissidentes studium, plane ab indole, naturaque Disciplinæ suæ abhorrere, dicendo: ἐκ οἰδατε οἱε πνευματος ἐστε ὑμεις. Imo cap. seq. per parabolam hominis Judæi, lethaliter decumbentis & vulneribus saucii, a fratribus equidem orthodoxis turpiter neglecti, sed a Samaritano singulari beneficio & amore affecti, manifeste ostendit, dissensum in rebus ad Religionem spectantibus prohibere non debere, quo minus unus alteri benefaciat: At tantum aberat, ut monita rationi & æquitati convenientissima ad animum revocarent, rectiusque judicarent Judæi, ut potius ipsum Soterem nil tale promeritum, *Samaritanum*, id est stylo nostri seculi loquendo, *pestilentissimum Hæreticum* appellarent Joh. VIII: 48. unde Interpretes Berolinenses Doctissimi ad h. locum: *C'étoit une des plus grandes injures que pûssent dire les Juifs, c'est-a-dire, vous êtes un Hæretique, un Schismatique, un Ennemi de la Religion, & de la Nation.* Quando a gravi morbo liberatis peccata simul remittebat, blasphemiæ reum ipsum postularunt Marc. II: 7. Si idem divertebat aliquando apud publicanos & peccatores, cumque iis prandebat, ut homines pravis studiis & affectibus captos & constrictos ad saniorem revocaret mentem, cænipetam vocarunt, Curios simulantem sed Bachanalia victurum. Matth. XI: 19. ubi animadvertebant, ipsum minutos quosdam ritus, v. gr. lotionem manuum ante prandium omittere, sacratissimas leges ab eo pedibus conculari Hypocritæ clamabant. Matth. XV: 2. Quando homini gravi morbo laboranti & ruinæ proximo præsentissimo auxilio die Sabbathi aderat, dignum hoc videbatur facinus morte piandum, saltem tale ex quo quisque prudens colligat, eum nulla Legis divinæ reverentia tangi. Verbo, nihil eorum omittebant, quæ ad eum exosum reddendum, disciplinamque sanctissimam suspectam faciendam facere posse existumabant. Ex quo ni fallor manifestum est, plerosque Judæorum Religioni a Christo traditæ pedibus manibusque obstrepentium, non imbecillitate ingenii peccasse, aut præjudicatis duntaxat opinionibus in præceps fuisse actos, sed pessimis ut plurimum affectibus eo vesaniæ & impietatis fuisse grassatos. (*)

VIII. Quæ

(*) Auget autem malitiam & crimina Judæorum, quod iidem, teste Josepho Impostoribus facile aures præbebant. Ita enim loquitur Josephus Antiq. Lib. XX. cap. VII. 5. 6.

VIII. Quæ de Judæis tempore Christi viventibus dixeramus, eadem magna ex parte ætatis nostræ recutitis applicari possunt. Fatemur equidem Judæos tempore Soteris nostri viventes, majore fuisse luce perfusos, & ad recipiendum Messiam tot miraculis in conspectu ipsorum factis, nullisque dubitationibus obnoxiis, necessitate veluti quadam adactos, sed ob inflexibilem mentis pervicaciam majoribus pœnis dignos esse. Interim hoc non obstante asserimus, & ni fallor jure, plerosque Judæorum modernorum pravis animi studiis impediri, quo minus Religioni Christianæ nomen dent. Non sunt equidem nobis ignota obstacula conversionis Judæorum. Novimus Imperantium quorundam quorum imperio subsunt, erga eos severitatem, inquisitionis violentiam & oppressiones, dissensiones christianorum & mutuas rixas, degenerem eorundem vitam, præposteras miseram Gentem convertendi methodos, ferale plerorumque Christianorum erga ipsos odium, dogmata quædam inter Christianos recepta &c. multum conferre, ad homines illos in suis, quas semel imbiberunt sententiis confirmandos. Hæc omnia non ignoramus, sed cum dolore fatemur. Interim si ab una parte ad argumenta, quibus Religionis christianæ veritas probari solet, ab altera vero ad vires ingenii, quæ ad examen horum argumentorum desiderantur, animum convertimus, causam non videmus, cur asseramus, Judæos modernos tam hebeti esse ingenio, tamque stupidos, ut vim rationum pro Religione christiana militantium percipere non possint. Verum est, si ad Religionis decreta modernorum, eorum mores, atque studia attendamus, iis applicari posse aculeatum nonneminis in *Scoticam* olim *Gentem* contortum dictum, quod ita sonat:

Idem Exemplo Recentiorum Judæorum ostenditur.

Gens ratione furens, & mentem pasta chimæris.

Quemadmodum autem merito huic nationi inferret injuriam, qui de omnibus in universum *Scotis*, aut plerisque hæc dicta vellet; ita similiter leges æquitatis transiliret is, qui existumaret, nostræ ætatis Judæos

§. 6. *Impostores vero & deceptores vulgo persuadebant, ut se in solitudinem sequerentur. Dicebant enim se ipsis ibi ostensuros esse manifesta miracula & signa Impostores vero & deceptores vulgo persuadebant, ut se in solitudinem sequerentur. Dicebant enim se ipsis ibi ostensuros esse manifesta miracula & signa per potestatem Dei edenda.* Plura Exempla collegit *Reverendus in Christo Pater Chandlerus Episcopus Conventrienſis & Liechfield.* in libro cui titulus: *Fides Hist. Evangelicæ, ex anglica Lingua in latinum sermonem translatus* a Clb. *Wolfio* Hamburgensi, nunc cœlitibus adscripto. Vide cap. V. Lib. I.

dæos omnes ad res paulo majoris indaginis justa lance trutinandas, prorsus esse ineptos. Novimus dari inter ipsos non paucos Viros ingenio non contemnendo præditos. Judæus certe ille, cum quo Cl. *Limborchius* ferram disputationis reciprocavit, haud obscure ostendit, quid homines illi valerent, siquidem eodem Ζηλω atque studio res ad disciplinas severiores, Religionem præsertim spectantes, expendere vellent, quod alias, cum de pane lucrando, aut corradendis pecuniis agitur, impendere solent. Quicquid autem de eo sit, satis evidenter ostendi potest, argumenta, quibus nititur veritas Religionis christianæ longe esse evidentiora iis, quibus commoti Judæi hodienum, non dicam opinionibus per traditionem hinc inde arrept s, sed & ipsi Religioni a Mose & Prophetis olim acceptæ pertinaciter adhærent. Quod ipsum satis superque ostendit, plerosque pravis affectibus, quo minus nomen dent Religioni christianæ, præpediri. Age paucis hoc, quoniam ab eruditissimis Viris, *Basnagio*, *Stanhope*, *Kiddero*, *Limborchio*, aliisque prolixe satis hæc sunt excussa, ostendamus. *Tria* potissimum sunt *capita* quibus moderni Judæi, non obstante misero, in quem conjecti sunt plerique statu, commoventur, ut Religioni Mosaicæ album adjiciant calculum, eamque pro Revelatione divina habeant. *Primum* sunt *miracula* a Deo & in gratiam gentis judaicæ per Mosen olim facta. *Secundum:* Prophetiarum implementa. *Tertium* denique Librorum Veteris Testamenti ἀυθεντία & Traditionis de Judæorum origine, statu & Religione antiquitas atque certitudo.

Quod ad Miracula Mosis spectat, ea cum ipsis pro divinis habemus. At contendimus simul, Christum nonsolum plura quam Moses fecerat, præstitisse, sed & discipulis suis eandem patrandi miracula dedisse facultatem. Christum extitisse in terris & patrasse miracula, eodem modo probamus, quo Judæi Mosen olim inter Israelitas vixisse, & miraculis Illustrem fuisse, adstruere solent. Atqui hoc posito, quæritur, cur Judæi Miracula Mosis tot seculis ante Christum natum patrata admittant, Christi vero stupenda τερατα rejiciant. Si ad naturam fidei historicæ attendamus nulla sontica causa adest, cur ea gesta fuisse negent; Quo recentior enim, & a temporibus, quibus vivimus minus remota est narratio rei gestæ; quo plures sunt diversæ indolis, Religionis & locorum testes, eo magis etiam omnes sanæ mentis homines illis fidem habere solent. Quod si illi testes, sint testes ἀυτοπται, fidei, pietatis & probitatis studio incensi; si circumstantiæ reliquæ, personarum, rituum, loci &c. cum rebus ipsis, quæ gestæ esse perhibentur,

bentur, conveniant, maximus exinde enascitur probabilitatis gradus. Quod si hæc omnia in examine, utrum non minus certum sit, a Christo S. Sotere nostro, quam a Mose, vere miracula patrata fuisse, observentur, persuasissimus sum omnes extra partes constitutos confessuros esse, rationes, quæ pro Christianis militant, longe esse evidentiores iis, quæ a recentioribus Judæis afferri possunt. Si ad *Prophetias* & earum complementum progrediamur, fatemur denuo Mosen fuisse insignem Prophetam, & in populo Judaico etiam floruisse ante Christum natum Viros Sanctos Prophetiæ dono instructos, φερομενους adeoque ὑπο πνευματος ἁγιου, rectèque facere Judæos, si ad lucem ab ipsis accensam, oculos aperiant. At primo ante omnia notum est (ut de obscuritate multarum prophetiarum, defectu monimentorum historicorum & de prophetiis conversionem Gentium spectantibus, nihil dicamus.) Judæos agnoscere, extare in Mose & Prophetis celeberrima de futuro Messia oracula; cum autem eum nondum venisse contendant, Christumque repudient, prophetiæ autem demum ex eventu comprobentur, manifestum est, Judæos ipsos in Mosen & Prophetas iniquos esse; multumque robori argumentorum e Prophetiis petitorum decedere. Si vero respiciamus ad oracula Mosis & Prophetarum, quæ vel populi Judaici, vel aliarum Nationum fata concernunt, cordatus quisque & veri amans, rerumque de quibus agitur peritus, fateri tenebitur, ea, sive verba quibus expressa sunt, sive eventum spectes, cum evidentia, quæ Prophetiis a Christo prædictis inest, nulla prorsus ratione conferri posse. Ad oculum hoc demonstrarunt Viri paulo ante laudati. Vide Cl. *Limborchii responsionem ad tertium Scriptum Judæi.* Vel unus *Josephus* ad confirmandas prophetias a Christo editas, sufficit. Aut igitur Prophetiæ eventu comprobatæ non sunt certum signum divinæ originis Mosis & Prophetarum, aut id multo majori jure Christi tribuendum est prophetiis. Cum autem Judæi moderni oracula prophetarum pro divinis admittant, Christi autem rejiciant, manifestum est, eos pravis affectibus ad ita præpostere ratiocinandum impelli.

Quod si denique moderni Judæi ad constantem de gloria Mosis, scriptisque Vet. Testamenti traditionem provocent, probaturi Religionis Judaicæ veritatem, non est cur repugnemus: Fatemur ante 4000. & quod excurrit annos mortuum fuisse Virum Sanctum Mosen; fatemur ad eum provocasse insequentes Prophetas; haud ignora-

mus famam ejus longe lateque inter Gentes esse sparsam; nihil gloriæ ipsius detrahimus, licet pro fabula habeamus, quæ a recentioribus quibusdam Judæis teste Cl. *Buxtorfio* in *Catalect. Philologico - Theologicis* pag. 197. de eo narrant, Deum nempe *osculando animam e corpore morituri velut exuxisse, eumque post mortem in vitam revocatum jam in cœlis Deo ministrare.* At & hic amore Sectæ occæcati sunt plane Judæi, nisi fateantur, famam de Sotere nostro, Scriptisque N. Testamenti longe firmioribus præsidiis, (loquimur de iis, qui accuratum aliquod harum rerum examen instituere volunt) niti, Religionisque nostræ famam citius per orbem fuisse sparsam. Haud ignoramus equidem Virum *eruditissimum* P. D. *Huetium* conquisitis undique testimoniis probare voluisse, nonsolum ad antiquissimas gentes ante tempora Christi viventes perveniisse famam de celebritate nominis tanti Viri, sed & sub Deorum, Heroumque fabulis ipsum latere Mosen, ut de *Cæsti Homero hebraizante* similisque metalli libellis nil dicam. At dubiis, incertis, imo sæpe falsi suspectis ad postremum illud probandum usum esse celeberrimum Episcopum testimoniis, singulari eaque pererudita dissertatione probavit Vir *Doctissimus Jacobus Hasæus*, in ipso ætatis flore ad plures eheu! vocatus, quæ extat *Bibl. Brem. Class. VI. fasc. V.* Quicquid autem de eo sit, manifestum satis est, etiam hac in parte Christianos æquo cum Judæis certare posse marte. Fama de Sotere nostro, ex quo in terris comparuit, Religioneque ab eo tradita mature ad Judæos & Gentiles fuit delata. Quatuor Evangelia ante Hierosolymæ destructionem erant invulgus sparsa, testibus *Irenæo Lib. III. cap. XI. Tertulliano* passim in libris contra *Marcionem*. Testantur idem scripta *Clementis*, *Barnabæ*, *Hermæ*, *Polycarpi* & *Ignatii*. Apostoli per nobilissimas Imperii Romani provincias mature satis iter fecerant, cœlestem disciplinam cunctis commendaturi. Multi Gentiles ad Religionem Christianam accedebant: Extant *Plinii*, *Taciti* & *Suetonii* de christianis testimonia. Mature contra eosdem motæ sunt vehementes persecutiones, quibus sanguis equidem Sectatorum Christi copiose fuit fusus, sed & præter Martyrii gloriam & famam, divinissimæ disciplinæ præstantia multis gentibus nota est facta. Celeberrima illa *Plinii Junioris* ad *Trajanum* data epistola, cujus etiam *Tertullianus* in *Apologetico* facit mentionem, ære perennius monumentum est & fidei, & maximi numeri Christianorum ejus ætatis. Taceo alia, quæ hic afferri possent, atque dudum a Viris

doctis

doctis allata sunt. (*) Quod si (ut in summam contrahamus dicta) traditio constans de Mose ejusque scriptis, & non interrupta eorum conservatione fidem iis conciliat, authoritatemque eorum probat, admittenda etiam sunt ea, quæ de Christo & Apostolis, eorumque antiquissimis & certissimis scriptis hactenus tradunt Christiani. Quod si vero quis quærat, quænam tandem causa sit, cur Judæi, quos aliqua Religionis tangit cura, quique aliquo ingenii conatu ad examen harum rerum accedunt, non obstantibus hisce argumentis constantissime Religioni Judaicæ adhæreant, Christianorum vero disciplinam, majoribus præsidiis munitam aspernentur, omnibus rite perpensis nil aliud respondere possum, quam hoc tribuendum non tam rei difficultati, quam vero perversis animi adfectionibus. Præter dicta hæc alia quoque sunt, quæ ostendunt, recentiores Judæos data opera vim argumentorum pro Religione christiana militantium, cernere nolle. Nihil dicam de ipsa Religione moderna Judæorum, quæ multis fabulis & ineptis opinionibus scatet; nihil de cæremoniis & ritibus cultui rationali contrariis, (**) sed duarum tantum mentionem faciam

(*) Neque obstant dictis nostris ea, quæ a Cl. *Vitringa Obs. S. Lib. X. cap. VII. de languescente statu* Ecclesiæ Christianæ a *Nerone ad Trajanum* disputata sunt; certe non probant Christianorum numerum decrevisse. *Temporis* inquit pag. m. 964. *quod lapsum est a Nerone ad Trajanum triginta annorum intervallum complexi, historiam sacram non habemus nisi mancam & sterilem, quæ tamen si Ecclesia per totum illud tempus viguisset memorabilis esse deberet, & tam copia quam varietate gestorum, atque utilitate commendatissima:* At argumentum hoc nil probat. Primo enim dicere possumus scripta ejusmodi periisse. (2.) Homines inter sævos ursos degentes, & singulas in horas præsentissimam mortem exspectantes, vix tempus habuerunt, ea quæ digna erant memoratu literis consignandi, & ad posteros transmittendi. Quod de antiquissimis Romanis *Sallustius* dixerat nimirum optimum quemque inter eos *facere* quam *dicere*, & sua ab aliis benefacta laudari, quum ipsum aliorum narrare maluisse, paucis mutatis, Christianis illius ætatis applicari potest. (3.) Testimonia, de progressu Religionis Christianæ, Eusebii, Tertulliani & Plinii, satis superque probant, Ecclesiæ nascenti magnam indies factam esse iis temporibus accessionem: unde enim tantus sub Trajano, Hadriano & Antoninis, Christianorum numerus, si ab ultimis Neronis annis ad Trajanum usque adeo fuissent imminuti? (4.) Denique ipsæ persecutiones & Martyres, sub *Nerone* & *Domitiano*, probant, auctos fuisse indies Christianos. Sumamus mediam inter *Dodwelli*, pro paucitate Martyrum illius ævi pugnantis, & inter communem a *Ruinarto* strenue defensam sententias, & sic satis manifestum erit, non exiguum fuisse numerum Christianorum, neque multos persecutionibus absterritos fuisse, quo minus constanter disciplinæ sanctissimæ nomen dareat. Mitto alia quæ hic afferri possent.

(**) Fuse hæc probarunt Viri docti, *Buxtorfius* in synagoga judaica, Eisenmengerus in detecto Judaismo, aliique.

rationum, quæ manifestum faciunt, Doctores Judæorum & Rabbinos pessimi animi affectionibus correptos esse, cum adversus Religionem christianam insurgunt. *Prior* est, quod malint potius ineptas, ridiculas, nullaque plane fide dignas excogitare narratiunculas, vel potius fabellas, de origine, nativitate, miraculis & morte Jesu Christi, quam vero examine accurato Religionis christianæ instituto, veritatem & divinam originem ad lydium rationis lapidem exigere. Noti sunt inprimis duo horribiles & sacri libelli nomine

ספר תלדות ישוע הנוצרי

Inscripti, quorum unum edidit Cl. *Altorfensium Philologus Wagenseilius*, qui extat in secunda parte libri cui titulus: *Tela Ignea Satanæ:* alterum cum erudito orbe communicavit Vir *clarissimus*, *Joh. Jacobus Huldricus*, *V. D. M.* & *Professor* Gymnasii nostri *meritissimus*, ante paucos annos præmatura morte bonis omnibus, mihi certe, præreptus. Quisquis futiles illos libellos legit, facile deprehendet, nonsolum omnia ex meris mendaciis esse composita & male cohærentia, sed & ita comparata, ut nemo nisi stultus iis decipi possit: at sunt tamen illi libelli verpis illis in magno pretio. *Posterior* ratio est, quod multi ex Judæis, qui aliquam eruditionis & sapientiæ laudem aucupantur, multum tribuant *Cabbalæ Philosophicæ.* Hæc ut notum, ex antiqua Pythagorico-Platonica Philosophia derivata & judaicis quibusdam commentis est adaucta. Adhuc sub judice lis est inter eruditos, utrum systema hoc rite introspectum *Spinosismum* merum involvat, nec ne: possunt sane utramque in partem speciosa valde afferri argumenta, de qua materia alibi nos fuse agimus. Quicquid autem de eo sit, hoc certum est, Philosophiam illam in specie sublimem, nullis certis fundamentis esse superstructam, ineptam, ad Enthusiasmum fovendum totam quanta quanta est, factam, totque stultæ imaginationis deliramentis refertam, ut plerique Judæi amore hujus Cabbalæ capti, nesciant quem sensum potestatemque obscuris verbis subjiciant, verbo, meræ tenebræ sunt cum sanctissima Christi disciplina collatæ. Si quis dubitet, eum evolvere velim collectionem multorum hujus furfuris opusculorum sub nomine *Cabbalæ denudatæ* a *Knorrio de Rosenroth* editorum, neque amplius de eo quod dixi, dubitaverit. Qui fit igitur ut Judæi disciplinam Jesu Christi captu longe faciliorem, rationi convenientiorem, testimoniis & argumentis longe fortioribus suffultam, & ad mentem hominum perficiendam longe accommodatiorem aspernentur, difficiles autem illas ineptias maximi faciant, & tantopere

comen-

comendent? Judicent per me eruditi. Ego certe aliud mihi persuadere non possum, quam quod cæcitas quædam mentis voluntaria, affectuumque impetus, eos ita in transversum rapiat.

Eadem veritas confirmatur exemplo multorum Hæreticorum, qui tempore Apostolorum & sequenti ætate Religionem Christianam impugnarunt.

IX. Antequam ad recentiora tempora accedam, atque manifestissimorum exemplorum inductione probem, quod *Increduli* pravis affectibus compulsi, Religioni Christianæ bellum indixerint, contra vero ineptissimis & incertissimis opinionibus album adjecerint calculum, de *Hæreticis ævi Apostolici* & proxime sequentis, ut & de Philosophis Pythagorico-Platonicis, Religionem Christianam vellicantibus, aliquid est monendum. Multos Hæreticorum, qui primis post Christi excessum seculis, Religioni Christianæ detrahere volebant, opiniones fovisse ineptas plane & absurdas, quæque ad leges rectæ rationis exactæ, nullo modo cum dignitate & præstantia decretorum Religionis christianæ conferri possint, fatebuntur omnes, qui antiquissima Scriptorum ecclesiasticorum monumenta, cum aliqua cura excusserunt. Scio male sæpe a Patribus opiniones Hæreticorum intellectas & repræsentatas fuisse; non ignoro haud pauca iis fuisse adficta, atque consectaria ex principiis sæpe obscuris periculosa fuisse elicita, & pro genuinis ipsorum sententiis venditata. Hæc omnia si verum amamus fateri tenemur. Atque ex eo etiam patet, quam difficile sit mentem Veterum Hæreticorum rite perspexisse. Nihil dicam de præsidiis eruditionis, quibus instructi esse debent illi, qui operam suam ad explicanda antiquissimorum Christianorum & Hæreticorum dogmata animos adjicere volunt; hoc unum moneo, paucissimos ἀϋτερ παθων de Hæreticis eorumque opinionibus judicare, sed plerumque aut in *excessu*, aut in *defectu* peccare; quidam data opera Hæreticorum actiones manifestissime pravas in meliorem partem interpretari, & opinionibus etiam ineptissimis colorem aliquem conciliare volunt. Alii vero quorum longe major quam priorum numerus est, tum demum officio suo hac in parte sese satisfeciisse putant, si in omnia alia eant. Hi spectra sæpe pro hominibus nobis offerunt. Hæretici omnes, si eos audias, aut plane stulti, fatui & bardi sunt, aut impudentes, blasphemi, omnibusque contaminati vitiis. Omnibus fabellis & rumusculis, ubi de Hæreticis agitur credendum; fas enim est odisse tam pestilentes Viros. Mentiri etiam ubi contra hos agendum, aut innocentissima male interpretari, impium non est. Error Hæretici, quem parum cavet natura humana, exitialis dicendus: vitia vero turpissima eorum, qui eos aggressi sunt, omni arte sunt pallianda & celanda.

Ubi

Ubi de eorum opinionibus falsis agitur nunquam dicendum, eas ex imbecillitate aut oscitantia esse ortas, sed omnia pestilentissimis insidiis plena esse clamandum. Opiniones innocuæ per consequentiarum ambages in gravissimas Hæreses sunt mutandæ, dubii sensus in pejorem partem rapiendi, &c. &c. Ita utramque in partem peccatum ab antiquis & recentioribus notius est, quam ut multis probetur exemplis. Neque tamen, quæ nostri Seculi felicitas est, desunt Viri excellentes, qui quomodo devia hæc sint vitanda, monstrent. Inter eos merito revero *Cl. & Eruditissimum Historiæ Criticæ Manicheismi & Manicheorum* duobus Vol. in 4. editæ Auctorem, nimirum Doctissimum *Beausobre τον νυν ἐν Ἁγιοις*. Ego certe optarem, ut eruditissimum hoc Scriptum ante oculos haberent omnes illi, qui ad enarranda atque explananda antiquissimorum Hæreticorum dogmata animos adjiciunt. Ita enim docte cuncta expendit & examinat; tam incorrupte veterum principia & consectaria repræsentat; tam clare & acute errorum fontes detegit; tam libere & modeste simul de pondere errorum judicat; ita sibi cavet a studio partium, ab amore Sectæ & a Patrum nimia reverentia, verbo; ita cuncta ad æternas veritatis, æquique leges expendit, ut hoc opus, inter præstantissimos libros, qui quidem nostro hoc Seculo editi sunt, merito sit referendum. Novimus quidem displicuisse vehementer incorruptum doctissimi hujus Viri judicium & candorem, *Ignatii Lojolæ* discipulis, *Commentariorum Trivoltiensium compilatoribus*. At præterquam quod ipsemet Vir præstantissimus primam operis partem contra iniquissimas *Lojolitarum* censuras strenue defenderit, eosque sale attico uti merebantur, perfuderit: in vulgus notum est, nil minus bonis illis patribus curæ cordique esse quam VERITATEM, & tantum non *moraliter impossibile* esse, ut hi homines de egregiis Virorum Doctorum, qui ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt, conatibus, inprimis ubi de rebus ad Religionem spectantibus agitur, sincerum ferre possint judicium. Licet autem (ut in viam redeamus) negari non possit, Hæreticorum sententias ab antiquis pariter & modernis sæpius male fuisse repræsentatas, certum tamen etiam est, & a nemine, qui in his Literis vel leviter versatus est in dubium potest revocari, multos Hæreticorum, studio partium ita fuisse abreptos, ut rejectis planissimis Religionis capitibus, monstrosas, ineptas, atque sanctissimæ Religioni inimicas contra defenderint opiniones.

Non est autem mihi animus in patentiorem hunc campum exspatiari, antiquissimarumque sectarum dogmata operose expendere,

aut

aut de vita moribusque Hæreticorum copiose disserere. Factum id abunde a Viris doctissimis, quos adire poterunt harum rerum cupidi: Sed exemplis duntaxat quibusdam selectis, ex Seculis primis petitis, thesin meam confirmabo. Studia partium, odium aliorum, superbiam inprimis & ambitionem multos Antiquissimorum Hæreticorum præcipites dedisse certissimis testimoniis probari potest, idque ex universa quam sectabantur disciplina, disputandive adversus christianos methodo, patet. Nimirum hi homines utplurimum principiis Philosophiæ *Platonico-Pythagoricæ* vel Orientalis, quæ non multum ab ista discrepabat imbuti ad examen Religionis Christianæ accesserant. Horrida autem illa simplicitas, quæ in Scriptis Christi & Apostolorum elucet, mentes nescio quibus sublimibus, rectius diceres chimæricis opinionibus repletas, offendebat. Unde vel ipsi Religioni Christianæ nuntium prorsus mittebant, vel saltem eam, cum hypothesibus suis conciliare volebant. Hoc posito perinde ipsis erat, utrum fraude & malitia, an alia via ad finem, quem intenderant, pervenirent. Sumamus unum alterumve exemplum. Quam portentosum Systema Theologiæ præter alios condiderint *Valentinus* & *Manes*, notum est, & infra aliquid dicetur. Superbiam autem & ambitionem multum contulisse ad condenda ejusmodi systemata, Viri in historia Ecclesiastica versatissimi & ingeniorum exploratores solertissimi, probarunt. De *Valentino* ita judicat Celeb. *Moshemius* Hist. Eccles. pag. 141. *Certus ego sum*, inquit, *superbiam, qua flagrabat miser homo* (teste Tertulliano lib. contra Valentin. cap. IV.) *quum antea valeret ingenio, cerebrum ipsi conturbasse, ac in mentis quendam morbum conjecisse. Nam a sano homine nemo sanus credat tam insana proficisci commenta potuisse. Odium conceperat in Christianos, a quibus injuriam sibi factam putabat, quam cum portentosæ doctrinæ propagatione ulcisci vellet, haud tamen id ab arroganti ingenio poterat impetrare, ut in aliorum verba juraret. Quare generalibus Philosophiæ principiis retentis novam plane rerum dispositionem excogitavit, æonum auxit & aliter ordinavit numerum, nova confinxit eorum nomina. Paucis; omnia quæ turbata mens, & de statu suo dejecta moliri solet, conatus est.* Ita *Moshemius*. *Marcionem* quod Episcopatu Romano per Hygini mortem vacuo excideret, in *Cerdonis* partes concessisse *Epiphanius* pluresque Veterum testantur. De *Manete* talia narrantur ab antiquis, quæ mihi persuadent hominem Impostorem fuisse, & superbia inani tumidum plane. Ipse *Eruditissimus Beausobre*, qui strenue alias, ubi quid a vero abhorrens vel ipsi, vel hypothesibus

ipsius affictum putabat, partes ipsius defendit, dubitat, utrum *impostura* magis & *fraudis*, an *fanaticismi* ipsum accuset. *On ne peut nier* (inquit pag. 253. *Hist. Crit.* Manich.) *quil n'ait été un grand Imposteur, ou un grand fanatique. Ceux qui disent, qu'il se retira dans un antre, ou il composa son Evangile, & qu'il se vanta ensuite de l'avoir apporté du Ciel en font un Imposteur. Mais ceux qui nous racontent, qu'il reçût sa Mission dans un songe, ou dans une Extase, semble en faire plutot un Fanatique, au moins s'il est vrai que la Songe, ou l'Etase n'ont pas été supposés. Je ne veux point decider cette question, d'autant qu'il n'est pas impossible de réunir ces deux characteres. Un homme qui commence par l'Imposture peut bien finir par le fanatisme & se persuader qu'il est effectivement ce qu'il a voulu être.* Mihi, ut verum fatear, probabilius videtur, superbia & ambitione potius, quam mentis bonæ quodam deliquio ad tam portentosas opiniones tuendas abreptum fuisse *Manetem*. Patet hoc ex iis, quæ Veteres de ipso narrant. Homo fuit nonsolum præstanti ingenio ornatus, sed & disciplinis variis, philosophicis inprimis probe excultus. In *Actis Archelai* pag. 89. de eo dicitur: *Eruditus secundum omnem doctrinam, quæ in illis locis est, ac pene dixerim super omnem hominem.* Idem testantur Viri doctissimi Abbas *Renaudotius in Historia Patriarch. Alexandrinorum*, & *Assemanus* in *Bibliotheca Orientali*. Imo si *Herbelotio* & *Abulpharajo* fides habenda, nonsolum in sacris literis a puero fuit institutus, sed & Sacerdos fuit *Manes*, interpretatus est S. Literas, atque adversus Magos, Ethnicos & Judæos strenue disputavit. Verba ipsa doctissimorum horum Virorum adducit *Beausobre* Tom. I. pag. 83. 158. seq. Ibidem pag. 94. adductis testimoniis veterum ostenditur, *Manetem* nonsolum cæteros Doctores Religionis christianæ tanquam rudes & simplices contemsisse, sed & jactasse, se ad omnes propositas quæstiones accuratissime responsurum, omnes nodos & dubia soluturum, quod ingenii superbissimi & vanissimi evidentissimum signum est. Mirumne autem est ejusmodi homines fraudibus & mendaciis uti, ut celebriores evadant? Hinc quando Cl. *Hottingerus* Pater *Histor. Eccles. Tom. I. pag. 147.* ex Mseto Arabico docet, *Manetem* asseruisse se *per quietem* divinitus fuisse vocatum, & quod, uti *Renaudotius* & *Herbelotius* ex Orientalium monumentis probant, in antrum sese abdiderit, discipulisque suis persuaserit, se in cœlum iri raptum, ibique per annum mansurum, elapsoque eodem temporis Articulo Evangelium aliquod sub *Revelationis* in cœlo auditæ nomine in vulgus sparserit, hinc inquam prudens

quisque

quisque colligere poterit, *Manetem* non tam enthusiasmo quodam, quam vero potius *turpissima ambitione*, in tantam prolapsum fuisse insaniam. Idem dici posset de plerisque *Gnosticis*, ævi Apostolici Hæreticis. Hi enim nescio quam secretam sibi tribuebant disciplinam, Apostolos tanquam rudes alto supercilio comtemnebant, & mentes sibi obtigisse ex mundo intelligibili superbissimi homines garriebant. Vide *Irenæum* Lib. I. cap. XXV. pag. 103. 104. Lib. III. cap. V. p. 179. Edit. *Massueti.*

X. Sed & plura alia indicia sunt ex quibus patet, multos, *Hæreticorum primorum Seculorum ambitione & superbia* fuisse corruptos. Huc refer II.) quod ab una parte non verecundati fuerint, libros sacros vel rejicere vel depravare & ad opiniones suas detorquere: Ab altera vero, quod Viris Sanctis vel Celebribus v. gr. *Zoroastri*, *Abrahamo*, aliisque libros supposuerint. Notiora hæc sunt quam ut multis probem testimoniis; Juvat unum duntaxat aut alterum Exemplum adduxisse. Ita refert Cl. *Alexandrinus Stromat. Lib. II. pag. 457. Gnosticos* Pauli ad Timotheum datas Epistolas rejecisse, quoniam christiani ad debellandas eorum opiniones iis utebantur. *Marcionem* Acta Apostolorum, Epistolas ad Timotheum, ad Titum & ad Hebræos admittere noluisse, quod suis opinionibus essent adversæ, testis est *Tertull. contr. Marc. Lib. V.* Ab eodem Hæretico loca quædam Evangeliorum & Epistolarum, fuisse depravata, utpote suis opinionibus adversa, idem testatur *Tertullianus Lib. IV. cap. 4.* *Manichæos* idem tentasse, integro capite adductis Veterum Testimoniis probat Cl. *Beausobre Hist. Crit. Manicheismi Tom. II. Lib. VIII. cap. 3.* Eosdem contra multos fictitios libros nomine Virorum Sanctorum & Celebrium in vulgus sparsisse, in confesso est. Ne longus sim ad *Fabricii Codices pseudepigraphos*, *V. & N. Testamenti*, *Beausobre Hist. Crit. Manich. Tom. I. Mosheimii Institut. Hist. Christ. majores*, *Germonium* aliosque Lectorem remitto. Unum nobis sufficiat adduxisse testimonium nimirum *Irenæi*, *Lib. I. contra Hæreses cap. XX. pag. 91.* ita dicentis: Προς δε τουτοις ἀμυθητον πληθος ἀποκρυφων και νοθων γραφων, ἁς αὐτοι ἐπλασασαν παρεισφερουσιν εἰς καταπληξιν των ἀνοητων. i. e. *Super hæc autem innumerabilem multitudinem apocryphorum & adulterinorum librorum, quos ipsi composuerunt, afferunt, ut rudes & ignaros homines in stuporem trahant.* An hæc non satis superque probant, homines istos data opera Religioni christianæ insultare voluisse?

Idem ex aliis indiciis ostenditur.

III.) *Iidem homines male sani, aut ad conciliandam intricatis, quas fovebant opinionibus veri speciem; aut ad insciti am suam tegendam, barbaris quibusdam utebantur vocibus, sub quibus tamen sublimia mysteria tegi asserebant*, quo ipso stolidam ingenii superbientis notam contraxerant merito. Qui enim veritatem amat serio, eamque cæteris quos male sentire eximat, commendare cupit, omni virium contentione id agit, ut ad eam insinuandam verbis utatur claris & perspicuis; inprimis autem de eo sollicitus est, si ea, quæ profert nova sunt, aut si res nota quidem est, sed novis utendum ad rem declarandam, vocabulis. Quis autem ignorat, quam intricatis & perplexis vocibus usus sit *Valentinus*? Verum quidem est, voces *pleroma*, *bythos*, &c. in Novo Testamento adhiberi; at plane alio quam quidem τερατολογος ille voluerat sensu id factum, norunt eruditi omnes. Interim tamen nunquam perspicue mentem suam explicuit, aut definitiones accuratas exhibuit, vel dare potuit. Hinc nonsolum Recentiores eruditi in vocibus illis explicandis hærent, sed & antiquissimi Patres *Irenæus* v. gr. qui Valentinianum systema primus exhibuit, veram vocabulorum significationem non semper habuerunt perspectam. Plane ad rem & ad mentem meam de *Valentino* judicavit Cl. *Clericus Hist. Eccl. pag. 586.* ita loquens: *Cæterum si Valentinus tantum dicere voluisset res, quæ in confesso erant apud Christianos, merus Agyrta fuit, qui suam insciti am novis vocabulis velavit, sique ab aliis Christianis vocum tantum causa secesserit, Impostorem & turbulentum ingenium esse oportuit. Sin vero novi quidpiam & antea ignotum in lucem, ut videtur proferre se putaverit, clarius loqui eum oportuit, aut certe iis non uti verbis, quibus nonnisi absurdus sensus tribui posset, & propter quæ ejus sententia ut ridicula ab omnibus sani cerebri hominibus non rejiceretur. Non est delictum, cui ignoscere quisquam possit, si veritas ita exprimatur, ut propterea infamari queat; nec facile mihi persuaserim quemquam fuisse, qui cum eximia quædam dicenda haberet, obscuro & absurdo sermone ea vestire voluerit.* Similiter *Basilides* præter ea, quæ de *Æonum*, *geniorum* & *cœlorum ordinibus* garriverat, barbaris quibusdem vocibus usus est, in quibus explicandis frustra desudant eruditi. Ita quid illud *Basilidis cau-lacau* significet, fatentur se ignorare doctissimi *Irenæi* interpretes, *Grabius* & *Massuetus*. In explicandis vocibus *Abraxas* & *Abracadabra*, mire se torquent *Chiffletius*, *Basnage*, *Beausobre* aliique. Impostor tamen hic contendit, nonsolum mirificam huic voci *Abraxas* gemmis inscriptæ vim esse, sed & eos, qui disciplinæ suæ sint capaces

recta

recta posse in cœlum contendere, neque videri ab Angelis, uti id factum etiam sit a *Cau-Lacau*. Vide *Irenæum*, Lib. I. pag. 81. edit. *Massueti*. (*) Similia multa occurrunt in Systemate *Manetis*, prouti prolixe id ostendit *doctissimus Beausobre*, ut de aliis nil dicam. An non hæc impostura, superbiæ ridiculæ & impudentiæ satis clara sunt vestigia?

IV.) *Iidem non dubitant capita Religionis christianæ evidentissima negare, & in ridiculum sensum detorquere, ut suis ineptis hypothesibus & cerebri deliramentis præsidium quærerent.* Fuerunt equidem semper, & sunt adhuc inter Eruditos tales, qui anteceptas animis opiniones cum Religionis christianæ decretis conciliare nituntur; at hoc fieri (saltem a modestioribus) duntaxat solet, ubi vel textus ipse S. Literarum obscurior est, vel ubi hinc inde phrases verbaque, novas ejusmodi explicationes non contemnendis hypothesibus superstructas, pati posse videntur. At hi homines capita Religionis evidentissima, quibusve totum Systema Religionis christianæ innixum erat, contra clarissimum verborum sensum interpretabantur. Ita v. gr. inter antiquissimos Hæreticos erant, qui *Docetæ* vocabantur. Hi viventibus adhuc Apostolis videntur orti; unde & quidam eruditi existimarunt *Johannem Evang. cap. I. v. 14.* ubi τον λογον carnem factum esse ait, ad hos homines respexisse. *Cotelerius* certe, Vir in antiquitate Ecclesiastica versatissimus, in notis ad Epist. *Ignatii* ad Romanos pag. 24. ait: *Solem negaret meridie lucere, qui docetas & phantasiastas Hæreticos tempore Apostolorum inficiaretur erupisse.* Consentit Vir non minus illustris *Pearsonius Vindic. Ignat. Part. II. cap. I. pag. 344.* Quicquid autem de eo sit, hoc ex veterum monumentis satis superque patet, Hæreticos illos, *Docetas* vocatos, negasse Christum Jesum verum corpus habuisse, & vere passum, sed *umbra* duntaxat pro *corpore* fuisse vestitum: alii Jesum a Christo distinguebant; cæteri omnes, ut alia mittam, mundum a malis Angelis creatum adserebant. Causa autem cur in paradoxas & pestilentes has descenderent opiniones erat, quod materiam mali causam esse firmiter crederent. Quid autem, provoco ad omnium conscientiam, magis apertum est ex lectione N. Testa-

(*) Videatur exercitatio Celeb. Viri P. E. *Jablonski* de Nominis Abraxas in plerisque Basilidianorum & Gnosticorum Gemmis obvii, vera & genuina significatione, quæ Volumini VII. novorum Miscellaneorum Lipsiensium inserta est. Adde S. *Basnage* Annales politico-Ecclesiasticos, Tom. II. p. 49.

menti, quam Jesum habuisse verum corpus, edisse, bibisse, locutum esse cum aliis, ambulasse &c. hæccine dici possunt de homine corpore destituto? Cui non in mentem venit sententia æque sana *Epicuri*, asserentis, Deos non habere corpus, sed *quasi corpus*; non habere sanguinem, sed *quasi sanguinem*, *Ciceroni* explosa? Quis credat homines illos non pulchre perspexisse, posita inepta thesi sequi, Christum igitur non passum esse vere, non vere e mortuis in vitam revocatum, non vere in cœlos ascendisse? annon insuper facile colligere poterant, ita Evangelistas & discipulos Christi, qui de universa vitæ & mortis ratione tanta cum confidentia locuti sunt, verbisque tam perspicuis suam sententiam expresserunt, aut sensu communi destitutos, aut impudentissimos fuisse impostores? Verbo ut dicam, annon perspexerant, ita Religionem christianam in meram commutari fabulam? His tamen non obstantibus, pessimi Histriones & Impostores, ut salva sit incertissima hypothesis, non dubitant clarissima fidissimorum Christi asseclarum corrumpere testimonia. Idem dictum sit de creatione mundi. Quis nisi emotæ mentis homo negare poterit, Mosen & omnes veteris & novi Testamenti Scriptores clarissimis verbis asseruisse, mundum hunc a Deo fuisse creatum? Attamen & hoc dogma, quod luce clarius est, negandum fuerat, ne forte temere arrepta opinio vacillaret.

V.) Denique Hæretici illi *spretis dogmatibus Religionis christianæ cum aliqua difficultate conjunctis, Hypotheses excogitabant, nonsolum longe majoribus dubiis obnoxias, sed & tales, ad quas cum aliqua veri specie stabiliendas, innumeris figmentis opus erat.* Omnibus licet, imo omnes tenentur ea dogmata profiteri & defendere, quæ minimis urgentur difficultatibus. Qui Religionem nullam admittere vellet nisi eam, quæ ubique plana & captu facillima, & nullis plane dubiis obnoxia sit, vel quæ ex continuis demonstrationibus, mathematicam evidentiam æquantibus constet, ille vel nihil prorsus, vel pauciſſima credere deberet. Christiana Religio ea omnia clare & perspicue tradit, quæ ad Deum colendum & veram felicitatem consequendam facere possunt. At multa etiam in ea tradi, quæ aut plane non cognoscamus, aut obscure & imperfecte, quis est qui negare possit? Huc, ut multa alia mittamus, etiam pertinent de origine mali moralis & physici quæstiones: Quæritur nimirum, qua ratione mali permissio (ut de subtilioribus hypothesibus nil dicam,) cum virtutibus divinis conciliari possit. Multa tradit Revelatio ad quæstionem illam

eluci-

elucidandam, nec exiguum pondus iis addunt rectæ rationis decreta. At solvi omnes posse difficultates causasque permissionis mali, & Consiliorum divinorum rationes dari posse sufficientes, ad nodum penitus solvendum nemo prudens dixerit. Cuncti interim cuicunque tandem sectæ addicti, omnes ingenii vires intendere debent, ad virtutes divinas vindicandas, & ad systema excogitandum, quod minimis, aut nullis sit obnoxium difficultatibus. Quanquam quod ad postremum spectat, dubitem, utrum id in hac rerum caligine, unquam obtineri possit. (*) Quod si expendamus Systemata *Gnosticorum*, *Valentinianorum*, *Manichæorum*, aliorumque vel *Philosophorum* antiquorum, vel *Hæreticorum*, constabit, homines illos missa Revelatione, Systemata excogitare voluisse, quæ ab omnibus difficultatibus respectu originis mali moralis & physici forent libera. Scopus ipse bonus & laudandus est, si hoc unum intenderunt. At num propterea Revelatio ipsa & evidentissima illius decreta erant impugnanda, pessimum in sensum torquenda, vel νοθειας suspecta reddenda? Poterantne homines illi sibi persuadere, Christianos, quibus aliqua esset Dei & S. Literarum reverentia, quosve male sani homines in suam sententiam pertrahere volebant, poterantne inquam homines illi sibi persuadere, eos pedibus statim in suam sententiam ituros? fierine tandem potuit, ut homines illi videre non potuerint, arreptis opinionibus nullis fundamentis superstructis, difficultates circa materiam hanc occurrentes plane non

(*) Ipse illustris *Leibnizius*, qui novam ingressus est viam ad solvendas difficultates a *Baylio* circa hoc argumentum motas, haud obscure significavit, fieri per ingenii humani vires in his terris non posse, ut difficultates omnes hic occurrentes penitus tollantur: in Præfatione enim libri cui titulus: *Essais de Theodicée* &c. pag. m 66. Hæc in medium adducit *Baylii* verba: *M. Bayle a pu esperer, que son travail piqueroit d'homeur quelques un de ces grands genies qui forment de nouveaux systèmes & qu'ils pourroient inventer un denouëment inconnu jusquici.* Quibus allatis hæc addit: *Il semble que pour ce denouëment il entend une explication du Mystere, qui iroit jusqu'au comment, mais cela n'est point necessaire pour repondre aux objections.* In Dissertatione vero huic libro annexa thes 143. & 144. ita loquitur: *Ipsum autem Βαθος in divinæ Sapientiæ thesauris, vel in Deo absconditо (quod eodem redit) in universali rerum harmonia latet; quæ fecit ut hæc series universi complexa eventus quos miramur, judicia quæ adoramus, optima præferendaque omnibus a Deo judicaretur. Sed pars rerum præstantissima Civitas Dei, spectaculum est, cujus ad pulchritudinem noscendam aliquando demum illustrati divinæ gloriæ lumine propius admittemur. Nunc enim satis fidei oculis, id est divinæ perfectionis certissima fiducia attingi potest; ubi quanto magis non tantum potentiam & sapientiam, sed & bonitatem supremæ mentis exerceri intelligimus, eo magis incalescimus amore Dei, & ad imitationem quandam divinæ bonitatis, justitiæque inflammamur.*

non tolli, sed potius multiplicari? v. gr. num explicari poterant, qua ratione materia causa mali moralis esse possit? Unde orti sint mali genii, quos fingebant, a Deone essent an vero ex materia? num rationes dare poterant satis sufficientes, quomodo mentes puræ in corpora detrusæ statim fiant malæ? possunt ne nobis secundum illa Systemata causam exponere, cur Deus permiserit, ut mentes puræ tot miseriis essent obnoxiæ? cur idem malis geniis potestatem dederit, mundum, in quo tanta mala locum essent habitura, condendi? Mitto innumera alia, quæ objici possent, neque enim animus est ostendere, quot difficultatibus illa Systemata obnoxia sint. Nemo est vel mediocriter in his versatus, qui lectis illis Systematibus, id non sit deprehensurus. Accedit quod præter difficultates multas & insolubiles, ad hypotheses suas effingendas opus habuerint variis præsidiis, id est, opinionibus precariis valde, quæ neque ex rationis, neque ex Revelationis decretis, ulla cum veri specie possunt hauriri, quæ tamen, antequam integrum systema rite esset coagmentatum, a novis illis Theologis probari ante omnia debuisset. Sic multa narrant de *intellectualis mundi* ante omne ævum *constitutione*; de *pleromate*: de *æonibus* ex Deo vel mundo intellectuali emanantibus: de *modo* hujus *emanationis*; de *variis geniis*, eorumque *ordinibus*; de *mentium humanarum* antequam in corpora detruderentur *statu* &c. &c. quæ omnia meræ sunt hariolationes & insomnia hominum otiosorum. Non est animus integram seriem tam profundarum meditationum Lectoris oculis offerre. Legant, quos harum rerum tangit cura. Virorum inter Modernos doctissimorum, nimirum *Buddei*, *Massueti*, *Basnagii*, *Brukeri*, *Beausobre*, aliorumque de systematibus *Valentini*, & *Manichæorum* cogitata & manifestum erit, quam incertis plane, & stramineis hypothesibus superstructa fuerit universa ipsorum Theologia vel potius ματαιολογια. Ut tamen discipuli nostri aliquem gustum habeant tam admirandæ horum hominum eruditionis Theologicæ, propositiones præcipuas e systemate *Manetis* petitas, heic apponam, idque eo lubentius, quia homo iste pleraque ex *Gnosticorum*, *Valentinianorumque* principiis consarcinavit, & egregiis suis commentis, quod necesse erat, locupletavit. Prolixius qui cuncta explicata & illustrata cognoscere vult, adeat laudati *Beausobre* doctissimum opus.

Sunt autem præcipuæ sequentes:

1.) Deus est Substantia viva & immaterialis, ab omni æternitate in cœlo residens.

2.) Ab

2.) Ab omni ævo ex Essentia Dei æones vel genii emanarunt, quia ex nihilo nihil fieri potest.

3.) Cœlum supremum, & intelligentiæ cœlestes, quæ ibi degunt, faciunt *mundum intelligibilem*.

4.) Cœlum supremum non minus per se existit, quam Deus.

5.) Ex Essentia Patris emanarunt Filius & Sp. Sanctus. *Prior* in Sole & Luna sedes habet fixas, *posterior* in aëre, hic Patris imperia exequuntur usque ad finem mundi

6.) In quodam immensi spatii angulo ab omni æternitate residet Substantia quædam maligna, quam utrum materiam, vel dæmonem, vel tenebras voces, perinde est.

7.) Hujus malignæ Substantiæ Imperium in quinque Regiones erat distinctum. In una quaque Regione certa erant elementa & animantia, ex elementis hisce orta.

8.) Irruptionem in regnum lucis facere volebant tenebricosi Regni præfecti; at opportune Deus per quendam cui nomen *primus homo*, cum comitatu 5. Elementorum, & Spiritu quodam vivificante luci occurrit, ita tamen ut ex conflictu illo in posterum mixtura quædam lucis & tenebrarum orta sit.

9.) Spiritus ille vivificans, subjugatos Dæmones in varias aëris regiones distribuit, in quo tempestates, tonitrua, pluvias, & pestem excitare solent.

10.) Mentes ex lumine quodam cœlesti constant: in corpora autem detrusæ venenum quoddam bibunt, quo sumto eas rerum omnium capit oblivio.

11.) Huic malo ut occurreret Deus, misit in mundum viros sanctos & sapientes, inter quos erat etiam Christus.

12.) Cum caro ex materia constet, materia vero omnis mala sit, fieri non potuit ut Christus carne esset indutus, adeoque umbram duntaxat habuit corporis, neque adeo proprie loquendo, edere, bibere, vel pati potuit.

13.) Crucifixio Christi, Ejusque resurrectio, fuit saltem mystica, ex qua tamen miseræ mentes vinclis corporis constrictæ, discere debuerunt, qua ratione pravi affectus sint edomandi.

14.) Mentes purificatæ in Lunam migrabunt, tradendæ postea Soli, ex quo in locum cui titulus: *Columnæ gloriæ*, devehendæ.

15.) Spiritus S. auxilio adest omnibus animabus in aëre existentibus; Sol vero scorias illis adhuc adhærentes sensim deterit, ut facilius ad Superiora loca possint ascendere.

16.) Postquam purgatæ erunt mentes omnes, Deus ex nescio quibus cavernis ignem prodire jubebit, & Angelus quidam *Omophore* dictus, terram, quam hactenus sustinuit, in ignem conjiciet, & universam tandem massam, in locum extra mundum quem S. Literæ *tenebras exteriores* vocant, protrudet.

Et hæ sunt præcipuæ Systematis *Manicheorum* partes. Ex quibus prudens quisque colligere poterit, utrum facilius positis hisce precariis propositionibus, difficultates circa mali originem occurrentes, solvi possint quam ex responsis, quæ ratio & Revelatio suppeditant. An non potius exinde sole meridiano clarius est, *Incredulos hosce*, ea quæ clara sunt in Revelatione rejeciſſe propter quasdam difficultates; simul vero inani superbia commotos, Systema aliquod excogitasse, quod nonsolum ex meris utplurimum cerebri commentis constat, sed & quod difficultates nullo modo tollit. Sed satis de Hæreticis illis. Possemus huic turbæ merito adjungere *Callidissimum Impostorem Muhamedem*, qui fraude & malitia ad stabiliendas suas opiniones (ut de violentia nil dicam) usus est multiplici. Sed omnia quæ dici possent, summa cum industria nec minore judicio & candore ex Orientalium Scriptis collegit, & edisseruit doctissimus *Gagnierius* in *vita famosi hujus Impostoris*, duobus Volum. in 8. edita. (*) Novimus quidem ante hunc, vitam & dogmata *Muhamedis* exposuisse *Comitem de Boullainviller*: at ita hoc factum est, ut suo Exemplo thesis nostra mirifice confirmetur; nimirum non dubitare *Incredulos omnes historiæ leges* pervertere, & crassissima effutire sæpe mendacia, modo Religioni Christianæ, si fieri posset, detrahere possint. At mirum non est hæc a Nobili illo facta, postquam aliunde notum, ipsum monstrosæ *Spinozæ* addictum fuisse opinioni. Videatur doctissimi *Gagnierii præfatio* operi jam jam laudato præmissa.

(*) In sequenti tamen dissertatione, ex eo pariter & aliis doctorum Virorum scriptis ea in medium adferemus, quæ ad scopum nostrum facere videbuntur.

BIGA
THESIUM THEOLOGICARUM.

I. *Religio Naturalis est equidem sufficiens ad hominem officii convincendum, non autem ad peccatorem in gratiam cum Deo reducendum, quoniam solius est arbitrii divini, & peccatorem in gratiam recipere, & conditionem qua intercedente recipiendus sit, præscribere.*

II. *Definitio fidei quam Auctor* Epistolarum *de* Relig. Essentiali *exhibet, quod nimirum sit* perceptio evidens Numinis & attributorum ejus essentialium, *nonsolum Revelationi e diametro est opposita, sed & ipsa Religionis Naturalis fundamenta concutit.*

MEDI-

MEDITATIONIS DE CAUSIS MAGIS MAGISQUE CRESCENTIS INCREDULITATIS, ET MEDELA HUIC MALO ADHIBENDA.

PARS III.

Sect. I.

IN secunda noſtra de cauſis magis, magisque invaleſcentis Incredulitatis Diſſertatione adductis exemplis oſtendimus, multos *Incredulorum* graviſſima Religionis Naturalis & Revelatæ capita rejicere, imo eadem aliquando acerbe impugnare; ſimul tamen frequentiſſime ſubſcribere propoſitionibus incertiſſimis, imo ſtultis aliquando & plane ineptis. Ex quo colligimus, ejusmodi homines ſpretis rectæ rationis legibus id tantum tueri, quod pravis affectibus gratum atque acceptum eſſe poſſit. Vix enim adduci poſſumus ut credamus, hominem ſanæ mentis, Eruditum inprimis, quique ſingula ad rectæ rationis normam expendit, perſpectis & probe ponderatis ſingulis Hypotheſeos alicujus aut ſententiæ partibus, gravibus rationibus ſuperſtructæ, eam prorſus tanquam ineptam & rationi contrariam rejicere poſſe, ſimul tamen ſerio & ex animo, adhibita pari attentione album adjicere calculum opinionibus, quæ repudiatis nonſolum ſunt incertiores, ſed & quæ doctiſſimorum virorum judicio ineptæ plane ſunt, nulloque ſuperſtructæ fundamento. Quo magis, autem homines ita agentes acutum cernunt variisque exculti ſunt diſciplinis, eo minus credimus defectum ingenii & judicii obſtitiſſe, quo minus evidentioribus ſub-

Nexus cum Antecedentibus & Inſtitutum Auctoris oſtenditur.

scripserint decretis, atque sententiis. Novimus equidem non raro fieri, ut multi inter Christianos, ineptas & stultas defendant opiniones, ad sententias vero momentosissimas, rationique & disciplinæ Jesu Christi convenientissimas parum attendant; At hi ignorantia turpi delusi nullo unquam serio Religionis examine adhibito, opinionibus cum lacte quasi materno haustis adhærent. Tales in stultissimis etiam opinionibus adquiesere mirum non est; Non magis enim suæ, quam aliorum Religionis sententias rite habent perspectas. Sed illi quibuscum nobis jam quidem res est Religionis Christianæ indolem atque naturam habent perspectam, rationesque quibus veritas illius est superstructa, probe cognoscunt, ingenioque utplurimum valent; hoc tamen non obstante tuentur atque defendunt opiniones infirmas plane atque futiles, eosque qui Religionem Christianam maximi faciunt, alto contemnunt supercilio; Ex quibus manifestum esse putamus, eos ambitionis & consequendæ famæ studio, vel aliis non minus turpibus affectibus ad tam portentosas opiniones defendendas fuisse inductos. Probavimus hoc dissertationis nostræ parte secunda Exemplo Veterum & Recentiorum *Judæorum*, *Hæreticorum* item quorundam ævi Apostolici. Quum autem exempla magnam in animos hominum vim habeant, & sententiæ nostræ quam defendimus plurimum adferant lucis, B. Lector non mirabitur, si in hac ipsa dissertatione pluribus, antiquis pariter & recentioribus Exemplis thesin nostram confirmemus. Eum in finem ex remotioribus Seculis *Philosophos Pythagorico-Platonicos* Religionem vehementer impugnantes & Impostorem *Mahomedem*; ex Recentioris vero ætatis Incredulis, *Spinozam*, *Tolandum*, *Woolstonum* aliosque in scenam producam.

Exemplo Philosophorum Pythagorico-Platonicorum ostenditur, Incredulos Religionem Christianam firmis præsidiis munitam repudiare, simul tamen subscribere opinionibus in-

II. Inter Philosophos illos Platonico-Pythagoricos eminent *Plotinus*, *Porphyrius*, *Jamblichus*, *Proclus*, *Hierocles*, *Amelius*, *Eunapius*, *Marinus*, *Julianus* aliique. Animus non est horum hominum vitam, fata, mores atque dogmata exponere, neque enim hoc ad Institutum nostrum facit; præstiterunt hoc abunde Viri Doctissimi, inter quos duo eminent: prior est Cl. *Mosheimius* cum in eruditis ad *Cudvvorthi* Systema intellectuale adnotamentis, tum singulari edita dissertatione de *turbata per Recentiores Platonicos Ecclesia*; Posterior vero Eruditissimus & Amicissimus Vir. Joh. Jacobus *Brukerus*, *Hist. Philosoph. T. III.* Hic nonsolum vitam atque dogmata horum hominum accurate repræsentavit; sed & magna cura atque diligentia ea omnia collegit, quæ ad mores horum hominum fraudesque detegendum facere possunt.

sunt. Majori adhuc diligentia & Eruditionis apparatu hanc materiam illustravit in Historia Critica Philosophiæ, opere quod cum plausu Eruditorum acceptum est. Hos adeant, qui accuratiorem notitiam de vitis dogmatibusque horum Philosophorum sibi comparare volunt. Nos hoc unum intendimus, ut horum Philosophorum exemplo probemus, eos ab una parte ambitione & sectæ studio commotos, Religionis christianæ capita gravissima vilipendisse & acerbius quam par erat eadem sæpe fuisse insectatos; simul tamen album adjecisse calculum opinionibus incertissimis, ineptissimis, imo plerumque meris phantasiæ corruptæ deliramentis. Hoc autem dum agimus, nil horum hominum Eruditioni, qua multi florebant, detractum volumus; contra dolemus, homines haud contemnendo ingenio præditos & disciplinis excultos, iisque temporibus viventes, quibus Religionis christianæ indoles atque natura satis poterat esse cognita atque perspecta, animosque veri amantium capere, tam turpiter sese affectibus deludi passos fuisse. Mea hîc facio verba Doctissimi *Holstenii* quæ pagina sexta *Vitæ Porphyrii Edit. Cantabrig:* ita sonant: *Nec possum* (inquit) *quin præstantissimorum ingeniorum sortem miserer, quæ in ea tempora inciderunt cum Religio christiana novam & insuetam mortalium animis lucem attolleret, Numenii inquam, Plotini, Porphyrii, Amelii atque similium. Qui cum divinæ veritatis gustum ex S. Litteris & nascentis Ecclesiæ Doctoribus aut præceptorum Christianorum ore percepissent, purissimos veritatis rivulos in Pythagoræ & Platonis derivarunt lacunas, & igniculos, divinæ lucis mendaciorum fumo ac tenebris obscurarunt. Quid enim non præstitissent in solidæ veritatis defensione, qui tenues aliquot istius strictura admirabili ingenii felicitate atque uberrima dicendi elegantia in tantum excoluerunt, ut doctissimos christianæ Religionis Antistites in sui admirationem pertraxerint.* Ita *Holstenius.* Quidam ex hac turba ut *Porphyrius*, *Hierocles*, & *Julianus* data opera disciplinam Christi impugnarunt; omnes vero simul Systema Theologicum adornarunt, quod vitæ Soteris nostri, ipsius miraculis atque Decretis e diametro esset oppositum. De *Porphyrio* notum est, eum Sacris Christianorum fuisse infensissimum. A *Cyrillo* Lib. 1. contra *Julianum* pag. 28. vocatur ὁ θρασυς καθ' ἡμας πορφυριος. Versatus is erat in lectione Vet. & Novi Testamenti, & ad ea vellicanda omnes ingenii intendit nervos testibus *Euseb. præp. Evang. Lib. X. cap. IX. Theodoreto Therapeut. Serm. VII. Hieronymo Epistola* CI. *ad Pamachium aliisque*, quos adducit *Holstenius* vitæ *Porphyri* cap. X. *Hieroclem* librum scripsisse, insignitum titulo: λογον φιλαληθη. in quo instituta inter

certissimis & ineptissimis, quæque, si ad gradus verisimilitudinis attendas, cum prioribus, quas alto supercilio contemnunt, nulla ratione possunt comparari.

Christum & *Apollonium Thyanensem* comparatione probare voluerit Christo nostro longe præstare *Apollonium* ex *Eusebio* & *Lactantio* constat. Idem intenderat *Philostratus* huic Sectæ addictus in vita *Apollonii*. *Julianum* denique hinc inde vellicasse Christum, ejusque Decreta, omnibus notum est.

Ostenditur primo Porphyrii, exemplo, Eum ob leves quasdam difficultates Christianam Religionem impugnasse simul vero ineptissima, acriter propugnasse.

III. Ut autem probemus hosce Philosophos ineptis opinionibus captos Decretis & præstantiæ Religionis christianæ detrahere voluisse, simul vero contra ineptissimis subscripsisse opinionibus, omnia (breviter tamen) quæ monere volumus, in certas quasdam propositiones redigemus. Et (1) quidem Homines illi Apostolos, tanquam Idiotas & simplices explodunt, asserentes, illis fidem haberi non posse; eosdem simul tamen fuisse versutos & fraudulentos, calumniantur. Testatur hoc *Lactantius Institut.* div. Lib. III. cap. II. de *Porphyrio* vel *Hierocle* agens. *Præcipue tamen* (inquit) *Paulum Petrumque laceravit cæterosque discipulos tanquam fallaciæ seminatores, quos eosdem tamen rudes, & indoctos fuisse testatus est, nam quosdam eorum piscatorio artificio fecisse quæstum, quasi ægre ferret, quod illam rem non Aristophanes aliquis aut Aristarchus commentatus sit.* Characterem habes hominis impudentis atque in omnem sese vertentis figuram, ut veritati detrahat: nimirum Apostoli & Discipuli J. Christi sunt Idiotæ, vix sensu communi præditi; iidem tamen simul omnium quos terra tulit, si Diis & *Porphyrio* similibus placet, callidissimi. Porphyrius hic calliditatis & fallaciæ accusat Apostolos, & in vita tamen *Pythagoræ*, & *Plotini* tam aperta omni posito pudore narrat mendacia, tamque putidas profert fabulas ut nonnisi emotæ mentis homines illi vacivas præbere possint aures. Quod si conferas libros *Porphyrii*, & *Plotini* de ἰοις νοητοις, & antro Nympharum, meram lucem esse Idiotarum scilicet illorum Scripta cum horum Mirabiliariorum difficillimis nugis collata, fatebuntur omnes, qui ἀλερ παθων hæc examini submiserint. Dixi *Porphyrium* in vita *Pythagoræ* & *Plotini* putida multa effudisse mendacia. Hoc adeo apertum est, ut legisse eum, sit probasse. Ita refert præter *Jamblichum* ejusdem furfuris hominem in vita *Pythagoræ* pag. 112. edit. *Kiisteri*, *Pythagoram* uno eodemque die *Metaponti* in Italia, & *Tauromenii* in Sicilia versatum, cumque utriusque loci discipulis locutum esse, plurimis licet terra marique spatiis, & quæ nec multis diebus quis confecerit, interjectis. Similia de suo *Apollonio* fanatico homine, narrat *Phylostratus* Lib. 10. cap. X. Et hi tamen homines Christi discipulos & Apostolos pro fallacibus nugatoribus habent, indignos quippe, quibus fidem

fidem habeamus, quando res a Christo gestas simplici stylo narrant. At non sunt contenti hoc, homines illi adeo sublimis ingenii, sed aperte asserunt, licitum esse, si e re Religionis, id est stultissimarum suarum, quas tuebantur, opinionum esse videretur, mentiri. Verum quidem est inter omnes Sectas & ordines hominum semper fuisse qui veritatis exiguam habuerunt rationem; inprimis autem sunt multi, qui ubi Historiam rerum ad Religionis negotium pertinentium narrant, ea quæ dissentientibus parum honorifica sunt accurate & prolixe exsponant; cum vero ad Sectæ, cui addicti sunt, fata enarranda deventum est, vitia suorum tegere, malefacta benigne interpretari, circumstantias mutare vel silentio plane transire solent. Et hoc dum agunt Viri tamen boni & candidi rerum gestarum Narratores videri & haberi volunt. At his de quibus nobis jam quidem res est, periit omnis plane de fronte pudor. Asserunt licitum esse ita agere: posses hos homines *Jesuitas* ante *Jesuitas* appellare. Licet enim etiam inde a condito mundo fuerint, qui mentalibus usi fuerint reservationibus, aliudque pectore clausum aliud lingua promtum habuerint, & adhuc dum eheu Viri candidi & veraces rarissimæ sint in terris aves, paucissimi tamen, si a quibusdam Sociis *Lojolæ* recedas, eo impudentiæ progressi sunt, ut publice impudentissimos hosce, pestilentes, & in perniciem Societatis civilis excogitatos errores, tueri ausi fuerint. Quemadmodum autem postremum ad oculum ostenderunt Viri Docti *Pascalius* inprimis & *Nicolius* in *Literis Provincialibus:* ita eidem vitio deditos fuisse Philosophos hosce probarunt laudati supra Viri *Moshemius* & *Brukerus.* Prior in dissertat. de *turbata per Recent. plat. Ecclesia* Sect. XXIV. & sq. posterior *Histor. Philosoph. Tom.* II. p. 1019. vel sola lectio Biographiæ *Pythagoræ*, scriptæ per *Jamblychum* & *Porphyrium* quemlibet de veritate asserti nostri convincet.

IV. Idem *Porphyrius* detracturus Religioni christianæ, quam 15. libris oppugnavit, in medium protulerat quasdam S. Literarum ut sibi videbatur ἐναντιώσεις. Inprimis provocaverat ad locum Epistolæ ad *Galatas* cap. 2. v. 11-14. in quo Paulus refert, se Petro in faciem restitisse, ex quo colligebat, Apostolos & quidem Principes eorum, non publice omnium saluti, sed suæ quemque gloriæ privatim studuisse. Utinam extaret adhuc opus illud *Porphyrii* multa Eruditione, uti Veterum Patrum ostendunt testimonia, refertum: at eheu præter fragmenta quædam exigua hinc inde a Patribus adducta, relictum nobis nihil, sævientibus in hæc Scripta Imperatoribus, impotenti Doctorum publi-

Examinantur Porphyrii objectiones.

publicorum Zelo ad ita agendum incitatis: contentos igitur nos oportet esse exiguis quæ hinc inde extant, objectionibus *Porphyrii*. *Hieronymus* objectionis jamjam allatæ mentionem facit in Proëmio Commentar. in Epistolam ad Galatas, dicens: *Quod nequaquam intelligens Bataneotes & sceleratus ille Porphyrius in primo operis sui adversum nos libro Petrum a Paulo objecit esse reprehensum quod non recto pede incederet ad Evangelizandum; volens & illi maculam erroris inhærere & huic procacitatis; & in commune ficti dogmatis accusare mendacium dum inter se Ecclesiarum Principes dissident.* Idem testatur Epistola 89. ad *Augustinum* & alibi. Idem *Hieronymus* (vel quisquis est Auctor Commentariorum in Psalm. LXXVII.) testatur Imperitiæ accusatum *Matthæum* quod Cap. XIII. v. 35. pro *Asapho* Propheta scripserit *Esajam*. Christum vero Soterem nostrum inconstantiæ ac mutationis postulatum quod nempe Joh. Cap. VII v. 8. dixerit; *Vos ascendite ad hoc festum, ego non ascendo*, ad quod tamen postea ascenderit. Ex quibus facile patet quid sibi probandum sumserit *Porphyrius*: nimirum dari in Scriptis Apostolorum loca secum invicem pugnantia, ipsosque sectatores primos parum sibi constitisse in articulis Religionis, pravis denique affectibus superbia inprimis compulsos, mutuo sese reprehendisse. At ea certe quæ hîc adducuntur tanti non sunt, ut propterea fides Apostolorum vacillet. Non est animus data opera hîc candorem & veracitatem Evangelistarum & Apostolorum probare & vindicare, sed pauca saltem occasione objectionum *Porphyrii* monere. *Primo* enim posito etiam & concesso dari ejusmodi loca in V. & N. Testamento quæ difficulter invicem conciliari possint, minime sequitur, falsam esse vel Historiam universam vel Auctores inter se in summa rerum non consensisse: fieri enim prius facile potest multas ob causas. Probandum Apostolos & Evangelistas in historia vitæ & mortis S. Soteris, inque Articulis Religionis ad summam disciplinæ Christianæ facientibus non conspirasse, quod falsissimum est. In summam quæ huic objectioni opponenda sint, contraxit *Magnus Grotius* in *aureo libello* de *V. R. Christianæ* Lib. III. cujus verba digna sunt, quæ apponantur: *Solet* a nonnullis, (inquit) *objici, esse quandam in his libris interdum sensuum discrepantiam: sed contra quisquis hanc rem æquis animis volet dijudicare, reperiet hoc quoque argumentis pro horum librorum auctoritate posse adjici, quod in rebus, quæ aliquod dogmatis aut historiæ momentum in se habent, manifestissima est ubique consensio; qualis nulla alibi inter ejusdem sectæ scriptores reperiatur, sive Judæos sumas, sive græcos Philosophos aut Medicos sive Romanos Juris*

Juris Consultos, in quibus omnibus sæpissime reperias non modo pugnare inter se qui sectæ sunt ejusdem, ut Platonem & Xenophontem; sed & eundem sæpe Scriptorem nunc hoc nunc illud velut sui oblitum, aut quid statuat incertum adseverare. At hi, de quibus agimus, Scriptores credenda eadem inculcant, eadem dant præcepta, etiam de Christi vita, morte, reditu in vitam: summa ubique est eadem. Quod vero ad exiguas aliquas circumstantias & ad rem nihil facientes attinet, facillime fieri potuit, ut non desit commoda conciliatio, sed nos lateat ob res similes diversis temporibus gestas, nominum ambiguitatem, aut hujus hominis aut loci plurima nomina, & si quid simile est. Imo hoc ipsum Scriptores illos ab omni doli suspicione liberare debet; cum soleant qui falsa testantur de compacto omnia ita narrare, ut ne in speciem quidem quidquam diversum appareat. Quod si ex levi quadam discrepantia, etiam quæ conciliari nequiret, totis libris fides decederet, jam nulli libro, præsertim historiarum credendum esset; cum tamen & Polybio & Halicarnassensi & Livio & Plutarcho in quibus talia deprehenduntur, sua apud nos de rerum summa constet auctoritas: quo magis æquum est, ut nihil tale eorum fidem destruat, quos videmus ex eorum Scriptis pietatis & veri semper fuisse studiosissimos? ita Illustris Grotius. Addendum tamen est aliquid de duobus locis, quos aggressus est *Porphyrius*: prior extat Matth. XIII. 35. In nostris hodie Codicibus græcis extat: ὁπως πληρωθη το ῥηθεν δια τε προφητε; non addito nomine ipso Prophetæ. *Hieronymus* in Commentario ad h. locum hæc habet: *Legi in nonnullis Codicibus & Studiosus lector forte reperiet id ipsum, in eo loco ubi nos posuimus, & vulgata habet Editio, dictum est per Prophetam dicentem: ibi scriptum per Esajam Prophetam dicentem. Quod quia minime inveniebatur in Esaja, arbitror postea a prudentibus viris esse sublatum, sed mihi videtur in principio ita editum. Per ASAPH Prophetam. Septuagesimus enim septimus psalmus, de quo hoc sumtum est Testimonium, Asaph Prophetæ titulo inscribitur; & primum scriptorem non intellexisse Asaph & putasse scriptoris vitium, atque emendasse nomen Esajæ cujus vocabulum manifestius erat.* Ex hisce verbis satis patet, existumasse *Hieronymum* in textu primum positum fuisse *Asaphi* nomen, quod postea insciția cujusdam Librarii in nomen *Esajæ*, sed perperam fuerit conversum. Eum hac in parte sequitur *Critobulus Hierapolitanus*, i. e. *Joannes Clericus* (non vero R. *Simon* ut ad h. locum scripsit Celeb. *Wolfius*) in Epistola ad *Origenem Adamantium* i. e. R. *Simonem* data, & adjecta libro cui titulus: *Defense des Sentiments de quelques Theologiens de Hollande sur l'Histoire Critique du Vieux Testament.* pag. m. 439. *Hieronymi*

autem conjectura nullo nititur fundamento, in nullis enim Codicibus nomen *Asaphi* reperiebatur. Hoc enim si fuisset, dubium non est, quin loco *Esajæ* Patres *Asaphi* nomen adjecturi fuissent. Neque nomen *Asaphi* in antiquissima versione Itala extitisse confitetur ipse *Hieronymus*. Quæritur duntaxat, cum *Esajæ* nomen ante *Porphyrii* ætatem non extiterit, & a *Millio* nullus repertus fuerit Codex, in quo nomen *Esajæ* extet hodie, qua ratione nomen *Esajæ* in codices quosdam irrepserit. Probatur nobis sententia τὰ μακαριτὰ *Olearii* in Commentario in h. locum, qui existimat, nunquam *Asaphi* nomen in textu extitisse, sciolum vero quendam Librarium nude Prophetæ nomen legentem illud κατ' ἐξοχην de *Esaja* interpretandum, atque ad marginem scribendum censuisse, ex qua deinceps in contextum ipsum illatum sit. Pone jam quidem, in quibusdam codicibus tum temporis extitisse Nomen *Esajæ*, num propterea Imperitiæ erat accusandus *Mathæus?* annon longe plura illi poterant monstrari Exemplaria, a quibus plane aberat illud Nomen? annon sufficiebat, quod Prophetæ nomen, quod *Asapho* 2. Chron. XXIX. 30. tribuitur, appositum fuerit *Matthæus?* Et quæ tandem hæc consequentia: vitio cujusdam Librarii in h. locum Matthæi intrusa vox *Esajæ*; Ergo Matthæus ipse, Vir in omnibus aliis rebus fide dignissimus, & ἀυτοπτης rerum a Christo gestarum imperitus est Scriptor: Ergo in cæteris etiam audiendus non est.

Alter locus quem teste *Hieronymo* Christianis objecerat extat. Joh. VII. v. 8. ubi Christus ait ὑμεις ἀναβητε εἰς την ἑορτην ταυτην. ἐγω ἐπω ἀναβαινω. Ita quidem hodie legitur. Codex autem Cantabrigiensis legit ἐκ pro ἐπω. Et hanc Lectionem præter versiones quasdam sequuntur quidam Patres quanquam numero pauci. Inter Recentiores vero *Grotius*, *Millius*, R. *Simon*, *Pfaffius* aliique, testimonio inprimis Hieronymi & accusatione *Porphyrii* ad ita sentiendum commoti. Hinc *Grotius* ait: *si* ἐπω *fuisset Porphyrii tempore, nunquam hic Christum calumniatus esset de mendacio: nam in voce* ἐπω *fuisset nodi solutio.* Quanquam autem Codici Cantabrigiensi, qui sæpius ab aliis recedit, non multum in causa controversa possit tribui, negari tamen non potest tempore *Porphyrii* in quibusdam Codicibus lectum fuisse ἐκ. Quid responderint illi, qui *Porphyrii* censuras expenderunt non adeo certum est; si tamen *Chrysostomi* explicationem admittamus, qui sine dubio virorum illorum, qui contra *Porphyrium* in arenam descenderunt Scripta evolvit, posita etiam veritate lectionis ἐκ os obturare *Porphyrio* poterant dicendo, ellipticam hic occurrere loquendi rationem & post verba

verba ἐκ ἀναβαινω particulam ἀρτι esse subintelligendam. Et ita *Chrysostomus*, addens καθαπαξ ἐκ ἀναβαινω, ἀλλα νυν, τυτεστι μετ' ὀλιγον: commendat hanc interpretationem versus 6. & 8. vide Cl. *Wolfii Curas ad h. l.* Quicquid vero de eo sit, patet, *Porphyrium* eo animo legisse Novum Testamentum, ut non inde quæ ad veritatem probandam conferre possunt, discceret, sed ut carpendi cavillandique haberet speciem. Facile illi ex lectione Evangelistarum constare poterat, S. Soterem nostrum nonsolum perspectas habuisse hominum secretissimas cogitationes & conatus; sed & eundem fata, quæ in terris experturus esset, ante pulchre prævidisse. Mirum autem *Porphyrium* propterea de Religione christiana ejusque sectatoribus male sentire, quod in scriptis eorum aliquas sibi deprehendere visus est ἐναντιοφανειας, qui ipsemet, ut *Pythagoræ* doctrinam extolleret, nonsolum crassissima mendacia fingere, sed & tueri potuit, asserendo, eum duobus in locis simul uno eodemque temporis articulo fuisse.

At gloriæ studium inquit *Porphyrius* inerat discipulis illis; sed unde hoc probatur? certe locus ille ad *Galatas* hoc minime probat. Nimirum Paulus Petrum infirmitate & timiditate lapsum mollibus verbis compellat, atque monet, ne suo exemplo alios invitet ad errandum. Ergo Paulus ambitione inductus hoc fecit; ergo turpi affectuum impetu sese abripi passi sunt viri boni. Oculeum certe totum oportet esse eum, qui hujus consequentiæ vim videat. Lenius enim esse interpretandas phrases κατα προσωπον αὐτω ἀντεστην; ὁτι κατεγνωσμενος ἠν, τα ἐθνη ἀναγκαζεις Ἰουδαιζειν dudum ad h. l. docuit *Illustris Grotius* quem vide. *Porphyrium* hîc sequitur *Tolandus* similis ingenii homo, Paulumque sed ex alio fonte hic impugnat, de quo argumento Vid. Cl. *Moshemii Vindicias Antiquæ Christ. disciplinæ* pag. 319. seq. Hic autem iterum patet, quam superbus, malignus & infestus Religioni christianæ fuerit *Porphyrius*. Innocuum dissensum Apostolorum ambitioni tribuit: Ipse vero ut & cæteri Platonici, *Plotinus* præsertim, mera gloriæ animalia fuere, qui nonnisi perpetua cum Dæmonibus & Diis jactabant colloquia & commercia; qui in sublime aliquando sese sublatos garriunt, imo Deum ipsum vidisse, inepti gloriantur. Occasione autem amicæ hujus disceptationis inter Paulum & Petrum orta est quæstio inter Theologos, utrum nempe Apostoli perpetuo inspirationis dono fuerint gavisi nec ne, quam nos hic loci non excutimus, alienam quippe ab Instituto nostro. Vide *les Sentiments de quelques Theologiens de Hollande sur l'Histoire Critique du Vieux Testament composé par le P. Simon* pag. 250.

Ejusdem libri defensionem, & Celeb. *Witsii Miscell. S. Tom. I. Cap. XXII.* Sed pergendum. Idem *Porphyrius* Danielem Prophetam oppugnaverat teste *Hieronymo* Commentar. in Prophetam hunc. Verba ipsius ita sonant! *contra Prophetam Danielem duodecimum librum scribit Porphyrius nolens eum ab ipso, cujus inscriptus est nomine esse compositum, sed a quodam qui temporibus Antiochi, qui appellatus est Epiphanes, fuerit in Judæa, & non tam Danielem futura prædixisse, quam illum narrasse præterita, denique quicquid usque ad Antiochum dixerit, veram historiam continere; si quid autem ultra opinatus sit, quia futura nescierit, esse mentitum.* Non est animus quam falsa sit, nullisque superstructa argumentis sententia *Porphyrii* ostendere; abunde enim id a Viris Doctis, P. D. *Huetio*, aliisque præstitum. Hoc unum velim observari, nimirum mendacii accusare *Porphyrium Danielem*, quod futura prædicendi facultatem sibi tribuerit, item quod tanquam futura prædixerit, quæ dudum essent sua nimirum opinione gesta. Ipsum vero tamen *Pythagoræ* suo facultatem futura prædicendi adscribere, & *Philostratum Apollonium* suum nonsolum eodem dono ornatum fingere, eumque intellexisse avium cantus contendere; sed & eundem *Porphyrium* cum tota sua mendacissimorum Sophistarum turba, fingere ausos varios libros v. gr. *Orphei, Zoroastris* &c. Eos pro veris venditasse, atque ita stultissimis opinionibus colorem addere voluisse. Quis non videt hos homines pudorem omnem de fronte posuisse, innocentes accusasse, simul vero gravissimis sese obstrinxisse criminibus, & mendacia crassissima proferre non verecundatos? Testimonia plurima fictorum ab hac Sophorum turba librorum adduxit Cl. *Brukerus Hist. Philosoph. Tom. III.* p. 544. & Cl. *Moshemius* in *Dissertat. de causis librorum suppositorum.* Idem *Porphyrius* teste *Eusebio Hist. Eccl. Lib. VI.* Cap. 19. Interpretandi Scripturas modum, quo Interpretes quidam, *Origenes* præsertim utebantur acerbe vellicaverat & allegoricas illius Interpretationes vehementer impugnaverat. Audiamus ipsum *Eusebium*; *Ipse Porphyrius* (inquit) *qui nostra propemodum memoria in Sicilia degens, contra fidem nostram libros conscripsit, in quibus divinas Scripturas calumniari conatus est, mentionem faciens eorum, qui illas interpretati sunt, cum dogmata ipsa atque assertiones nullatenus posset reprehendere præ rationum* inopia ad *convitia conversus Interpretes ipsos criminatur. Ex quibus præcipue Origenem calumniari quidem nititur; revera tamen hominem imprudens commendat; partim vera dicendo, ubi aliter dicere non poterat, partim mentiendo quoties se latere posse sperabat. Interdumque eum utpote Christum accusat; interdum*

terdum eximiam ejus doctrinam in Philosophicis admiratur & prædicat. Sed ipsa illius (sc. Porphyrii) verba adducamus: Τῆς δὴ μοχθηρίας τῶν Ἰουδαϊκῶν γραφῶν ἐκ ἀποσασιν; λυσιν δε τινες ἐυρειν προθυμηθεντες, ἐπ' ἐξηγησεις ἐτραποντο ἀσυγκλωστες καὶ ἀναρμοστες τοις γεγραμμενοις, ἐκ ἀπολογιαν μαλλον ὑπερ των ὀθνειων, παραδοχην δε καὶ ἐπαινον τοις οἰκειοις φερεσας. Αἰνιγματα γαρ τα φανερως παρα Μωυσει λεγομενα εἰναι κομπασαντες, καὶ ἐπιθειασαντες ὡς θεσπισματα πληρη κρυφιων μυστηριων, δια τε τε τυφε το κριτικον της ψυχης καταγοητευσαντες ἐπαγεσιν ἐξηγησεις. i. e. ex versione *Valesii: Quidam nequitiæ Judaicarum Scripturarum solutionem potius quam desertionem investigare cupientes, ad expositiones quasdam conversi sunt male cohærentes nec Scripturis ipsis satis accommodatas; quæ non defensionem peregrinæ illius Sectæ, sed potius approbationem & laudem suæ ipsorum doctrinæ continerent. Postquam enim ea, quæ a Mose apertissime dicta sunt, figuras quasdam atque adumbratas imagines esse jactarent ac veluti oracula arcanis plena mysteriis divino quodam cultu prosecuti sunt, hujusmodi vanitatis præstigiis mentis acie quodammodo fascinata, expositiones deinceps suas proferunt.* Patet ex hisce verbis, *Porphyrium* digitum intendisse ad allegoricas quasdam Interpretationes *Origenis.* Et sane verum est, doctissimum alias Virum nimis huic studio fuisse addictum: Commentarii ipsius, qui etiamnum extant, testes esse possunt: res ipsa vero notior est, quam ut pluribus probetur. Nolumus igitur *Origenem* hîc excusare, imo potius dolemus, quod hac sua contorta S. Literarum explicatione Religionem christianam impugnandi dederit occasionem: per has enim allegoricas interpretationes judice *Calvino* ad Genes. XI. 10. *Non modo vitiata Scripturæ simplicitas, sed fides pene labefactata, multisque deliriis aperta janua.* Interim hoc non obstante *Porphyrius* suam impudentiam in hoc judicio ostendit; Licet enim *Origenes* ita sæpe abuteretur allegoricis interpretationibus, certum tamen est, eum, ubi de dogmatibus agebatur clarissime sæpe suam aperuisse sententiam: testis sit liber ipsius contra *Celsum* scriptus, multa Eruditione sane refertus; dein num propter unius aut plurium Scriptorum errata, universa Scriptura erat rejicienda, cum tamen *Porphyrius* haud ignoraverit, quibus dogmatibus Christiani subscripserint? Sed quod detestabilem illius malitiam ostendit hoc est, quod ipse cum suis Platonicis omnia, quæ Poëtæ de Diis suis finxerunt *allegorice* interpretanda esse voluerit, ut pudendas nugas fictis si fieri posset interpretamentis tegeret: vide libellum *Porphyrii de Antro Nymphārum* Editioni Oxoniensi tractatus περι ἀποχης Ἐμψυχων, adjectum.

Nimirum contendit, narrationem *Homeri* de hoc Antro non esse fabulam, nec veram certamque loci descriptionem, ἀλληγορειν δε τι δι ἀυτε τον ποιητην, περοσθεντα μυσικως καὶ ἐλαιας Φυτον πλησιον, i. e. *sed ejus involucris significari aliquid a Poëta qui & olivam mystica ratione antro apponit.* pag. m. 251. *Homerum* autem nil minus intendisse, quam ut philosophica quadam & metaphysica ratione mundi hujus Φαινομενε rerumque ἀνοητων & νοητων naturam pandat, satis perspicuum est Lectori non oscitanti. Ipse porro *Porphyrius* in vita *Plotini* fatetur, *Origenem* Pythagoricorum Scriptis delectatum. Ex his habuit disciplinam illam allegoricam, huic hominum generi tantopere commendatam. Hanc autem cum ad explicanda multa loca Vet. Testamenti adhibet, vapulat *Porphyrio.* Quando vero *Porphyrius* Ipse & Socii ea utuntur ad phantasiæ & ingenii lusus exerendos, & quidlibet ex quolibet etiam cum de rebus ad Religionem spectantibus agitur, extundendum, magni sunt Philosophi si Diis placet. (*)

Idem aliorum Specimininum inductione probatur.

V. Sed pergendum ad alia specimina ex quibus constare potest manifestissime, Philosophos illos Religioni christianæ infestissimos, addictos fuisse opinionibus quæ cum evidentia & veritate dogmatum Religionis Christianæ nulla ratione possint comparari. Ostendemus hoc breviter. Ratio quemvis docet Deum esse substantiam Infinitam, æternam,

(*) Eleganter characterem animi *Porphyrii* pinxisse mihi videtur Auctor libri, cui titulus: *Alciphron*, ou le *petit Philosophe.* Ita enim Tom II. pag. 97. loquitur nomine Critonis Auctor: *J'avoue que* Porphyre *étoit véritablement un infidele, quoiqu'il ne paroisse nullement avoir été incrédule. Il semble avoir crû aux Devins & aux Sorciers & avoir admis les Mystères, les Miracles & les Prédictions des Prêtres Egyptiens. Il affectoit de s'exprimer d'une manière obscure & prétendoit avoir des Extases. En un mot, ce Grand-Homme étoit aussi inintelligible qu'un Scholastique, aussi superstitieux qu'un Moine, aussi fanatique qu'un Quietiste: & pour achever son Portrait, en tant que petit Philosophe, il fut plus d'une fois tenté de se donner la Mort. Pour se former une juste notion de ce Patriarche des Esprits forts, il n'y a qu'à faire attention à sa manière de penser sur d'autres points que la Religion chrétienne. Telle étoit sa pénétration, qu'il avoit trouvé, que les Ames des Insectes, lors qu'elles étoient separées de leurs corps, devenoient des Ames raisonables: qu'on peut composer des Philtres & des Charmes par le Secours des Démons dont les corps spirituels sont nourris & engraissés par les vapeurs des Libations & des Sacrifices: que les Esprits de ceux qui meurent de mort violente, ont coûtume de roder autour de leurs Sepulcres. Le même Philosophe conseille à un homme sage de ne pas manger de viande de peur que l'ame impure de l'animal n'entre dans son corps avec sa chair. Il ajoûte, comme un fait confirmé par plusieurs Expériences, que ceux qui souhaitent de posseder les Ames des Animaux, qui ont le don de prédire l'avenir, n'ont qu'à manger quelque partie noble, le Cœur, par exemple, d'un Cerf ou d'une Taupe; & que par ce moyen ils recevront l'ame de l'Animal laquelle prophetisera en eux comme un Dieu. Trouvez-vous étrange, que des Hommes assez crédules pour admettre des pareilles folies, ayent de l'Aversion pour l'Evangile?*

æternam, intellectualem plane, & ab omni re in oculos incurrente alieniſſimam. Revelatio id confirmat, atque teſtatur Deum eſſe Spiritum Joh. IV. 24. Eum neminem unquam vidiſſe; Joh. I. 18. Eum habitare in luce inacceſſa 1. Timoth. VI. 16. At hæc noſtris Philoſophis hominibus ad unguem factis non placent. Deum ipſum ſine imagine oculis ſuis vidiſſe ſe impudenter aſſerunt. Ita verba *Porphyrii* in vita *Plotini* extant pag. 137. edit. *Fabricii*. Concoquere porro hi homines non poterant, quæ in Sacris de Origine rerum omnium dicuntur, quod nimirum Deus omnia ex nihilo produxerit, ſed contendebant omnes ſubſtantias intellectuales pariter & materiales ex eſſentia divina emanaſſe. Verum equidem eſt, nos modum quomodo omnia producta fuerint ignorare; i. e. oſtendere non poſſumus nexum, qui intercedit inter Infinitæ mentis voluntatem, & exiſtentiam materiæ atque ſubſtantiarum intellectualium; interim evidentiſſime a poſteriori demonſtrari poteſt, dari cauſam æternam, a mundo diſtinctam, eamque omnibus rebus dediſſe exiſtentiam. Propoſitionem vero illam nimirum omnia ex Dei effluxiſſe natura, difficilius longe concipimus: Si ad ſubſtantiarum omnium naturam animos convertimus, patebit, easdem finitas, fluxas, mutabiles & variis imperfectionibus eſſe obnoxias: Jam vero hoc poſito aut eas ad naturam æternam Dei pertinere aſſerendum, aut in Deo extitiſſe ut piſcis v. gr. in aqua dicendum; ſi *prius* aſſeratur, Deus ita perfectiſſimus ſimul & imperfectiſſimus eſſet, quod ἄτοπον. Si *poſterius* tum dicendum aut eas creatas eſſe a Deo, aut perfectione naturæ ſuæ non minus neceſſario extitiſſe quam Deum. Prius admittere nolunt; poſterius ergo concedant neceſſe eſt. At quomodo probabunt, id quod fluxum, mutabile, quodque non æque æternum eſt ac ipſe Deus, imo quod ad naturam Dei non pertinet, nihilominus neceſſario exiſtere? Hoc ipſo tamen principio incertiſſimo, imo falſo, uſi ſunt Philoſophi illi ad innumeras ineptas opiniones defendendas, uti id abunde a Viris Doctiſſimis, *Brukero* inprimis, eſt oſtenſum. Utrum autem propterea aſſerendum ſit, Philoſophos hoſce, eandem quam Patrum noſtrorum ætate defendit *Spinoza* ſententiam profeſſos fuiſſe, alibi copioſe diſquirimus. Sed hæc levia videri poſſunt collata cum iis quæ ſequuntur. Chriſtum S. Soterem noſtrum miraculis fuiſſe illuſtrem notum eſt, & Evangeliſtarum omnium, qui vitam Chriſti atque fata ejus deſcripſerunt, conſenſu ſatis firmatum. Ad ea provocabant ſanctiſſimæ diſciplinæ alumni. Ut hiſce detraherent fidem Philoſophi illi omnem navarunt operam. Hinc *Hierocles* & *Philoſtratus* non-

nonsolum Christo suum opposuerunt *Apollonium*, sed & *Plotinus, Porphyrius* reliquique nonsolum, si βιογραφοις credas, miraculis illustres fuerunt, sed & cum Diis & Dæmonibus familiarissime conversabantur, in Dæmones malignos vim exercebant, sæpe e terra per multos pedes erant elati, visionibus gaudebant, & ut in antecedentibus dixeramus, Dei substantiam sine ulla imagine corporea intuiti sunt. Ut singula testimoniis probem necesse non est, quandoquidem omnium Eruditorum consensu hæc dudum sunt recepta, atque probata. Vide *Brukerum*, *Olearium*, *Moshemium* aliosque. Quanquam autem nullus dubitem, quin ita agendo Christi sanctissimam disciplinam impugnare voluerint, atque ostendere, nihil in Religione christiana esse tam præstans atque excellens, quin longe id superetur a Philosophorum suæ sectæ addictorum præceptionibus, factis, & dotibus. Licet inquam de eo nullum sit dubium, a vero tamen haud abhorret, jactatas quorundam Pseudo-Christianorum aut credulorum illius ætatis visiones, Diabolorum ex ægris ejectiones, & alia ejusmodi τερατωδη occasionem dedisse Philosophis illis plura ejusmodi extraordinaria facta fingendi & in vulgus spargendi. Ostendimus alibi, multas incertas imo falsas visiones passim ea ætate, qua plerique Philosophorum illorum floruerant fuisse jactatas, & facile esset ostendere non omnia, quæ de ejectione Dæmonum tertio cumprimis quartove, seculo hinc inde narrabantur, temere esse admittenda. Saltem difficulter quis fidem habebit *Tertulliano*, qui *Apologet.* Cap. XXIII. promiscue omnibus Christianis facultatem expellendi Dæmones tribuit dicens: *Edatur hic aliquis sub Tribunalibus vestris, quem Dæmone agi constet, jussus a quolibet Christiano loqui Spiritus ille, tam se Dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso.* Et *Origenes* contra *Celsum* Lib. VII. pag. 334. ait ἐπιπαν γαρ ὡς ἰδιωται το τοιουτον πραττουσι. Mitto alia testimonia. Nescio unde Cl. *Bingham* Vol. II. pag. 21. probare voluerit, bonum hoc specialiore ratione Episcopis & Presbyteris fuisse collatum. Quicquid autem de eo sit, manifestum est, nequissimos homines maluisse incertissima & vanissima quæque excogitare, ut Sanctissimam Jesu Christi disciplinam everterent, nugas contra suas & fanaticas opiniones in cœlum tollerent laudibus quam vero in Christianorum discedere castra. Num enim historicis argumentis probant Christum Jesum in terris extitisse nunquam, aut nulla patrasse miracula? minime. Ipse *Porphyrius* teste *Euseb Demonst. Evang. Lib. III. cap.* 9. nonsolum mentionem facit Jesu Christi, sed & vitæ innocentia eum floruisse non negat. *Julianum*

num huic factioni addictum, non esse inficiatum Jesum miracula patrasse inter omnes constat, Vide *Cyrill. adverss. Jul. Lib. VI.* Edit. III. *Spanhemii.* De veritate ergo rei gestæ erant uti videtur persuasi; Ne tamen rationibus destitui viderentur, quibus consectaria, quæ ex veritate miraculorum Jesu Christi peti poterant, impugnarent, ad vanissima cerebri commenta confugiebant, fingentes, dari nescio quam arcanam scientiam dictam *Theurgiam*: Hujus ope Dæmones cogi posse, ut quæcunque imperantur, efficiant, imo miracula patrent. Vide epistolam *Porphyrii* ad *Anebonem Ægyptium Jamblicho* præfixam. Ita contendebant eadem opera Christum & discipulos portenta mira patrare posse. Licet interim de Christo aliquando præclare loquantur, eumque miracula patrasse non infitientur, satis tamen patet impudentissimos homines verba duntaxat Christianis dare voluisse: cum quod concessa licet Christo & discipulis facultate miracula patrandi, nihilominus tamen suos duntaxat tanquam divinos & cœlo delapsos homines celebrarent, suamque disciplinam solam veneratione dignam esse clamarent; tum quod distinctionem facerent inter *Theurgiam* & *Goëtiam*: priorem asserentes nonnisi a purgatis mentibus effici posse, atque in familiari cum bonis geniis commercio constare. Posteriorem concessam esse duntaxat impuris & sceleratis, qui in malos genios & generi humano inimicos imperium habeant. Ex quo satis colligi potest, quid de Sotere nostro & discipulis suis Impostores illi senserint, quando audiebant ipsum a Dæmonibus obsessos liberasse. Quam futilis autem vanaque sit ars illa cum geniis conversandi, eosque ad omnis generis ministeria pro lubitu obeunda adhibendi, notius est quam ut pluribus doceamus. Et sane qua tandem hominibus sanæ mentis ratione ostendere poterant, se familiariter geniis uti? & unde noverant illi genios qualescunque leges a Deo fixas mutare posse? annon Christiani ejusmodi facultatem sibi pariter cum geniis loquendi tribuere poterant? Et si genii illi facultatem haberent ita volente Numine miracula patrandi, num credibile bonos Dæmones ad teterrimam superstitionem confirmandam talia facturos? Sed non opus est, ut huc prolabamur, cum omnia quæ de Philosophorum illorum portentis narrantur, nonnisi mendacissimorum hominum nitantur auctoritate. Sane vel sola *Pythagoræ* biographia a *Jamblicho* & *Porphyrio* scripta sufficit ad homines illos Impostura convincendos: tam putidas enim fabellas de eo narrant, nullis firmis testibus subnixi, ut in gratiam non Virorum sed puerorum libellos hosce edidisse credibile sit.

Ipse *Porphyrius*, in biographia *Plotini* ut ex collatione capitis secundi, noni, & vicesimi tertii constat, demum 30. annis post excessum *Plotini*, vitam ipsius conscripsit; ut nil dicam de narratione ipsa, quæ ita est comparata, ut nonnisi stultissimis persuadeat, vera esse posse, quæ de *Plotino* narrat. Ita inter alia cap. 22. provocat ad Oraculum *Apollinis*, quo nimirum comprobatum sit, *Plotinum* una cum *Pythagora*, & *Platone* nescio quibus in campis summa perfrui felicitate, cum tamen ipsorum Ethnicorum prudentiorum judicio, hæc Oracula Impostoris Sacerdotum sint tribuenda. Vide *Ciceronem* Lib. II. de *Divinationibus*. Inter Recentiores rem in clara collocavit luce Cl. *Van Dale de Oraculis Gentilium*. Supra audivimus, Circulatores illos asserere, impuros duntaxat homines malorum dæmonum ministerio uti, & per eos magicas exercere artes; Hic vero noster *Porphyrius* cap. 10. narrat *Olympium* quendam Alexandrinum animo tam infenso maleficiis Plotinum invasisse ὡςε καὶ ἀπροβολησαι αὐτον μαγευσας ἐπεχειρησεν, ut *magicis quibusdam incantamentis fiderare eum contenderit*; sed pium nostrum *Plotinum* artem arte elusisse, atque effecisse, ut *Olympio corpus marsupiorum more contraheretur, membraque omnia inter se contererentur*. Ex quo sequitur, *Plotinum* magicas artes intellexisse non minus quam Theurgicas, atque adeo ex principiis *Porphyrii* colligendum, hominem divinum simul & pessimum nequam fuisse *Plotinum*. Harum magicarum artium etiam peritum fuisse *Julianum* testantur *Sozom* Lib. V. cap. *Theodoret*. Lib. III. cap. III. *Ammianus Marcell.* Lib. XXI. c. I. similia possent de *Jamblicho*, *Apollonio*, *Proclo* & cætera fanaticorum horum hominum turba proferri, si id jam ageremus.

Neque dubito insuper, quin *Porphyrius* ad infringendam aut saltem suspectam reddendam την τε λογε ἐνσαρκωσιν, in vita *Plotini* cap. X. scripserit, Ægyptium quendam vidisse Dæmonem quendam a *Plotino* provocatum, imo Deum, adeo ut hoc viso exclamaverit. Μακαριος εἰ Θεον ἐχων τον Δαιμονα καὶ ἐ τε ὑφιμενε γενες τον συνοντα. i. e. *Beatus es o Plotine qui habeas pro Dæmone Deum neque ex inferiore genere sis Ducem sortitus familiarem*. De Christo Sanctissimo nostro Sotere ejusque disciplina abjecte sensisse *Julianum* notius est quam ut multis probetur. Sufficiant hæc quæ apud *Cyrillum Lib. II. contra Julianum* pag. 39. Edit. *Spanhemii* infelix Imperator effutivit: καλως (inquit) ἐχειν μοι φαινεται τας αἰτιας ἐκθεσθαι πασιν ἀνθρωποις, ὑφ' ὡν ἐπεισθην ὁτι των Γαλιλαιων ἡ σκενωρια πλασμα ἐςιν ἀνθρωπων, ὑπο κακεργιας συντεθεν, ἐχρσα μεν ἐδεν Θειον, ἀποχρησαμενη τε τω φιλομυθω, καὶ παιδαριω-

δαριωδει καὶ ἀνοητις της ψυχης μοριω, την τερατολογιαν, εἰς πιςιν ἠγαγεν ἀληθειας, i. e. *Operæ pretium mihi videtur cunctis mortalibus causas exponere quibus adductus sum ut crederem, Galilæorum sectam esse commentum malitiose confictum, quæ nihil quidem divini habeat sed fabulis addicta, & puerili ac stolida animi parte abusa prodigiosas narrationes in veritatis testimonium adduxerit.* Idem tamen *Oratione IV.* in *Solem* pag. 146. *Jamblichum* hominem fanaticum & mendacem in cœlum tollit laudibus, de quo asserit quod *Platone* τοις χρονοις, ὀυτι μην φυσει καταδεεςερος qui tempore indole *Platone* posterior extiterit: mox eundem *Magnum Heroa* appellat. Et quid tandem a tanto Viro didicit *Julianus*? nimirum obscurissimas & insulsas de Sole intellectuali, ejus origine & efficacia narratiunculas, quas non magis *Jamblichus* quam *Julianus* intelligebat. Rursus idem *Julianus* prophetias V. & Novi Testamenti admittere noluit, simul tamen turpissimæ superstitioni fuit deditus, multumque auguriis & præsagiis, quæ ex visceribus animantium petebantur, tribuebat. Vide hoc confitentem *Ammian. Marcellinum* Libr. XXV. cap. 5. Astrologiæ pariter multos recentioris ætatis Incredulos deditos fuisse suo tempore docebitur. Cultum porro, quem præscribit Religio christiana rationi esse convenientissimum, & ad perficiendam mentem aptissimum omniumque ingeniis attemperatum, confitebuntur omnes, qui ἀθερ παθων unquam hoc argumentum expenderunt: At hic non arridet tam sublimibus ingeniis; excogitarunt igitur vias quasdam metaphysicas inintelligibiles & fanaticas plane, quibus tanquam scalis uti debent omnes, qui ad summum contemplationis & felicitatis gradum evehi & Dii evadere volunt. Vide singularem dissert. *Hanschii de Enthusiasmo Platonico.* Certe nemini non difficiles nugas legenti illud Apostoli in mentem venit: φασκοντες εἰναι σοφοι, ἐμωρανθησαν. Rom. I. 22.

Cum hac philosophia quæ speciem habebat maximæ sapientiæ, conjungendum esse dicebant cultum externum ex omnium gentium ritibus contemperatum, spretis saltem Sacris, quæ Christiana præscribit disciplina. Hinc Deos intermedios dudum antiquis receptos rite colendos esse dicebant, imo etiam stellas Dæmonum quoddam genus esse, qui preces exaudiant, invocandas stulti jusserunt. Vide *Plotini Ennead. II. Lib. IX. pag. 204. Jamblich. de Myst. Ægypt. Lib. I. Sect. 5. p. 8.* Iidem ad unguem facti homines concipere non poterant, Apostolos divina quadam luce a Deo fuisse donatos; ipsi tamen suis Philosophastris insomnia, inspirationes, & ecstases frequentissimas tribuunt. Vide

vitam *Plotini*, *Jamblichi*, *Philostratum* & Exempla deprehendes plura. Mirum autem est P. *Baylium*, ultima verba, quæ ante mortem instantem pronuntiaverat *Plotinus*, adeo admiratum fuisse ut dixerit: *Il fit la plus belle mort qu'un Philosophe Payen puisse faire.* At in quo tandem consistebat exitus ille vitæ adeo commemorabilis? audi ex *Porphyrio Cap. II. p. 94. Edit. Fabricii*; Μελλων δε τελευταν, ὡς ὁ Ευσοχιος βραδεως προς αὐτον ἀφικετο εἰπων ὁτι σε, ἐτι περιμενω, καὶ φησας πειρασθαι τον ἐν ὑμιν Θεον ἀναγειν προς το ἐν τω παντι Θειον, i. e. *quum vero morti Plotinus appropinquaret, quemadmodum nobis Eustochius retulit, qui Puteolis habitabat; ac ferme tardius ad eum accesserat*, adhuc te, *inquit exspecto, atque equidem jam annitor, quod in nobis divinum est ad divinum ipsum quod viget in universo redigere*, *spiritumque his verbis emisit.* Ita *Porphyrius.* Sed hæc tanti non sunt, ut propterea ultima illa verba admiremur. (1) Enim non hæc audiverat ipse *Porphyrius*, sed ab alio accepit. (2) Si vel ipse hoc testaretur, fidem nullam mereretur, quandoquidem tot de eo retulit futilia & a vero abhorrentia ut fidem ipsi habere nemo sanus possit; ita immediate post adducta verba ait: *Draconem* sub lecto, in quo jacebat *Plotinus*, perrerantem, mox in parietis foramen se prorsus occuluisse, significaturus hac ratione Deum quendam perpetuo ipsi adfuisse. (3) Magis mirum *Baylium* ultima illa verba fuisse tantopere admiratum, qui tamen Lit. D. contendit philosophum hunc a sententia quam præterito seculo defenderat infelix *Spinoza*, non fuisse alienum. Utrum id verum sit alibi disquiram. Hoc tantum dico, mentem secundum Philosophos illos fuisse partem essentiæ vel Dei, vel animæ mundi, quæ etiam pro Deo habebatur; Illam pœnæ loco corpori insertam & destructo corpore cum suo principio denuo conjungendam fuisse. Pluribus hoc ostendit *Hanschius* in Diatriba de *Enthusiasmo Platonico.* Hoc posito, quid tandem reperiat quis in verbis hisce ultimis *Plotini* admiratione dignum? pars Dei erat mens ipsius in vivis & pars est ejusdem post mortem; cum hac essentia necessario debuit conjungi, quemadmodum corpus suum cum corporibus reliquis: mirum sane & Fanatico, non sani cerebri homine dignum solatium! conferantur contra non dicam *Stephani* & S. *Soteris* nostri, sed primorum duntaxat Sæculorum Martyrum ultima verba, & plurimas reperiemus graves & admiratione dignas, fiduciam ipsorum, constantiam & ardentissimum Dei amorem laudandi causas. Sed hæc de platonicis Philosophis sufficiant. Ex iis quæ narravimus, constabit ni fallor satis, homines hosce vel directe impugnasse Religionem chri-

christianam vel per cuniculos, arreptis nempe hinc inde christianorum decretis ad systemata sua exornanda detortis; simul vero talem disciplinam, sive ad dogmata sive ad cultum & ritus respicias, adprobasse, quæ cum sanctitate, veritate, & Excellentia Religionis christianæ nulla ratione conferri potest.

Exemplo Mahomedis ulterius nostra thesis probatur.

VI. Sed pergimus ad alium, eumque famosum Impostorem *Mahomedem* nempe, qui opera versutorum quorundam Judaicæ & christianæ Religionis peritorum hominum, Religionem novam inductus, ea quæ in Religione christiana præstantissima sunt rejecit, servatis duntaxat iis, quæ ad gustum suum erant, adjectis aliis ineptis plane, & insulsis opinionibus. Agere autem de eo paucis animus est, non solum ut pateat, homines ambitione aliisque affectibus commotos, rejectis melioribus deteriora sequi, sed & quia in tanta Literarum & Religionis luce sunt, qui *Mahomedis* disciplinam admirentur, factaque ipsius legibus divinis pariter ac humanis contraria, non sine Religionis christianæ detrimento laudent atque extollant.

Antequam autem rem ipsam aggredimur, confitemur nos quidem linguæ arabicæ esse expertes, simul tamen omnia quæ adducturi sumus ex iis scriptoribus petiisse, qui omnium Eruditorum judicio in linguis orientalibus versatissimi erant, quales sunt, *Hottingerus*, *Pokokius*, *Relandus*, *Maraccius*, *Gagnier* aliique. Difficillimum autem est accurate cognoscere, quid *Mahomedi* ipsi, quid vero Sociis ipsius sit tribuendum, ob Scriptorum vitæ *Mahomedis* fatorumque ejus dissensum. Quemadmodum enim illi, qui vitas Sanctorum scripserunt, etiam ubi verum dicere videntur, amittunt fidem, propterea quod verisimilibus innumera manifeste falsa & ridicula admiscuerunt; sic idem hoc in negotio contingere solet. Dudum est ex quo Cl. *Relandus* in *Elucidationibus Theologiæ Mahomedicæ adjectis* ostendit, multa temere *Mahomedi*, vel ex ignorantia linguæ arabicæ, vel nimio odio a Christianis fuisse afficta. Idem ostendit Vir Doctus *Jacobus Ehrhartus*, *Memmingensis*, in *dissertat. de Illustrium* ac *obscurorum Scriptorum erroribus præcipuis in Historia Mahometi eorumque causis Ulmæ.* 1731. in 8. edita. Neque ab hoc vitio immunes esse viros cætera Eruditissimos, & in lingua arabica versatissimos *Maraccium* atque *Prideaux*, ostendit Cl. *Gagnier* in præf. vitæ *Mahomedis*, scriptæ ab *Abul-feda*. Quemadmodum vero Christiani sæpe turpi ignorantia, Zelo, atque odio abrepti *Mahomedi* multa a vero abhorrentia attribuerunt; sic scriptores contra Arabes ipsius sententiæ addicti, tot illi tribuunt ridicula miracula, nocturna

itinera, tot ineptas visiones & cum Angelis, *Gabriele* præsertim habitas sermocinationes, tantisque eum, & corpore & mente in hac & altera vita ornatum esse prærogativis & virtutibus narrant, ut citius *Luciani veræ Historiæ*, vel *Mich. Cervantes vitæ D. Quixoti*, quam Scriptoribus hisce subscripseris. Lege duntaxat quæ ex Mahomedanis Scriptoribus de Prærogativis *Mahomedis* collegit Cl. *Gagnier* vitæ *Mahomedis Gallice Scriptæ Tom. II. cap. X.* & seq. & quantum in cæteris illis tribui possit, abunde constabit. At alia accedunt, quæ efficiunt, quo minus verum a falso in hoc negotio facile distinguamus. Non solum enim ipsa *Sonna*, i. e. Collectio Traditionum, quam non minus sacrosanctam esse quam *Alcoranum* credunt Mahomedani inter se dissentit, sed & sæpe pugnat cum Scriptoribus vitæ fatorumque *Mahomedis*, qui tamen ipsi omnia ex Traditionibus incertissimis consarcinarunt, quod diligenter in vita hujus Impostoris gallice scripta notavit Cl. *Gagnier*. Celeberrimi inter Arabes vitæ Mahomedis Scriptores recentioris insuper ætatis sunt, quam ut iis fidem tuto habere possimus. *Abul-Feda* ad quem frequenter provocat Cl. Gagnier Seculo vixerat XIV. *Giannabi XVI. Abulpharajus XI.* Quod si ad Traditionum primos collectores progrediamur eadem occurrit obscuritas. Cl. *Gagnier* Tom. I. pag. 349. ex vita *Abubeker* scripta ab *Abul-Feda* docet, Exemplar *Alcorani*, quod in uxoris *Mahomedis*, *Haffæ* nomine manibus fuerit, collectum ab *Abu-Beker* primo Chalifa, i. e. Successore *Mahomedis*, *Othmannum* vero exemplaria plurima ad hoc primum exacta describi curasse & per omnes Imperii provincias distribuisse, suppressis omnibus cæteris collectionibus, quæ ad manus erant. Tradit insuper Cl. Gagnier p. 105. nocte *d'Al-Kadar*, i. e. Decreti divini, anno ætatis *Mahomedis* 40. integrum *Alcoranum* de cœlo descendisse, postea per partes duntaxat intra 23. annorum spatium cœlitus demissum esse. Atqui *Mahomed* mortuus est secundum calculum Cl. *Gagnier* anno 63. ætatis; unde sequitur usque ad finem vitæ suæ continuo partes *Alcorani* cœlitus fuisse delapsas. Hinc tempore mortis ipsius duplex exemplar *Alcorani* extitisse necesse est. Quo jure ergo unum alteri prælatum, unum suppressum alterum servatum? manifestum insuper est, primos Impostores, pro lubitu consarcinasse *Alcoranum*; mortuus enim est *Mahomed Hegira* undecima, *Haffa* vero demum quadragesima quinta. Intra quod temporis spatium fraudibus innumeris locus fuit. Primus certe collector *Abu-Beker* Impudens Impostor fuit, quod si id non alio argumento constaret, quam quod pag. 251. vitæ *Mahomedis* a

Cl.

Cl. *Gagnier* elaboratæ, refertur, nimirum hunc testem fuisse & quidem fidelem itineris illius nocturni *Mecqua Hierosolymam* & deinde per 7. cælos susceptí, quod una nocte confeciſſe dicitur *Mahomed*, sufficeret hoc abunde ad stultitiam & impudentiam hujus hominis demonstrandam; præterquam enim quod nihil magis stultum, ridiculum, falsum, Deoque indignum magis hac narratione excogitari possit, *Abu-Beker* ille contestatus est, vere accidisse hoc iter antequam *Mahomed* ipse, aut alius quisquam tale quid ipsi narrasset. Interrogatus enim a quibusdam *Koreischitis* (pag. 256. loco cit.) Iter hoc nocturnum in dubium vocantibus, utrum sciat quid *Mahomed de hoc negotio* narret, quasi omnium rerum ignarus respondet, *num igitur Mahomed hæc asserit.* Imo vero inquiunt, tum ille: *Contestor & profiteor* si *Mahomed hæc narravit, ea vera esse.* Instantibus autem & dicentibus, utrum ipsi hæc fidem mereri viderentur respondet denuo; *contendo id omne quod Mahomed dixit, verum esse, licet eum vos mendacii arguatis:* Hoc responso demum dato ipsum *Mahomedem* adiit, atque interrogat, utrum tale noctu Iter se feciſſe unquam affirmaverit. En mirum testem! Et hic tamen si *Mahomedi* (pag 258. loc. cit.) credas nonsolum est magnus ille veritatis testis, sed & primus *Alcorani Editor.* Majore sane imaginationis capacitate ad fingendas incredibiles τερατολογιας quam vero peritia arte fictam fabulam ad leges verisimilitudinis exigendi, instructi erant, qui primi ad vitam fataque *Mahomedis* conscribendum animum adjunxerunt. Sed & alia sunt quæ satis ostendunt, insanos quosdam Impostores, Mahomedis emergendi & dominandi cupiditatem & studium fraudibus & specie Religionis adjuviſſe. Cl. *Pokokius* in *Specimine Hist. Arab.* p. 156. narrat, *Mahomedem* neque legere neque scribere potuisse secundum testimonia ipsorum *Mahomedanorum.* Quod & Cl. *Gagnier* cæterique vitæ fatorumque scriptores confirmant, asserentes, eum a suis *rudem* & *illiteratum* appellatum fuisse *Prophetam.* Huic Homini rudi (apud *Gagnier*, pag. 105. Tom. 1. sq.) qui per aliquod tempus in caverna quadam montis *Heræ* amore solitudinis scilicet compulsus latuerat, anno ætatis 40. qui prophetici muneris secundum Mahomedanos primus fuerat, apparuit Angelus *Gabriel*, qui totum *Alcoranum* scriptum attulit secum, atque *Mahomedem* compellans dixit; *Lege; non possum legere* inquit. Regessit Angelus: *Lege in nomine Domini qui omnia creavit; qui hominem de exigua congelati sanguinis massa formavit; Ipse hominem docuit penna uti, eaque docuit quæ ignoravit.* Verba hæc ne quis dubitet extant *Alcoran. Surat. 36. vers. 1. & seq.*

Quid

Quid ad hæc Candidatus ille noſter muneris Apoſtolici *Mahomed*? refert *Abul Feda* pag. 16. vitæ, eum eadem verba Angeli recitaſſe ſimulque audiviſſe vocem cœlo demiſſam ita ſonantem: *O Mahomedes tu es Apoſtolus Dei, & ego ſum Angelus Gabriel.* Hæc, quæ ipſi obtigerant, *Mecquam* rediens narravit *Mahomed* uxori *Khadigjia*, quæ gaudio exultans, nonſolum juravit per Deum, ipſum Nationis ſuæ Prophetam futurum, ſed & ſtatim adiit quendam nomine *Waraka*, Virum uti perhibetur, doctum & in Judæorum non minus quam Chriſtianorum diſciplina verſatum, eique quæ maritus narraverat, exponit: Hic nonſolum ſententiam uxoris *Mahomedis* veram eſſe dixerat, ſed & in lege Moſis adventum ipſius diu eſſe ante prædictum contendit. *Gianabi* βιογραφος *Mahomedis* addit, eodem die *Gabrielem* pede ſuo terram altius erruentem effeciſſe, ut aqua inde ſaliret, eumque ritum ablutionis ſacræ, qui inter 5. articulos fundamentales practicos refertur, modum item precandi cum duabus corporis inclinationibus peragendum, *Mahomedem* edocuiſſe. Poſthac *Mahomedes* ad uxorem reverſus, cum ea concubuit, ipſamque ad miraculoſum fontem deduxit, & qua ratione ſecundum mandatum Angeli lavandum eſſet, & precandum ſuo exemplo monſtravit, quod ipſum gnaviter eſt imitata, primaque nomen dedit *Islamismo* i. e. Religioni *Mahomedis*. Eam ſecutus eſt *Ali*, qui in domo *Mahomedis* erat educatus; hunc excipit *Zaid* ſervus *Mahomedis* Sequitur *Abu-Beker*, qui alios etiam ut idem facerent permovit. En prima Religionis Mahomedanæ initia! ſi Scriptoribus hiſce fides habenda. Juvat antequam ulterius progrediamur hîc paululum ſubſiſtere, quoniam haud obſcure oſtendi poteſt ex dictis, qua ratione *Mahomed* Prophetæ nomen adeptus ſit.

Et 1) quidem more quorundam Impoſtorum cavernam vel antrum hoc petiiſſe videtur *Mahomed*. *Pythagoram* idem ſæpe feciſſe narrant ſimilis furfuris Hiſtorici *Jamblichus* & *Porphyrius*. Solitudinis amore feciſſe hoc *Mahomedem* probabile non eſt; præterquam enim quod ingenio erat excitato & liberali, affabilis, quique mores hominum habebat perſpectos itineribusque variis ad negotia mercurialia ſcite perficienda præparatus, in antro hoc ſecum habuit domeſticos per menſem cum eo ibi commorantes: ſane ſi amor ſolitudinis & contemplationis rerum divinarum vel abſtruſarum, ipſum ad hoc faciendum invitaſſet, ſolus more Anachoretarum antrum ſubiiſſet. Neque igitur dubium, quin domeſtici illi teſtes debuerint eſſe *vocis de cœlo miſſæ*.

2) Ab omni probabilitatis specie abhorret, *Angelum* nomine Dei Scriptum aliquod maximi momenti de cœlo delaturum ad hominem, qui neque legere neque scribere poterat. Ego quidem vix crediderim, hominem adeo prudenter & feliciter mercaturam exercere potuisse, ut narrant scriptores Arabes, sine peritia legendi & scribendi; at, si non potuit uti perhibent, cur legere ipsum jubet Angelus?

3) Nescio utrum magis *stuporem Angeli Gabrielis* vel *Mahomedis*, vel denique impudentiam Historiographi, admirer vel potius rideam. Angelus Gabriel docet *Mahomedem* Deum creasse omnia. Num adeo brutus fuerat & stupidus futurus Propheta ut hoc ignoraverit? & quid sibi volunt verba Angeli, *Deum homines docuisse penna uti*; num significant, Deum homines facultatibus instruxisse, ut possint inter alia etiam discere, qua ratione penna sit ad scribendum utendum? Hoccine ignoravit denuo homo in arte mercuriali exercitatus? deinde Angelus ille mentitur dum asserit Deum homines ex *massa sanguinis congelata* fecisse: monet equidem in notis Cl. *Gagnier* excipiendum esse secundum *Raich* Celebrem *Alcorani* Commentatorem *Adamum*, *Evam* & *Jesum*. Sed si hos excipias, de cæteris tamen etiam id dici non potest.

4) De cœlo missam vocem Angeli unde novit? forte Domestici hanc sine miraculo mittere poterant.

5) *Khadigjia* uxor erat dives, & singulari amore *Mahomedis* incensa, ut Cap. VI. Libri I. docetur: quis miretur igitur ducem fœminam facti esse, & callidi consilii? hinc nonsolum statim vacivas præbet aures Viro, sed & Prophetam futurum sine mora pronuntiat. Ejusdem artibus & pecunia factum sine dubio est, ut *Waraka* ille Literis excultus persuadere aliis debuerit, dudum in Sacris Literis adventum ejusmodi Prophetæ fuisse prædictum. (*)

6) Cæteri omnes ad fabricandam fraudem erant instructissimi. *Maisar*, servus *Mahomedis Khadigjiæ* narrat mira, quæ in itinere, proxime ante adventum Gabrielis contigerint; alter servus *Zaid* mancipium erat *Mahomedis*. *Ali* in Domo ipsius educatus, & postea inter primos ipsius Legatos & Ministros erat, qui quali fuerit ingenio ex iis patet quæ pag. 116. vitæ *Mahomedis* extant: interrogati enim præsentes a *Mahomede* quinam gravi munere Legati ad propagandum *Is-*

(*) Catalogum uxorum, quæ ad superstitionem & erroneas opiniones stabiliendas multum contulerunt, exhibuit Cl. Abbas Schmidius ἐν τοῖς ἔργοις in Dissertatione cui titulus: *Mulier Heterodoxa*.

lamismum defuncturi essent, ita in media turba respondet: *Ego facturus sum quod postulas. Si quisquam sese tibi opposuerit, ego ipsi dentes excutiam, ipsi oculos eruam, scindam ventrem, & brachia diffringam.* Dignus sane tanto Propheta & Apostolo Legatus! cujus indolis homo fuerit *Abu-Beker* supra audivimus.

7) Denique *Giannabi* solus (qui ut supra notatum, seculo demum XVI. vixit,) fabulæ de inventa aqua, & modo purificationis faciendæ, mentionem facit; & si plures etiam idem testarentur, nemo tamen cui cerebrum inesset, adsensum posset præbere. Quod si omnia quæ hactenus dicta sunt conferamus, patebit, nonnisi fraudi *Mahomedis*, primorumque Sociorum deberi jactatam missionem divinam. Sed & alia adhuc sunt indicia quæ probant fraudem hîc intercessisse; Neque legere neque scribere potuisse *Mahomedem* asserunt Scriptores *Mahomedani*; Iidem simul contendunt *Alcoranum* lingua facili, & ita pereleganti exaratum, ut nullum scriptum elegantia eum æquare possit; aut igitur opera aliorum usus est *Mahomed* ad eum conficiendum, aut ab Angelo cælitus missus est; cum autem posterius nec stulte credulis etiam facile persuaderi unquam possit, necesse est, ut prius dicamus: hocque eo magis verisimile est, quod viris doctis uti supra notavimus, familiariter Mahomed uteretur, uti fuerat ex. gr. is *Waraka: Eruditissimus Sale*, præmatura morte erudito orbi erreptus, qui in linguam anglicam *Alcoranum* transtulit, & Erudita præmisit Prolegomena, *Salmani* cujusdam Persæ meminit, quo ad conscribendum librum *Alcorani* usus sit, cujus etiam in βιογραφια Cl. *Gagnier* meminit Tom. I. p. 298. probe distinguendus a Celebri Judæorum Doctore *Abdalla Eben Salam*, qui ad novam Religionem adornandam operam suam contulerat. Vide Diss. *Millii* pag. 359. seq. capite certe XVI. Alcorani refertur, quosdam esse qui dicant, quendam ipsum in componendo *Alcorano* adjuvare; responderi autem, *linguam hominis ad quem digitum intendant, qui hæc objiciunt, esse quidem linguam barbaram, sed eam qua scriptus est Alcoranus, esse Arabicam.* Nemo non videt infirmissimam esse hanc responsionem, ut probe observavit, *Doctissimus Auctor Diarii Literarii*, cui titulus: *Bibliotheque Raisonnée* Tom. XIII. part. I. pag. 185.(*) Ratio præte-

(*) Verba ipsius ita sonant: *Dire pour sa justification que l'Alcoran est écrit en bon Arabe, & que le prétendu Secretaire est étranger, & ne dire autre chose, c'étoit repondre pitoyablement à ses Ennemis. Ne voit-on pas, dans tous les Pays, des Etrangers, qui en apprennent parfaitement la Langue, & qui la parlent & l'écrivent même dans la derniere pureté? D'ailleurs un Correcteur Arabe ne pouvoit-il pas remedier aisement à quelques incongruits de Grammaire ou de Syntaxe qui seroit échappés à la plume de cet Etranger? Il est donc surprenant qu'une objection si forte & qui seule demontroit l'imposture, ait été si mal refutée.*

præterea ipsa compilationis quam tradunt Mahomedani satis probat, mentitum esse *Mahomedem* & Socios, quando cœlo decidisse eum impudenter garriunt : digna lectu sunt quæ de hoc argumento collegit Doctissimus *Sale*, cujus verba huc spectantia ex anglico in gallicum conversa idioma exhibentur Bibliothecæ citatæ. pag. 187.

Testes de origine Alcorani & miraculis Mahomedis fide digni non sunt.

VII. Sed redimus ad testes illos, ulterius probaturi, tales eos non esse quibus tuto fidem habeamus. Nimirum patet primos vitæ fatorumque *Mahomedis* Scriptores & fabulæ conditores data opera præclare dicta aut facta, quæ in V. & N. Testamento Christo vel aliis Viris Sanctis tribuuntur, mutatis circumstantiis *Mahomedi* adscripsisse. Multos ætate *Mahomedis* in Arabia fuisse Christianos & Judæos certum est, & a viris doctis satis superque probatum. Vide *Pokok spec. hist. Arab.* p. 136. *Hotting. Hist. Orient. Lib. II. cap. 11. Millium* Dissertat. de *Mahomedismo* ante *Mahomedem* p. m. 340. Cl. *Veissiere la Croze Dissert. hist.* p. 12. unde & ipse *Mahomed* ex commercio cum ipsis multa haurire poterat, licet S. Literas ipsemet evolvere non valeret. Familiariter certe quibusdam Christianis usum *Mahomedem* docet etiam *Elmacinus Hist. Saracen.* Lib. I. cap. I. edit. in 4. Innumeris autem quod asserimus, potest probari argumentis. Adducamus quædam tantum sequentes biographiam *Mahomedis* scriptam gallice a Cl. *Gagnier*. Ita pag. 78. & 79. narrantur miracula circa nativitatem *Mahomedis* facta, ad imitationem eorum quæ nato Sotere præstita sunt, excogitata. pag. 89. refertur, duos Angelos *Mahomedem* in agro degentem in terram dejecisse, ventriculum aperuisse, nescio quam nigram maculam inde avulsisse, corpus nive lavisse, lucemque ventriculo infudisse, & postea sanum iterum dimisisse. Testes adducuntur *Ahmed ben Joseph* & *Giannabi*. Nullus ego dubito quin fabula hac ostendere voluerint mendaces, labe quidem peccati originis infectum fuisse *Mahomedem*, sed anno jam ætatis tertio eam fuisse deletam, ut adeo Christo dignitate parum inferiorem ostenderent. pag. 385. Tom. II. vitæ hujus Scriptores Arabes ne minima quidem peccati labe contaminatum fuisse *Mahomedem* asserunt: p. 113. in monte uti Mosi scilicet, apparitiones ei frequenter factæ: pag. 166. in Convivio vocationem suam aperuit, alludentes nimirum ad miraculum primum a Christo in Galilæa in nuptiis factum. *Ibid.* scribit in terra; alludens ad historiam quæ Joh. VIII. recensetur. Unde, quod in transitu moneo, patet, historiam illam a vers. 1-11. a Johanne relatam, in codicibus N. Testamenti

antiquis fuisse receptam, & pro re vere gesta habitam. (*) pag. 161. apparet in facie *Mahomedis* splendor, ad imitationem Christi Matth. XVII. in monte glorificati. Quæ pag. 181. de *Khadigjia* narrantur ex historiæ *Mariæ* & *Elisabethæ* Luc. Cap. I. petita videntur. pag. 278. imitatur *Mahomed* Christum quaquaversum discipulos ad prædicandum mittentem: pag. 199. manifeste respicitur ad asinum Bileami: pag. 284. tentatur *Mahomed* a Diabolo uti Soter noster: p. 294. ad imitationem viduæ Sareptanæ miraculum factum: pag. 456. ad miraculum *Eliæ* alluditur. Tom. II. pag. 53. *Ali* æger oculis, saliva *Mahomedis* sanatur. Mitto multa alia quæ a quovis facile colligi possunt; ut nil dicam de integris propositionibus *Alcorani*, quæ vel ex Libris Sacris petitæ, vel illis oppositæ sunt, quas passim adducit Cl. *Relandus* in notis ad Compendium Theologiæ Mahomedicæ, Maraccius hinc inde, & Millius differt. cit. Sect. XXV. sq.

Iidem nonsolum hinc inde crassissima narrant mendacia sed & *Mahomedem* mox tanquam hominem iracundum, mendacem, & impurum describunt; mox vero tantis eum & corpore & mente ornatum prærogativis asserunt, ut tam diversa & contraria ab impudentissimis dici posse mireris merito. Narrantur Prophetæ hujus Prærogativæ inde a Cap. X. Tom. II. ad finem: eas sine risu legere non potes: sanctæ sunt omnes partes corporis *Mahomedis*, ne ipsa quidem excepta *urina*. Hoc unum nobis sufficeret ad probandum, meros eosque impudentissimos Impostores fuisse, qui talia scribere non dubitarunt. Pag. 95. asserit *Abulfeda*, *Mahomedem* anno ætatis 30. (alii 12. rursus alii 9. anno id factum pertendunt,) iter in Syriam fecisse, atque ibi eum cum comitibus in quendam Monachum Nestorianum incidisse nomine *Felicem*, cognomento *Bahira*. Hunc nonsolum benevole *Mahomedem* excepisse, sed & ex indiciis quibusdam in oculos incurrentibus, qualis ipse esset & quantus postmodum futurus, judicasse; Nimirum

(*) Notum est historiam de muliere Adultera Joh. VIII. 1-11. a quibusdam obelo fuisse notatam, quorum rationes in compendio examini submittit *Doctissimus Hoffmannus* in *additamentis Introductioni N. Testamenti a Cl. Pritio editæ adjectis* pag. 212. Historiæ pariter hujus veritatem singulari dissertatione adstruxit *Celeberrimus & Amicissimus Heumannus*, cujus singularis est v. 6. & 8. narratæ Johanni de scriptione Christi sententia. Eam thesi XI. sic proponit Cl. Vir: *Sententia igitur Joannis hæc est: non scripsisse Christum aliquid vere, sed manum tantum digitum ve in otio illo suo, dum adventantem exspectaret populum in subjecto pavimento mobilitasse, atque ita scribentis expressisse imaginem; ac postea etiam cum ad importunam repetitamque quæstionem nonnihil respondisset, ad eundem corporis statum se recepisse, similemque pendula in terram manu edidisse gestum.* Chartæ spatium non permittit, ut singillatim rationes quibus hanc explicationem superstruit V. D. adducam.

mirum vidisse ipsum supra caput *Mahomedis* requiescere nubem, radios solis temperantem, arbores porro, quo loco *Mahomed* sedere solitus esset, nudas & siccas, foliis fuisse vestitas, atque adeo prædixisse hunc Monachum, Infantem hunc magnum evasurum esse Virum. Ex quo satis constat, nequissimos Apostatas, & Religionis, uti videtur omnis irrisores, ad extollendum *Mahomedem* operas suas strenue & impudentissime adhibuisse. Pag. 113. & sq. vitæ Mahomedis asserunt & quidem posito omni pudore, Deum Mosi in monte Sina adventum *Mahomedis* annunciasse: ridiculam fabulam de descensu lunæ in manicam *Mahomedis*, & scissione ejus in duas partes nonsolum mendacissimi homines narrant confidenter, & portentum hoc præsentibus *Koreischitis*, Christianis & Judæis factum contendunt: Sed & ipse *Alcoranus* Surat. 54. v. 2. & 3. ejus mentionem facit, ut de traditione nil dicam. Sunt Viri Docti, qui putant, ea quæ de *Scissione Lunæ* dicuntur, nonnisi prava interpretatione *Surat. Lib. IV.* comm. 1. 2. niti; sed qui ea legerit, quæ inde a pag. 136-182. attulit Cl. *Gagnier* Tom. I. videbit impostores ita omnia narrare, quasi vere gesta essent. pag. 160. nonsolum ipsimet mentiuntur, sed & Angelum Gabrielem inducunt multa falsa de se prædicantem. Pag. 313. asserunt longe antiquius esse templum *Meccanum* quam *Hierosolymitanum*. Quæ pag. 315. sq. de nuptiis *Fâtema* Filiæ *Mahomedis*, de fructibus Paradiso perceptis, nataque inde in renibus *Mahomedis* aqua dicuntur, putidissima sunt & ineptissima mendacia; & hæc tamen observante *Maraccio* Prodrom. Part. II. p. 40. *constantissima* est *traditio*: pag. 326. mira refertur pugna Angelorum gladiis instructorum; nimirum capita hostium in aëre volant, antequam capitibus admoverentur gladii. Sed mitto innumera mendacia aperta, quæ homines illi afferunt, ex quibus manifestum est, non magis *Traditioni*, quam *Historicis* illis qui ad eam provocant, fidem posse haberi. Unum saltem quod reliquorum omnium putidissimorum mendaciorum loco esse potest, est narratio horum hominum de *Itinere nocturno Mecqua* Jerosolymam susceptо & eadem nocte facta mirabili & prodigiosissima septem cælorum visitatione, colloquiisque & visionibus plane ridiculis ibi habitis. Narratur hoc iter a Cl. *Gagnier* Tom. I. inde a pag. 195. ad 261. qui probat, authenticis scilicet Mahomedanorum traditionibus niti hanc narrationem, & singulis annis mense septimo dicto *Regieb* magna cum lætitia memoriam hujus Itineris *Constantinopoli* recoli; & *Giannabi* apud eundem pag. 263. testatur, omnes qui hoc iter in dubium vocent a *Doctoribus Mahomedanis*

pro hominibus infidelibus haberi. Non est animus describere ridiculam narrationem: hoc certum, vix fabellam, quas nutriculæ ad pupulos suos habere solent, insolentiorem & magis ridiculam excogitari posse. Hinc inter se dissentiunt Mahomedani utrum hoc iter *corpore* fecerit *Mahomed* an vero per insomnium illi duntaxat obtigerit. Prius credi ipsum voluisse multis ex narrationibus constat, vide Tom. II. pag. 36. it. 367. apud Cl. *Gagnier:* ipsi adstipulantur alii plures. Alii contra condendunt corpore factum iter illud *Mecqua Hierosolymam* sed iter per 7. cælos per quietem duntaxat ei obtigisse. Qui corpore utrumque iter a *Mahomede* factum contendunt, disputant, utrum mente duntaxat an corpore Deum viderit: posteriorem sententiam a plerisque approbari testatur *Giannabi.* Sive autem prius sive posterius asserant hi scriptores, palam est eos impudentissime mentiri. Si enim corpore hoc factum dicant, nonsolum innumera miracula feciisse Deus dicendus esset, sed & ea præstitisse ad confirmanda mendacia turpissima, sensui communi contraria, impossibilia & Deo indignissima; talia enim in hoc itinere innumera narrantur. Idem dicendum si per quietem a Numine tale visum obtigisse contendant; ita enim rursus Deum extraordinaria sua potentia interceslisse asserendum esset, ad persuadendum *Mahomedem* de rebus aperte falsis & ineptis. At quis tandem cui pietatis aliquis sensus inest, hæc admittere potest? Ex quibus colligere cordato cuique licet, quam fidi hi nugivenduli Historiarum Scriptores sint, & quid *Sonnæ* i. e. collectioni traditionum ineptissimarum & incertissimarum sit tribuendum. Nullum mihi dubium est, quin *Mahomed* amicis suis, fraudis & impostura conscii narraverit, insomnium sibi aliquod contigisse, qui deinde mendacia mendaciis addentes ne perpluant, in vulgus narratiunculas sparserunt, quæ insignibus a Traditionum compilatoribus, ut fieri solet, auctæ accessionibus, tandem miram illam pepererunt fabulam. *Mahomedem ipsum* hominem fuisse audacem, bellicosum, injustum & libidinosum ex universa vitæ ipsius & rerum gestarum narratione patet. Bellicosum & injustum fuisse hunc impostorem tot bella contra innocuos suscepta satis docent: ita Tom. II. pag. 385. ipsemet asserit, se more sc. Prophetarum, eos, qui ipsum falsi arguere voluerint, interfeciisse. Tom. I. p. 406. nonsolum narrat Angelum *Gabrielem* ipsi auctorem fuisse ut innocentissimos Judæos persequeretur, multosque eorum neci daret, sed & factum hoc crudele cœlitus fuisse confirmatum. Tom. II. pag. 47. Deum orat, ut spolia Judæorum quos oppugnare sine causa vole-

volebat, sibi tribuat. Verbo : insignis fuit latro qui omni pudore & jure neglecto in innocentissimos specie Religionis, quam non intelligebat ipse, grassatus est. Ab hoc crimine liberare voluit *Mahomedem* personatus quidam Medicus Arabs in epistola ad *Celebrem Professorem Halensem* uti titulus præ se fert, data. Tribus autem id conficere vult argumentis: primum hoc est: nimirum Mahomedem nonnisi *Chérifiatum* urbis Meccæ & dignitatem Pontificis Maximi in templo hujus urbis, quibus muneribus ornati fuerint Majores sui, armis recuperare voluisse: *secundum* est: *Alexandrum*, *Cæsarem*, aliosque laudibus in cœlum fuisse elatos, licet Usurpatores fuerint. *Tertium:* inter Christianos multos esse qui adserant, armis ad Religionem propagandam uti licitum esse. Respondeo, ad primum; nulla adduci a personato illo Medico Testimonia, quibus sententiam suam probet. Ortum esse ex nobili tribu Koreischitarum Mahomedem sed pauperem testantur Scriptores omnes: at Majores ipsius has provincias ornasse me legisse non memini. Sed fac id ita fuisse: quæritur utrum jure de dignitatis hujus gradu dejecti sint nec ne; quod si jure amisissent hæc munera, armis uti non potuisset ad recuperandum id, quod ab aliorum dependebat arbitrio. At ponamus verum esse quod ait; cur promiscue in vicinos omnes sæviebat? cur Judæos nil tale meritos oppressit? cur semper ingeminabat se a Deo ad extirpandam Idololatriam & falsa Christianorum pariter & Judæorum dogmata convellenda esse missum? cur Scriptores Arabes omnes causam missionis suæ & susceptorum Bellorum aliam plane reddunt? Quod ad secundum spectat argumentum, verum est laudatos, ab antiquis pariter & Modernis *Alexandrum*, *Cæsarem* aliosque, qui aliis tamen nullo jure intulerunt bella. At si propterea duntaxat laudantur, nemo veri rectique amans hoc probabit. *Magnum latronem* vocatum esse a *Seneca Alexandrum*, notum est. Et talis erat etiam *Mahomed*. Neque denique quod tertio loco affertur quicquam probat. Vi & armis propagandam esse Religionem Sententia est horrida & a humanitate aliena. Qui hanc defendunt, sine dubio absolvere etiam debent *Mahomedis* bella injusta. Sed non desinent interea Viri veri amantes non minus detestari ejusmodi violentias, a quibuscunque demum vel illatas, vel laudatas. Imo asserimus Christianos majore luce veri circumfusos, sed violentas illas artes usurpantes, gravioribus pœnis dignos esse ipso *Mahomede*. Impurissimum fuisse hædum Mahomedem nonsolum probat, quod 15. vel 17. uxores habuerit, ut de Concubinis nil dicam, sed & quod contra *Alcorani*

decreta

decreta cum *Zaida* ancilla rem habuerit, hancque fornicationem a Deo probatam fuisse finxerit. Hinc etiam Tom. II. pag. 323. vitæ apud Cl. *Gagnier* affirmat, se usu mulierum mire ad preces incitari, & pag. 326. inter virtutes, quibus præ cæteris ornatus fuerit refert, quod ardentissimus in Venerem fuerit. Taceo alia. Et hic tamen insignis ille scilicet Propheta est, a Deo excitatus ad novam Religionem condendam, & in hujus hominis gratiam pag. 365. omnes creaturæ conditæ sunt. Qualis autem arbor, talis etiam fructus ejus est; qualis ipse & commilitones talis etiam est *Alcoranus*. Scriptum nimirum miserrimum multis ridiculis ineptiis & contradictionibus plenum, quas postremas si tollere non possunt ad frigidissimas distinctiunculas confugiunt, ut multis V. Docti ostenderunt: Clarissimus *Millius* in Literis Orientalibus versatissimus, postquam dissertat. de *Mahomedismo* ante *Mahomedem* p. m. 306. narrasset elogia, quibus ipse *Mahomed* & Socii *Alcoranum* ornant, sic respondet: Sed utut *splendida sint, quæ jactet de Revelationibus divinis Mahomed, falsissima esse & callidorum hominum more conficta, ut Numæ Pompilii Egeriæ Nymphæ commercia jactantis, Lycurgi, Zamolxis & similium, qui ut institutis suis eo majorem auctoritatem conciliarent, Deorum ope & instinctu se usos gloriabantur. Ipsumque Alcoranum humani ingenii, nec satis acuti fœtum esse manifesto apparet; tam inutilia enim vana & centies repetita, tam male consuta sunt, ut vix sanæ mentis homine digna videantur. Denique ita Paganorum, Judæorum & Christianorum scrinia compilavit, ut si omnia suis Dominis restituantur, tanquam graculus æsopicus nudus fere relinquendus sit.* Ita Cl. *Millius*, quod lectio ipsa quemvis edocet. Neque necesse esse puto, ut ad *Alcoranum* ipsum provocem Exemplorumque multorum inductione *Millii* & aliorum dicta confirmem. Cum enim versiones *Alcorani* passim prostent, a quolibet egregium Scriptum legi potest.

Miracula Mahomedis incertissimis nituntur traditionibus & fraudis suspectis.

VIII. Superest ut de miraculis, quæ ipsi tribuuntur aliquid dicam. In *Alcorano* ipso nullibi deprehendi clara loca in quibus se miracula patrasse jactitet Impostor. Imo *Alcor. Surat. III.* v. 29. sibi opus non esse miraculis ait, quia Deus hominem, si velit, erroribus addictum esse patiatur, *surat.* vero XVII. v. 60. sibi facultatem patrandi miracula adscribit. Cæteri vero Scriptores *Mahomedani* innumera ipsi tribuunt portenta, ut id abunde constat. Quales autem illi testes fuerint, supra satis superque ostendimus. At præter testium futilitatem, multa sunt quæ suadeant credere, nullis plane miraculis illustrem fuisse Impostorem. Paucis id in gratiam Auditorum nostrorum (Eruditis enim

enim hæc notissima sunt) ostendemus. Et primo quidem si ad ingenium, & ad indolem hujus hominis mentis oculos convertamus, nemo sibi persuadere poterit, Deum sanctissimum, & veri amantissimum, hominem indoctum plane, mulierosum, mendacem, rapacem, Religionisque & christianæ & Judaicæ non satis gnarum, ad novam & a Christiana plane abhorrentem doctrinam confirmandam facultate miracula patrandi instructurum. Religio christiana tot argumentis & miraculis erat confirmata, ut novis, si ad ipsam etiam confirmandam missus esset, opus non fuerit. *Surat.* XXXII. 38. jactitat, ut alia locataceam, se ad *unitatem Numinis* probandam, *Idololatriam evertendam*, *Legis* & *Evangelii sensum* a Christianis & Judæis *corruptum* demonstrandum & vindicandum a Deo vocatum: at alio, siquidem id necesse fuisset, defensore ad hoc probandum opus foret. Ad verum Evangelii sensum eruendum opus sine dubio fuisset, ut Evangelia ipsa introspexisset, ut in quibus tandem Judæi & Christiani a vero sensu aberrarint, ostenderet; at hic homo tantum abest ut hoc præstare valuerit, ut ne quidem legere vel scribere, si Mahomedanos ipsos audias, potuerit. Unitatem Numinis Arabes pariter Christiani & Judæi admiserant neque adeo opus erat ut *Mahomed* eos hanc veritatem edoceret, nedum ut miraculis confirmaret. Arabes ante *Mahomedem* unum Deum coluisse, cæteros vero Deos pro Ministris duntaxat habuisse prolixe docet *Pokokius* vir harum rerum callentissimus *Spec. Hist. Arab.* p. 108. & *Millius* loco citato. Quod si hoc ignorassent Arabes, argumentis & rationibus erat persuadendum, quod tamen nunquam præstitit *Mahomed*, sed armis usus est ad miseros vexandos. Verum est Arabes simul etiam turpi Idololatria sese commaculasse: at eam leges Christianorum & Judæorum vetuerant, ut tanto Doctore opus non fuerit. Si vero omnem Idololatriam proscribere voluit, cur tandem toleravit Zabios, genios & stellas colentes? cur Judæos tandem ab Idololatria abhorrentes & Unitatem Numinis confitentes armis adortus est, & in eos tantopere sæviit? Christiani Unitatem Numinis ut notum est admittebant. Verum quidem est disputatum fuisse inter Christianos de Trinitate, & tribus personis: at si voluisset dogma illud impugnare, ante omnia necesse fuisset, ut mentem Christianorum rite intelligeret. Sed ostendunt Viri Doctissimi *Maraccius*, *la Croze*, aliique, eum imperitissime de hoc dogmate loqui & unicum hoc semper attulisse in *Alcorano* argumentum; Deum nimirum non *gignere*; eum *uxorem* non habere, hinc etiam neque *filium* neque *socium* habere.

Quod si vero *Arii* sententiam tueri voluisset bellicosus iste Apostolus, locis Scripturæ & rationibus id comprobare debuisset. Sed ille gladio uti potius quam Syllogismis didicit. Tertio denique pleraque illa portenta, quæ eum fecisse nugivenduli referunt Arabes, non ad unitatem Numinis, sed ad multas ineptias & ritus probandum ficta esse constat. Unde de testium qualitate nil addam. At animus non est disciplinam Christianorum prolixe vindicare contra ineptias hujus hominis & sequacium: factum hoc est abunde a Viris Doctis. Certe si quis fundamenta quibus superstructa est Religio Christiana, dogmata cum dogmatibus, præcepta cum præceptis, cultum denique quem deposcit Religio christiana, cum ritibus & cultu *Mahomedis* & sequacium contulerit, constabit, *Mahomedem* & primos fraudis Socios sive *Judæi* fuerint sive *Christiani* (nam his potius *Alcorani* & *Islamismus* tanquam Inventoribus tribuendus quam *Mahomedi*, quo tanquam capite usi sunt ad speciem Religioni vi conciliandam) Impostores gravissima Religionis capita nullis licet præsidiis munitos vel impugnasse & adulterasse vel prorsus negasse: multa ex Judæis & Christianis ad Religionem suam exornandam petiisse: ineptis tamen simul opinionibus & superstitiosis ritibus contaminasse: atque servatis duntaxat veritatibus paucis cultum Numinis præcipuum in σωματικην λατρειαν eumque vanum vertisse. Ex quo thesis nostra denuo satis superque confirmatur. Sane Religioni speciem conciliare non potuisset *Mahomed* nisi fuissent ex Christianis pariter & Judæis homines Increduli, ad omne nefas parati, qui ejurata sanctissima Religione & innumeris excogitatis figmentis consilia & conatus versuti hominis adjuvissent. Quæ autem causæ fuerint tam stupendorum progressuum quos Mahomedani fecerunt, & quod tot nobiles provincias ad se rapuerint, quid insuper ad propagandam Religionem Mahomedanam contulerit plurimum, præter alios multos in compendio ostendit Illustris Grotius in aureo libello de veritate Religionis christianæ.

Expenditur Sententia Cl. la Roche, contendentis certo sensu simpliciorem esse Religionem Mahomedanam

IX. Antequam ulterius progrediamur quædam adhuc de Theologia *Mahomedana* in gratiam Religionis christianæ, monenda sunt. Dixeramus supra, reperiri eheu hinc inde inter Christianos, qui vel data opera, vel quasi aliud agendo magnificentius de *Theologia Mahomedana*, quam par est, sentiant. In priorem classem refero comitem *Boulainvillerium*, qui vitam *Mahomedis* gallico idiomate edidit hoc animo, ut disciplinam *Mahomedis* factaque ipsius extolleret, atque ita christia-

christianæ Religioni detraheret. Huic, quamvis non eodem impudentiæ gradu id factum sit, annumerandus *personatus* quidam *Medicus Arabs*, qui (ut supra audivimus) data, ut titulus præ se fert, ad Celebrem Professorem Halensem epistola, vitia quædam *Mahomedi* non sine causa imputata, a cervicibus ipsius depellere voluit. Idem saxum, quamvis tecte magis, nec forte tam malo animo, volvisse videtur Auctor *Epistolarum Judaicarum* quæ promiscue hodie omnium teruntur manibus. Denique est quidam Vir Doctus, qui aliud agendo & non malo quidem animo, minus tamen nostra opinione circumspecte asseruit, *simpliciorem* esse Religionem *Mahomedanam* Christiana, atque hanc causam esse, quod pauci ex Mahomedanis, plures vero ex Christianis in *Atheismum* inciderint. Ne igitur Auditores nostri, quorum curam gerere debemus, incauti in errores ruant graves, paucis quædam de hoc argumento sunt adjicienda; ut non dicam nullam nobis occasionem, quæ ad confirmandam veritatem Religionis christianæ facere potest, esse prætermittendam. Ad *Boulainvillerium* quidem quod spectat notum est, eum spretis omnibus veritatis historicæ legibus, plane ex arbitrio & nutu suo vitam *Mahomedis* consarcinasse, ejusque facta & disciplinam ita inflexisse, itaque de iis judicasse, ut decuit Hominem alienissimum a Religione christiana habentem animum. Hujus autem conatus ut pluribus reprimamus necesse non est; nemo decipi potest nisi qui voluerit, aut qui stulte credulus quicquid refertur, admittit. Qui duntaxat missis omnibus aliis contulerit vitam *Mahomedis* a Celeberrimo *Gagnier* scriptam, quæ ex ipsis Arabum Scriptorum monumentis magno studio ἀθερ παθων collecta est, fraudes hujus *Comitis* facile deteget, neque majorem illi fidem habebit, quam impudenti alicui *Legendarum Consarcinatori.* (*) Paucis duntaxat ea quæ Vir Doctus de *Simplicitate* Religionis Mahomedanæ monuit expendamus. Ex iis enim genius Religionis Mahomedicæ, ipsiusque *Mahomedis* melius constabit; atque ad refutandas ratiunculas Personati Medici, & judicia eorum qui in epistolis judaicis loquentes inducuntur, satis habebunt ponderis. Vir Doctus, qui de *simplicitate Religionis Mahomedicæ* nostra opinione minus circumspectum, quamvis non malo animo prolatum, tulit judicium est *Cl. de la Roche*, *Bibliothecæ*

nam Christiana disciplina.

(*) Auctoris Epistolarum Judaicarum & personati Medici Arabis elogia de Mahomede ejusque disciplina lata in compendio expendit Cl. *Weismannus* Dissertat. sing. sub titulo: *Porismata Sapientiæ & Religionis ex laudibus Mahomedi & Mahomedanis in fraudem Religionis Christianæ nimis liberali mensuræ impertitis.*

thecæ Anglicæ Conditor. Hic dum Tom. I. part. II. hujus Bibliothecæ in eo erat ut compendium exhiberet eorum quæ Tom. II. variorum opuſculorum Ducis *Blakmore* continentur, & inter alia meminiſſet *Mahomedis Effendi*, qui teſte *Ricautio* Conſtantinopoli ob Atheismum neci traditus eſſe dicitur, in hæc erupit verba. *Neſcio utrum Auctor ille* (Ricautium intelligit) *de vera cauſa ſupplicii ſumti de Mahomet Effendi rite fuerit edoctus. Cum enim Religio Mahomedana* (in notis ad Relandum provocat) *ſimpliciſſima ſit, pauciores longe Atheos inter Mahomedis Sectatores quam vero inter Chriſtianos dari poſſe videtur. Hoc judicium meum eo nititur fundamento, quod nimirum magnus numerus dogmatum, & rituum ſuperſtitioſorum quibus onerata eſt Religio chriſtiana, multum faciant, ad Atheismum promovendum.* Ita *Cl. de la Roche.* Mirum non eſt hoc judicium Viri docti quosdam offendiſſe, exiſtimantes, eum de Religione chriſtiana in genere loqui. Cum vero dogmatibus adjungat ritus ſuperſtitioſos credibile potius eſt, eum Religionem Romanenſium impugnare voluiſſe. Et ſane verum eſt, tot ineptis ritibus oneratam eſſe Pontificiorum Religionem, tot fabulas hominibus credendas imponi, tot jactari hinc inde facta miracula ad vaniſſimas opiniones, v. gr. Tranſubſtantiationem confirmandam, ut de interdicto Religionis examine nil dicam, ut non poſſint non plures, qui hæc omnia vident & audiunt, nec tamen meliora edocti ſunt, in vitium Incredulitatis prolabi, de quo ſuo tempore in progreſſu harum Exercitationum fuſius agemus. Fatemur hoc ſenſu Religionem chriſtianam dici non poſſe *ſimpliciſſimam.* Quod ſi vero *vel* de Religione chriſtiana in ſe ſpectata, vel de Religione Proteſtantium in ſpecie loqui voluiſſet V. D. quod tamen mihi veroſimile non videtur, negamus Mahomedanam cum Chriſtiana hoc ſenſu collatam ſimpliciorem eſſe. Ne tamen in logomachiam incidamus, ſciendum quid ſimplicitatis nomine intelligat V. D. Quantum ex verbis allatis colligi poteſt, ſimplicem Religionem vocat eam, quæ paucis numero conſtat articulis. At ita neque Chriſtiana, neque Mahomedana, ſed Deiſtarum duntaxat Religio ſimpliciſſima dicenda eſſet. Illi enim ut notum eſt paucis numero articulis ſubſcribunt; Non igitur ad numerum duntaxat articulorum credendorum, ſed inprimis ad eorundem veritatem, utilitatem, & intelligendi facilitatem eſt reſpiciendum. Poſita enim veritate Religionis chriſtianæ in noſtra poteſtate ſitum non eſt, articulorum in ea contentorum numerum ad libitum reſtringere vel non reſtringere, quamvis & hoc facile concedamus, alios articulos magis vel minus

eſſe

esse captu faciles, alios frequentius, alios minus frequenter inculcari; alios ita proponi, ut manifestum sit, sine detrimento salutis eos negari non posse: alios vero sine periculo salutis ignorari posse, unde & distinctio Theologorum in articulos fundamentales & non fundamentales orta est. Novit autem Vir Doctus, rudibus & idiotis nonnisi claros, perspicuos, & cognitu faciles in Catechismis articulos credendi proponi, quamvis promiscue omnes moneantur, ut quantum ingenio valent, ad omnes articulos Religionis Christianæ rite percipiendos animos adjungant, viresque a Deo acceptas eum in finem impendant. Atque hoc sensu admissa veritate Religionis christianæ, articuli illi, qui in Catechismis traduntur, creditu absolute ad salutem necessarii, nonsolum multi numero non sunt, sed & veri, utiles, captu faciles atque adeo *simplices*. At mittamus hæc, & quæramus ex V. D. utrum Religionis nomine intelligat ipsam Revelationem puram, i. e. talem qualis in codicibus Vet. & Novi Testamenti exhibetur; an vero diversa illa systemata, quæ Christiani vel pro diverso ingenii & capacitatis indole, vel ex quibusdam hypothesibus concinnarunt: sive *prius* asserat Vir D. sive *posterius* simpliciorem esse contendimus Religionem christianam *Islamismo*. Age hoc paucis hîc ostendamus. Repetendum ante omnia quod supra dixeramus, nimirum simplicitatem alicujus Religionis nonsolum in paucitate articulorum, sed potissimum in eorum veritate, utilitate, & facilitate intelligendi positam esse. Quod si enim alicui duæ duntaxat propositiones, sed vel manifeste contradictoriæ, vel falsæ saltem credendæ proponerentur, esset quidem talis confessio fidei, si numerum spectes brevis, id est simplex; revera autem confusissima & ineptissima i. e. compositissima, quia earum veritas aut plane esset indemonstrabilis, aut innumeris æque falsis propositionibus ad colorem illi conciliandum opus esset. Quem in finem hæc dicantur, mox patebit. Conferamus igitur principia theoretica & practica Mahomedanorum cum Christianorum articulis theoreticis & practicis scitu credituve necessariis. *Maraccius* in *Prodromo* Part. IV. ad quinque capita *Islamismi* summam redigit. Sunt autem theoretica duo, reliqua practica. Inter theoretica *primum* hoc est; Unum duntaxat dari Deum; *secundum*; *Mahomedem* esse divinitus excitatum Prophetam, cujus dicta in *Alcorano* contenta pro divinis sint habenda Oraculis. Quod ad primum articulum attinet, nihil est quod moneamus. Est hic articulus captu facilis omniumque ingeniis attemperatus, si curiosas de natura quorundam attributorum Dei mittas quæstiones. Quod

autem ad alterum illum articulum spectat, nonsolum simplex non est, & quammaxime compositus; sed & ita ab omni verisimilitudinis specie abhorret, ut quicquid est Mysterii in Religione christiana facile sit, & planum cum hoc articulo comparatum. Ut huic enim propositioni; *Mahomed est Propheta a Deo missus*, sua constaret veritas, probandum esset, eum talia dedisse divinæ suæ missionis argumenta, ut a nemine qui verum amat, in dubium possit revocari. At hoc postremum demonstrari non potest. Vel enim dicendum ipsum Prophetam esse, quia hoc *Mahomed* asseruit ipse; vel quia sectatores ipsius hoc asseruerunt: vel quia talia & fecerit, & docuerit quæ necessario probant, eum ad hominum salutem promovendam in terras Deo volente missum. Primum ineptum est asserere, quia ita stolidissimus quisque pro Propheta esset habendus: secundum non minus infirmum est, nisi ab iis afferantur talia argumenta, quæ nos necessario ad adsensum rapiant, at quales hi testes sint, supra audivimus; omnis igitur quæstio ad tertiam redit propositionem; Hæc duabus constat partibus. Nimirum demonstrandum est, *primo* Decreta & præcepta *Mahomedis* ita esse comparata, ut aliam quam divinam originem habere non possint; *secundo* probandum, Deum insignibus miraculis demonstrasse hominem hunc a Deo missum esse. Ad priorem propositionem probandam introspicienda sunt *Mahomedis* Decreta cum theoretica tum practica, videndumque nonsolum utrum divinis virtutibus sint consentanea & ad perficiendum genus humanum apta, sed & hactenus ignota cognituque adeo necessaria. At multa obstant, quo minus Mahomedanus propositiones illas probare possit. Primo enim quod ad articulum illum fundamentalem *Mahomedis* spectat, nimirum unum esse Deum, certe confessio hujus articuli non probat ipsum Prophetam fuisse; ita enim fere omnes Gentiles, Judæi & Christiani dicendi essent Prophetæ: Docuimus supra multos ex Gentilibus hunc articulum admisisse, non erat igitur necesse, ut Propheta talis ad hoc probandum cœlo demitteretur. Deus certe extraordinaria non facit, ubi facilia ad manus sunt. Hic primus ille articulus theoreticus est, quem excipit alius, *Mahomedem* nimirum Prophetam esse, de quo mox dicendum. Articuli practici sequentia capita comprehendunt: *Elemosynam nimirum in pauperes esse erogandam*, *Orationi & Jejunio*, esse vacandum, *Peregrinationem ad delubrum Meccanum esse instituendum*, cui *Abulpharagius* apud *Pokokium Specim. Hist. Arab. pag.* 30. addit, *munditiem in extremis hominis partibus servandam.* At quis non videt, si vel maxime hæc com-

commendasset suis sectatoribus *Mahomed*, non tamen propterea ipsum futurum Prophetam, aut sequi, decreta hæc per Revelationem ipsi obtigisse? Elemosynas in pauperes esse erogandas vel solæ humanitatis leges postulant, atque facile sine Revelatione quilibet ad hominum miserorum statum animum convertens, quidve sibimetipsi fieri, si egenus esset, vellet, expendens, officii hujus necessitatem deprehendet, ut nihil dicam quam frequenter hoc officium a Christo & Apostolis fuerit injunctum: Observavit autem *Maraccius Prodromi pag. 31.* plerasque Elemosynas eum in finem esse colligendas a Mahomedanis, ut pecunia hac quoties contra infideles, id est Christianos pugnandum sit, uti possint. Ad *preces* quod spectat quinquies per diem certas formulas precum fundere tenentur *Mahomedis* Sectatores (*); at si vel maxime tales essent, quales esse deberent, nec hoc probaret hominem illum divinitus esse excitatum: Nam preces esse fundendas ne ipsis quidem Gentilibus, ut de Judæis & Christianis nil dicam, ignotum erat: Neque Jejuniis aliquando esse vacandum Christiani vel Judæi ignorabant: Mirum autem est Jejunium, cujus mentionem facit *Mahomed Alkorani* Surat II. v. 179. ita enim ibi loquitur: *Permissa est vobis nocte Jejunii conjugalis accessio ad uxores vestras, ipsæ enim sunt indumentum vobis, & vos estis indumentum ipsis; novit Deus quod (in principio Mahomedismi) defraudaveritis animas vestras, itaque misertus est vestri & indulsit vobis. Jam igitur inite eas & appetite, quod præscripsit vobis Deus; & comedite & bibite (scilicet per totam noctem) donec distincte cognosci queat filum album a filo nigro in aurora.* Quod denique ad peregrinationem illam ad Delubrum Meccanum & ad munditiem corporis spectat, planum est, quam parum hic cultus Deo dignus sit, nedum ut aliquid ad probandum divinam missionem *Mahomedis* conferre possit. Si articulum illum theoreticum, nimirum, *Mahomedem* esse Prophetam a Deo excitatum Mahomedani probare volunt, illis recurrendum ad *Alcoranum* ipsum; in hoc centone reperis innumera inepta, ridicula, Deoque contumeliosa & aperta fronte secum pugnantia, quæ dudum a Viris Doctis sunt collecta. Hæccine autem Religio simplex

(*) Pag. 76. Cl. *Gagnier* Tom. I. pag. 245. mentionem faciens 5. harum precum ait: *Quoique ces prières soient au nombre de cinque, elles ne diffèrent pas dans leur formule, que l'on ne fait que repeter à chaque fois.* Cl. *Relandus* Compendio Religionis Mahomedanæ cap. IX. ritus circa preces observandos enarrat, ex quo constabit, quam sint puræ castæque Religioni convenientes Idem ritus circa Jejunia & Iter Meccanum in seq. capit. enarrat. Inprimis videndum quibus ritibus superstitiosis Mahomedanis templum Meccanum frequentaturis utendum sit. Vide præter *Relandum*, *Gagnier* Tom. II. pag. 257. sq.

simplex dici potest? dabimus quidem lubentes Cl. *Relando*, ad quem Vir Doctus provocat, multa *Mahomedi* fuisse adficta: at præterquam quod Arabes longe plura eaque impudentissima mendacia de *Mahomede* ejusque dictis & factis in vulgus sparserint, uti vel sola Biographia *Mahomedis* conscripta ab Eruditissimo *Gagnier* docet, sole meridiano clarius est, *Alcoranum* Centonem potius esse ineptissimarum sententiarum, quam vero divinam Revelationem: Si ad Ethicam sive præcepta moralia *Alcorani* respicias, deprehendes sæpe sanctissimorum præceptorum transgressionem inter indifferentia, vel licita referri. Vide ex. gr. quæ passim in *Alcorano* de vindicta contra hostes exercenda; de simulatione in causa Religionis; de Juramenta eludendi facilitate &c. dicuntur, ut plura ejusmodi taceam, quæ ex *Alcorano* in compendio exhibet Cl. *Michaëlis* in Dissertatione de *Laxitate morali Alcorani*. Hæccine autem denuo probant, *Mahomedem* Prophetam esse ad genus humanum emendandum? Num forte *miracula* patravit? at aperte ipsum hoc confiteri non ausum supra audivimus. Verum est, innumera ipsi tribuerunt post fata ipsius sectatores impudentes, nugivenduli; sed & qualia sint, quemve in finem edita dicantur, nimirum ad Auctoritatem duntaxat vafro & bellicoso homini conciliandam clarissimum est; testes ipsi, si ætatem, qua vixerunt, spectes, (ut de aliis characteribus nil dicam) fide digni non sunt. *Antiquos vitæ Mahomedis Scriptores & Impostori aut ὁμηλικας aut ejus ævo proximos frustra requiris; antiquissimus & summæ apud Mahomedanorum partem auctoritatis Sonnæ liber, in quo inter reliquas traditiones orales multa de Mahomedis dictis, factis & effatis, miraculis item atque prophetiis scripto consignata leguntur, nonnisi altero post Mahomedis mortem seculo jam exeunte aut elapso ex variis variorum narrationibus undique conquisitis ac collectis ab Abu-Abdollah a patria Bochara vulgo Albochari dicto & sociis ejus consarcinatus fuit; unde & huic Legendarum libro fidem abjudicant Persæ.* Ita Cl. & *Amicissimus Grynæus, Professor Theologiæ Eruditissimus Literis ad me de hoc argumento datis.* De moribus ipsius supra satis diximus, mulierosus certe, vindictæ cupidus, & injustissimus Innocentium oppressor fuit, tantum abest ut talis pro Propheta cœlitus misso haberi possit, ut nequidem viri boni titulum mereatur. Ex quibus, ut brevis sim, satis constat propositionem illam fundamentalem Mahomedanorum nimirum, *Mahomedem* esse Prophetam divinitus excitatum, nulla ratione probari posse, atque adeo dogmata eorum neque *vera*, vel *verisimilia*, & consequenter etiam neque *simplicia* dici posse. Si vero propositio-

nes

nes ineptissimæ, modo numero paucæ sint, simplices dici mereantur, *Spinozæ* systema de unica substantia, quam Deum appellat, simplicissimum dicendum foret; Quod si jam vero animus esset, prolixe ostendere, Religionem christianam, sive dogmata, sive præcepta, sive cultum denique & vitam S. Soteris nostri respicias, nonsolum esse probatu faciliorem, veritati magis & virtutibus divinis consentaneam, adeoque etiam simpliciorem, facile hoc esset ostendere; at brevitati operam daturus, hoc tantum dicam, veritates fundamentales *Mahomedis* propositionibus oppositas posse ad duo revocari capita; nimirum ad hæc: Jesum Christum S. Soterem nostrum esse Prophetam cœlitus missum, & Religionem christianam esse divinam. Hoc posito cætera omnia facile possunt probari. Ad has autem fundamentales christianorum propositiones probandas, hoc uno argumento opus est, ut nimirum probemus Jesum vere a Deo e mortuis fuisse revocatum, probata hac propositione verum est Soterem nostrum verum esse Prophetam, & divinam esse Religionem christianam: atqui non minus evidenter demonstrari potest, Jesum a mortuis in vitam fuisse revocatum, quam *Julium Cæsarem* & *Ciceronem* olim in terris degisse & utrumque hostium insidiis circumventum neci fuisse datum. Rem ipsam probare non aggredior, sed ad duos Doctissimos Anglos *Scherlokium* atque *Dittonum* provoco, qui rem in clarissima posuerunt luce, conferendus cum hisce Doctissimus Anglus Gilbertus West. Totum compendium Ethicum Religionis christianæ comprehenditur amore Dei & proximi, imo ubi solus amor Dei adest & radices in mente egit, ibi perpetuum etiam Deo placendi studium, id est omnis generis virtutes locum habebunt. Si ad externos ritus respicias baptismum & S. Cœnam habes, qui sane simplices sunt, resque tamen maximi denotant momenti. Hæc omnia si conjungas, patebit nostra sententia, Religionem christianam in se spectatam longe simpliciorem esse Religione Mahomedica. At dicet forsan nonnemo Christianos in diversas divisos esse sectas & superioribus articulis plures addidisse, adjecisse insuper traditiones & rituum maximum apparatum: Diximus supra, nos contra *Virum Doctum* Protestantium duntaxat causam tueri: At (1) hi posita origine divina Religionis christianæ cæteros articulos tanquam consectaria facile ex fundamentalibus propositionibus eruere possunt. Secundo possunt Protestantes omnes in dubiis ad Scripturam Sacram recurrere, quam omnes tenentur legere. Contra vero Mahomedani, ut de compositione *Alcorani*, ejusque Compilatoribus nil dicam, in ipso omnia perturbata

esse fatentur, vide locum prolixum Scriptoris Arabis apud *Maraccium* pag. 39. sq. ubi inter alia dicit. *Non poterit autem rite exponere Alcoranum, nisi qui probe calluerit duodecim illius virtutes, nimirum Meecanum & Medinense: abrogatum & abrogans: præpositum & postpositum; disjunctum & conjunctum; Peculiare & Commune: implicitum in intentione & explicitum in verbis.* &c. (3) Interpretes *Alcorani* inter se vehementer dissentiunt. (4) Numerus sectarum inter Mahomedanos ad Septuaginta tres refertur. (5) *Traditiones* non minus sacrosanctæ sunt Mahomedanis quam *Alcoranus* ipse, at hæ incertissimæ & ineptissimæ; perpetuæ etiam inter *Canonistas* & *Scholasticos* dissensiones. (6) Huic malo nullo modo possunt mederi, qui *Alcoranum* sine examine & ulteriore inquisitione tanquam divinum oraculum recipiendum esse existimant. Quæ ita comparata sunt, ut non possint non illos inter Mahomedanos, qui acutum cernunt & hæc expendunt, in Deismum, ubi Religionis christianæ notitiam non habent, necessario conjicere. Atque hæc occasione judicii Cl. *de la Roche*, cujus Eruditionem maximi facio, contra eos qui magnifice de Theologia Mahomedana sentiunt, addere volui. Pergendum nunc esset, ut initio dissertationis me facturum promiseram ad eandem thesin exemplo Recentiorum Incredulorum comprobandam; sed nolo limites, quos ejusmodi disputationibus more recepto ponere solemus, supergredi.

Gratiam autem me initurum ab Erudito Lectore existimo, si appendicis loco tanquam purpuram panno meo assutam adjecero eruditissimam Epistolam de hoc argumento ad me datam *Celeberrimi & Amicissimi Basileensium Theologi Johannis Grynæi*, Viri ut aliis multis disciplinis exculti, sic in Lectione Scriptorum Arabum versatissimi. Verba Cl. Viri hæc sunt.

QUod primo loco quæris Vir. Celeb. *An ex vita Mahomedis satis perspicuè pateat, eum potius versutum Impostorem & gloriæ cupidum fuisse, quam vero Fanaticum*, ejusmodi est, ut sine ulla hæsitatione affirmari debeat. Infitiari equidem nolim, in vita Mahommedis nonnulla deprehendi indicia, unde quis haud immerito colligere possit, Impostorem hunc ne ex fanaticorum quidem numero penitus esse eximendum. Non dicam, Epilepsiâ Eum laborasse, quâ qui sæpius corripiuntur, eorum cerebrum quin tandem lædatur fieri vix aut ne vix quidem potest. Scio Celeb. Ockleyum Anglum huic de Mahomedis sontico morbo narrationi, quippe Christianorum & quidem Græcorum atque Latinorum

rum tantùm Hiſtoricorum, licet conſtanter id tradentium teſtimonio nixæ fidem abrogare; Jure ne an injuria id faciat, non inquiram ſollicitè, dubito tamen; nam ſi Chriſtianorum tam Græcorum quam Latinorum tanquam Mohammedi juſto iniquiorum teſtimonium repudiari oportet, non video, cur non & Arabum tam Mohammedanorum quippe Sectæ ſuæ auctori nimium faventium, quam Chriſtianorum ſub Imperio Mohammedanorum ne muſſitare quidem, neque quicquam, quod ad Impoſtoris ignominiam pertinuiſſet, proferre ſuſtinentium ſilentium itidem nobis ſuſpectum eſſe debeat?

Verum ſin minus comitiali morbo, hypocondriaco ſaltem obnoxium fuiſſe Mahommedem tutius forſan affirmare licet. Ejus certé morbi indicia in Mohammede puero adhuc, neſcio quid mirum atque plane incredibile ſibi contigiſſe jam tum narrante, animadverterunt nutrix Ejus Halima hujusque maritus, qui teſte Abulfeda Scriptore Arabe, (a) vereri ſe dixerunt, *ne puer iſte aut à Satana infeſtatus fuerit aut contraxerit* אל חקית *morbum hypocondriacum*, quo qui laborant, Eos imaginoſum aliquid nonnumquam pati minime mirum eſt.

Accedit II. amor ille ſeceſſus & ſolitudinis, quem Mohammedi inſpiraſſe Deum excelſum idem Abulfeda (b) teſtatur, ita ut quotannis per integrum Ille menſem in ſpelunca montis Hara commoraretur; Quamvis enim hunc ſolitudinis amorem ſimulare, ſeque in hoc ſeceſſu ſuo ad fraudem, quam jam tum meditabatur, parare quiverit homo callidus, tamen vel ipſa diuturna adeo in ſpelunca montis commoratio ad vitiandam ejus, qui atræ bilis copia laborabat, φαντασίαν haud parum valere potuit.

Imprimis vero, quod III. loco obſervamus, neminem, qui quidem Alcoranum paullo penitius inſpexerit, arbitramur dubitaturum, quin ex fanatici hominis (c) cerebro prodierit partus ille, illa verborum magnificum quiddam ſonantium, ſed haud raro ſonos mente caſſos fundentium atque ſententiarum ineptarum ſæpe, utplurimum male cohærentium ac confutarum indigeſta moles & vere quod ei objiciebant Meccani, (d) אגמת אחלאם, *ſomniorum confuſa congeries.*

(a) *De vita Mohammed.* cap. IV. edit. Gagnierii.
(b) Cap. VII.
(c) Vid. ex. gr. quomodo & quam inepte, ne dicam impie, Deum jurantem introducat Mohammed Surat. LXXVII. LXIX. & C. ab initio iis verbis, in quorum ſenſu exponendo, ſi modo non ſine ſenſu prolata fuere, nondum conſentire potuerunt præſtantiſſimi Interpretes.
(d) Sura XXI. v. 5.

At si vel maxime fanaticorum numero penitus eximi nequit Mohammed, multo tamen potiori Jure inter versutos atque callidos Impostores referri meretur. An gloriæ cupidus fuerit eo sensu, quo Veteres Philosophos Ethnicos animalia gloriæ nonnemo Patrum Ecclesiæ appellavit, & famam sin minus bonam certe magnam sibi colligere atque comparare studuerit aut cogitaverit, aliquantum addubito & hoc gloriæ nominisque ad posteritatem propagandi studium politiorum potius gentium, Græcorum atque Romanorum, quam ferocium illo adhuc tempore Arabum & ipsius rudis atque illiterati Prophetæ נביא אמי genio convenire judico.

Sed regnandi, dominandique in populares suos & imperii, quod appetebat & consecutus etiam fuerat, ulterius semper proferendi cupidum, mulierosum præterea ac libidine ultra modum deditum fuisse, & ad explendas pravas istas cupiditates, veluti ad scopum sibi præprimis propositum, cogitationes suas omnes direxisse, atque adeo tam ipsam Legis, quam se à Deo accepisse mentiebatur, indolem, quam vitæ suæ agendique cum iis, quos sibi conciliare studebat, rationem ad eundem finem obtinendum versute accommodasse non vereor affirmare.

Quantum libidini deditus fuerit, inde satis patet, quod duabus, tribus aut quatuor Uxoribus, tot nimirum, quot sectatoribus suis ducere concesserat, ipse minime contentus, multo plures sibi connubio junxerit. *Qui plurimas dicunt, septendecim illi assignant* inquit Abulpharaius (e): Qui pauciſſimas tredecim. Quindecim Eum duxisse & cum Undecim ex illis rem habuisse tradit Abulfeda. (f) Quod ut sibi licere ostenderet impurus homo, Deum hoc sibi tanquam Viro Sancto scilicet atque Prophetæ singulare præ reliquis fidelibus privilegium, & quot vellet Uxorum ducendarum, atque comprimendarum præterea ancillarum potestatem concedentem introducit Surata XXXIII. v. 47. (g) Imo qua est incredibili plane Impudentia, se à Deo & increpari fingit, quod a concubitu ancillæ suæ Mariæ Ægyptiæ abstineret, & jurisjurandi religione solvi, qua interposita Uxori Haphsæ polliticus fuerat, se Mariam istam in posterum missam facere velle Surata LXVI. v. 1. sqq. Quorum eum esse, quem modo exposuimus, sen-

(e) In specimine Historiæ Arabum. pag. 14.
(f) Cap LXVIII. vitæ Mohammed.
(g) Ipsa Verba Alcorani heic & in sequentibus allegare superfluum duco, cum ab omnibus in Versione Lat. Maraccii legi possint.

sensum aperte docent Commentatores Arabes Gelaloddin, Jachja, Zamachscharius apud Maraccium. Verum de hoc argumento satis vel plus etiam satis.

Sequitur, ut monstremus, Mulierosum isthunc Prophetam ambitioni præterea egregie litasse, potiundique in populares suos & ulterius semper proferendi Imperii cupidum fuisse. Legimus apud Abulpharajum, (h) & Abulfedam Cap. LI. eo tempore, cum Mohammed decem militum millibus stipatus ad expugnandam Meccam accederet, unum ex civibus Meccanis Abu Sofjanum Koraischitam viso egregio isthoc atque bene instructo exercitu conversum ad Al Abbasum Mohammedis Patruum exclamasse מלך אבן אחיך מלכא עטימא לקד אצבח, *Profecto Regnum Filii fratris tui in magnum regnum jam evasit:* Respondisse vero Al Abbasum ויחך אנחא אלגנות, *væ tibi, Imo vero Prophetia estsive Prophetici Muneris Dignitas.* At revera Prophetiæ sive muneris Prophetici specie imperitis imposuisse Mohammedem, & regnum atque terrenum illud quidem, quod etiam consecutus est, affectasse, dubitari nequit, modo perpendamus, quid & quantum Ille ab omnibus Sectatoribus suis postulaverit, & quid, cum se ab iis *Legatum Dei* רסול אללה agnosci voluit, istis verbis intellexerit. In prima equidem ביעת sive inauguratione sua, cum nondum satis se opibus atque potentia munitum existimaret, (i) juramento obedientiæ & fidelitatis, quod ei a paucis Ansariis præstabatur contentus, necessitatem belli pro se gerendi iis imponere veritus est. At cum paulo plures deinde asseclas nactus esset, in secunda inauguratione ab iis requisivit, (k) ut in hæc verba jurejurarent, *se Eum ab omni insultu defensuros, prout uxores suas & Liberos suos defendere soleant*, id est, vi etiam atque armis, atque eo quidem tempore primum Ei datam fuisse potestatem belli gerendi, & vim illatam vi repellendi, cœlitusque tunc demissum versum 41. Suratæ XXII. observat Ebn. Isaac. Aucto tandem Sectatorum numero confirmatior paulatim redditus, & de felici impostura suæ successu majorem indies spem animo concipiens non defendere modo vim, sed & inferre aliis cœpit, atque ut hoc propositum suum honesta specie vel potius scelus scelere velaret, religionis suæ armis propagandæ i. e. regni sui vi bellica amplificandi, omnesque qui imperium suum detrectarent, aut tamdiu bello persequendi, donec calamitatibus fracti semet Ei subjice-

(h) In Specim. Hist. Arab. pag. 12.
(i) Abulfeda, cap. XX.
(k) Ibid. cap. XXI.

jicerent, aut internecione delendi, sibi a Deo injunctum præceptum fingere sustinuit: Quod ne plura testimonia congeram vel ex sola Surata LXVI. v. 9 & VIII. v 39. satis patet. Quæ omnia certe non tam Prophetæ promovendæ gloriæ divinæ hominumque salutis cupido, quam callido Impostori sub religionis prætextu constabiliendo regno suo, augendæque potentiæ unice intento conveniunt.

Quem scopum ut facilius assequeretur & quam plurimos omnis generis homines in partes suas pertraheret, novam Legem suam ita adornavit, ut Judæorum atque Christianorum animos ab ea amplectenda non omnino abalienaret, & populares suos Arabas universos, cujuscunque demum essent Religionis etiam Idololatras magnopere alliceret.

Unde Judæorum & Christianorum Religiones non tanquam falsas rejecit, sed tam Mosen quam Christum Prophetas divinitus missos fuisse, & illum quidem ut Legis, hunc ut Evangelii Librum Dei nomine ad homines deferret, venisse (l) professus, se tertium prioribus istis aut similem aut forte præstantiorem & ab iisdem etiam prænuntiatum Prophetam, Prophetarumque signaculum (m) agnosci, suumque Alcoranum Legi & Evangelio tanquam eorum complementum adjungi & superaddi postulavit; Quod se facilius a Judæis & Christianis impetraturum speraverit, quam si eos, damnatis impostura quibus innutriti fuerant Religionibus, a Mose & Christo simpliciter deficere juberet.

Inprimis vero ut populares suos Arabes omnes ad recipiendam amplectendamque novam Legem suam magis alliceret, Legis istius Indolem ad eorum ingenium, mores, præjudicia, cupiditates denique, quantum potuit accommodavit.

Inde I. orta atque enata est, mira illa atque perversa Religionem armis propagandi, atque adhibita vi bellica omnibus obtrudendi, in Alcorano pluribus in locis tradita Methodus, (n) quæ Arabibus feroci atque bellicosæ genti & ex rapto vivere assuetæ non poterat non magnopere arridere, siquidem potestatem sibi ita fieri cernebant, vicinos omnes, quotiescunque id luberet, invadendi, bello persequendi, repugnantes seque ac sua defendentes cædendi, facultates eorum diripiendi, bona occupandi, eos denique subigendi atque imperio suo subjicien-

(l) Surata. II. v 137. ut alia plura loca taceam.
(m) Surata. XXXIII. v. 39. מאתם אלנבין quam appellationem a Judæis didicit, qui Malachiam Prophetarum V. T. ultimum חותם הנביאים vocare solent.
(n) Surat. IV. 88. VIII. 39. IX. 30. XLVIII. 16. & alibi.

jiciendi; Qua licentia religiosa dicam an irreligiosa, quam alacriter & quanto rei Christianæ præsertim detrimento hactenus usi fuerint Moslemi, omnes norunt.

II. Cum alios ex se æstimaret Mohammed, & quam libidini dediti essent populares sui non ignoraret, divortiorum atque repudiorum licentiam ex Lege Mosis revocandam atque amplificandam, (o) & mitigata Legis Christianæ severitate Polygamiam iterum permittendam censuit, ita ut cuilibet fideli Moslemo quatuor Uxores legitimas sibi connubio jungere jus fasque sit per Suratæ IV. v. 3. Qua felicitate ut solida perpetuaque fruerentur, futuræ quoque post hanc vitæ in omnibus carnis voluptatibus & formosissimarum præcipue virginum jugi complexu transigenda spem illis fecit. (p) Quæ non figurata oratione ita dicta, ut vellent Mohammedanorum nonnulli quos Paradisi hujus pudet, sed ad Literam ab ipso Mohammede intellecta fuisse, adeoque intelligenda esse, ostendunt præstantissimi Alcorani Interpretes (q) & liber Sonnæ. (r) Et cur Propheta futuræ vitæ felicitatem non in iis rebus collocaret, quibus se in hac vita Deo volente tanto pere delectari ipse profitetur apud Abulfedam his verbis, אללה נעל לדתי פי אלנסא ואלטיב (s) *Deus posuit delectationem meam in fœminis, & suavibus odoribus.*

III. Ab omnibus equidem Sectatoribus suis postulavit Mohammed, ut unum esse Deum (t) profiterentur. An populares suos, quorum aliquos ad Judaismum, alios ad Christianismum antea jam inclinasse aut conversos fuisse, discimus ex Schahrestanio apud Pocockium, (u) Idololatriæ suæ jam pertæsos aliquantum, haud ita difficulter ad unius Dei agnitionem perduci posse conjecerit aut præviderit, definire non ausim. Alias certe multos Eum ritus & cœremonias superstitiosas, quibus Arabes Idololatræ in statu *ignorantiæ* אלנאהלית assueverant ut ipsis placeret retinuisse & in suam Religionem etiam transtulisse con-

(o) Vide Surat. II. v. 228. 231. 237. 238. & Suratam IV. אלנסא *Mulierum* dictam.

(p) Vid. ex plurib. locis pauca hæc Surat. II. 25. Surat. XXXVII. 40. & seqq. Surat. XXXVIII. 52. &c.

(q) Gelaloddin, & Jachja apud Maraccium, qui ea verba tanquam proprie dicta interpretantur.

(r) Si fides adhibenda iis, quæ apud Maraccium ex Guadagnolo allegantur velut ex ipsius Mohammedis ore hausta & Sonnæ inserta.

s) Hæc equidem Verba uti a Maraccio allegantur apud Abulfedam in cap. LXVI. *de Indole Mohammedis* reperire non potui, at in notis Cl. Gagnierii similia plane ex Libro Aluchafa citantur.

(t) Nota est omnibus brevissima fidei Mohammedicæ formula ומחמד רסולה לא אלה אלא אללה, *Non est Deus, nisi Deus & Mohammed Legatus ejus est.*

(u) In notis ad Specimen Histor. Arab. p. 136, 137.

constat, & fatentur Mohammedani; Ita Abulfeda: *Solebant olim Arabes quædam facere, quæ postea præcepit Lex Islamica &c.* apud Pocockium. (x) Ita præceptum אלחג sive *Peregrinationis ad Templum Meccanum instituendæ*, quod unum ex quinque fidei Islamiticæ fundamentis est, ideo a Mohammede datum fuisse patet, ut Idololatris gratificaretur, qui ædem illam Sacram אלכעבת Alcaaba dictam summa veneratione prosequebantur, eamque religiose invisere & in ejus aditu & circuitu omnes illos ritus, quos Mohammed deinde adoptavit jam dudum superstitiose observare soliti erant. Idem in præcipienda circumcisione (y) variis orantium gestibus & solicita illa mundandi corporis ratione aliisque spectasse Mahomedem ex ipsis Sectatorum ejus Libris & confessione monstratum dedit Cl. Pocockius in specimine Historiæ Arabum.

Commemorari paucis adhuc meretur mira ejusdem & Propheta indigna in assignanda אלקבלת (z) inconstantia, sive potius versipellis hominis & in varias se formas, prout id rebus suis conducere existimabat, vertentis astutia: Cum enim primo *Keblam* nullam certam constituisset, sed *quocunque* inter orandum *quis se converteret, ibi esse faciem Dei*, quippe immensi recte definivisset, deinde לליהוד האלפא *conformando se Judæis* (a), quos allicere cupiebat, præcepit ut orantes בית אלמקדס *Templum Hierosolymitanum* respicerent, quod institutum per 18. menses observatum fuit. Verum cum ea re magnopere offendi Arabes cerneret, ne eos a se alienaret, mutata sententia ad ædem Meccanam Alcaabæ orantium faciem in posterum converti debere statuit, & ut hujus mutationis rationem redderet, ædem istam, quippe ab Abrahamo ædificatam, Hierosolymitana antiquiorem atque adeo excellentiorem esse credi voluit. (b)

Ab eodem inconstantiæ Mohammedis aut astutiæ ejus fonte, non a Dei O. M. mutabilitate derivandum est, quod in Alcorano tot præcepta sive versus cœlitus scilicet demissi paulo post, mutato nimirum rerum statu aut Prophetæ sententia, per alios a Deo itidem demissos abro-

(x) Ibid pag 321. ubi plurima ejus rei exempla recensentur.
(y) Apud Arabes antea jam æque ac Judæos usitata, quibus posterioribus n. etiam observando Jejunium עשורא *decimæ diei* mensis Moharram placere studuit.
(z) Id est cœli plaga aut tractu, quorsum inter orandum faciem suam converterent, qua in re valde superstitiosi sunt Orientales.
(a) Ut inquit Gelaloddin Interpres Alcorani.
(b) Videatur Abulfeda pag. 54. & in Eum locum notæ Gagnierii.

abrogati (c) leguntur. An vero etiam tunc, (d) cum tres, quæ ab Arabibus colebantur, Deas, Allatam, Alozam & Manatam *speciosas esse excelsasque puellas, quarum intercessio speranda sit*, dixerat, gratiam inire apud Idololatras voluerit, an vero oscitanti in recitanda illa Surata & quid loqueretur, non cogitanti ea verba exciderint, nescio. At certe hunc errorem suum ea ratione correxit, quæ & in Deum verosque ejus Prophetas valde injuria, & omnem simul Mohammedis dictatis fidem abrogare apta nata est. A Satana quippe sibi illa Verba inspirata fuisse profitetur Impostor, neque id mirum esse, siquidem omnibus Prophetis id usu venerit, ut cum legerent, aut recitarent Verba Dei, Satanas in ea Lectione errorem aliquem iis injecerit. (e) Quæ si vera sunt, quis definiet, an non alias etiam in recitandis Suratis nonnulla a Satana inspirata dictis suis interspersrit Mohammed? aut quis ostendet, quomodo ea a θεοπνεύσοις distingui queant?

Sed & idem astutus homo, cum se certis atque minime ambiguis veri Prophetæ notis miraculorum n. perpetrandorum facultate ac Prophetiæ sive futurorum prædicendorum dono destitui non ignoraret, ne defectus iste suæ auctoritati quicquam detraheret, non ad patranda miracula, *verum ad prædicandum* se missum a Deo fuisse, auditoribus suis (f) prudenter inculcavit. Non ignoro Mahommedanos Prophetæ suo, ne Mosi aut Christo inferior hac in re videatur, etiam tribuere miracula. Qui modestiores sunt, teste Abulfarajo (g) ejusmodi miracula *non veluti frequenter facta prodi, sed ut semel patrata recenseri*, neque *multorum testimonio confirmari* agnoscunt. Alii plura enumerant. Nonnulli aliquot Millium decadas: Rectissime omnium, qui 60. Millia recenset, nempe totidem quot sint in Alcorano elegantissime scripto versus sive אית; (h) Hoc enim solum miraculum, modo in scribendo Alcorano non alios se peritiores adjutores habuit, a Mohammede profectum fuisse puto, ad quod unum etiam ipse toties fidenter provocat (i) & modo populares suos, modo dæmonas omnes Alcorano

(c) Ducenti nimirum ac viginti quinque, si Abul Chasemo fidem adscribemus, qui eorum Catalogum contexuit.
(d) Vid. Surat. LIII. v. 19. 20.
(e) Vid. Surata XXII. v. 53. & ad eum versum Commentatores Arabes apud Maraccium.
(f) Surata XXIX. v. 50. & Surata XI. v. 13.
(g) In Pocok. Specim. Hist. Arab. pag. 17, & 190. & 191.
(h) Quæ vox apud Arabas ambigua est, & tam *miraculum*, *signum*, quam *versum* denotat, in qua ambiguitate ipsumet lusisse Mohammedem constat.
(i) Surat. II. v. 23. & alib. plurib. locis.

no aut uni ejus Suratæ ſimile quid ac ſecundum (k) excogitare atque ſcripto conſignare jubet.

Ad alia, qualia Moſen atque Chriſtum perpetraſſe legimus, indubitata ac luce palam inſpectantibus multis edita a ſe miracula tantum abeſt, ut in Alcorano provocare ſuſtinuerit Mohammed, ut potius, quoties aut Judæi aut Arabes ejusmodi ſigna velut divinæ, quam mentiebatur, Legationis certiſſima κριτήρια requirerent, toties ſe patrandorum ſignorum facultate a Deo haud inſtructum eſſe non obſcure confeſſus fuerit. (l) Nam, quod Mohammedani dicunt, in ipſo Alcorano indicia quædam (m) editorum a Propheta ſuo miraculorum deprehendi, nullius plane momenti eſt: Cur enim obſcure potius ad hæc opera ſua mirabilia alludere, quam ad verorum Prophetarum inſtar aperte ad ea provocare voluiſſet Mohammed? Cur, qui in prædicando Alcorano ſuo modum non tenebat, ejusque Libri Excellentiam ſolam ad fidem ſibi faciendam ſufficere clamabat, non alia quoque, ſi quæ talia edidiſſet, mirabilia opera ſua ſummis laudibus extuliſſet, eorumque frequenti commemoratione omnium aures contudiſſet? Admirabilis ille quidem fateor nocturni ſui in cœlum itineris (n) diſertis verbis mentionem facit Surata XVII. אלאסרי v. 1. Verum ejus Hiſtoriæ veritas unius narrantis Mohammedis teſtimonio nititur, neque enim teſtes allegat, qui in Cœlum aſcendentem viderint.

Quod de miraculis, idem de Prophetiæ dono affirmare licet, Mohammedem id ſibi in Alcorano nullibi arrogaſſe aut vindicaſſe, imo de rebus arcanis aut futuris interrogatum a Sociis, earum notitiam ſibi minime conceſſam, ſeque & *quid de ſe & quid de illis futurum eſſet*, ignorare profeſſum fuiſſe. (o) Quæ de propero ac celeri rei Moslemicæ incremento Prophetam ſuum in Alcorano vaticinatum fuiſſe conten-

(k) Quod tamen ſe facile præſtare poſſe adverſarii ejus profitebantur vid. Surat. VIII. v. 30.

(l) Vid. præter alia multa loca Surat. XI. v. 13. IV. v. 152. VI. v. 7. 8. 34. 36. 109. VII. 202.

(m) Ad ſingula loca reſpondet prolixe Maraccius in Prodromo ad Refut. Alcorani, qui licet bonam cauſam non optime ſemper agat, tamen quæ ab eo dicuntur, evertendo mendacio ſufficere poſſunt.

(n) Legat, qui volet, ejus hiſtoriam apud *Gagnier vie de Mahomet Livre II. chap. I. & ſuiv.* & id vere contigiſſe credat, ſi poteſt. Idem dico de Miraculo Lunæ ſciſſæ, vid. de eo Gagnier Liv. I. cap. 19 ad quod in Surata LIV. alludi volunt Mohammedani nonnulli, aliis tn. id negantibus, ut videre eſt in Beidavio & Zamachſchario Interpretibus Alcorani.

(o) Vid. Surat. XLVI. v. 9. & ſatis prolixa in eum verſum gloſſa Zamachſcharii apud Maraccium in Prodromo.

tendunt quidam Mohammedanorum, ejusmodi sunt, ut eâ non tam Spiritus quo se agi sentiret Prophetici, quam vero ejus, quod jam tum animo conceperat, imo quòd prospere hactenus succesſerat, Religionis suæ armis ac vi bellica propagandæ & per orbem circumferendæ Propositi fiducia prædixisse videatur. Una supereſt rei futuræ prædictio, (p) in qua serio triumphant Zamachscharius & Giannabius, atque ea sola veritatem Prophetiæ Mohammedis evidenter comprobari jactant: Sed eorum jactantiam satis retudit Maraccius in Prodromo & notis ad hunc locum; Quem cur parum solidis ac firmis argumentis egisse dicat Cl. Gagnierius, (q) non intelligo. Quid enim, si incertum est, quando recitata fuerit hæc Surata, si nondum consentire potuerunt Interpretes Alcorani, de qua Romanorum cum Persis pugna, quo loco, quo tempore commissa hic agatur, si, teste ipso Zamachschario, ob varietatem lectionis non satis constat, an Romanorum, an vero Persarum præsens clades, futura victoria hic indicetur aut prænuntietur, quomodo probabunt Mohammedani, intra decimum ab incerto termino annum, post nescio quam, & ubi commissam pugnam & Romanorum an Persarum cladem, per nescio quam, incertum an Romanorum an Persarum, victoriam Prophetiam istam impletam fuisse? & si vel maxime constaret, de qua pugna Persarum cum Romanis & horum clade hic agatur, quo haud suspecto fide dignorum hominum testimonio comprobabitur, intra decimum ab ea clade annum Romanos vicissim insignem aliquam in Persas victoriam reportasse? Denique non video, quomodo hæc Prophetia in prælio Bedrensi, quod Gelaloddino cum aliis nonnullis, aut in pugna Hadibiæ, quod Zamachschario placuit, impleta fuerit, cum tamen in ambobus istis præliis non Romani cum Persis, sed Mohammed & Sectatores ejus cum hostibus suis Arabibus Idololatris conflixerint. Sed plura non addo. Ex istis, quæ dixi, satis liquere arbitror, Mohammedem non veri nominis Prophetam, sed & fanaticum forsan hominem fuisse, multo tamen potiori jure versutum & ambitioni ac voluptati deditum Impostorem dici posse.

Pergo ad alteram, quam mihi proponis, Quæstionem, *An non ex ipso Alcorano manifestum sit, Mohammedem more Incredulis recepto dog-*

(p) Surat. XXX. v. 1. & seqq. ubi hæc leguntur Verba, *Victi sunt Romani* (a Persis scil.) *in vicina terra, & ipsi postquam victi sunt, vincent* (vicissim Persas) *intra aliquot annos*, vox בִּצְעַ quæ hic adhibetur, breve sed incertum temporis spatium, trium nimirum ad novem aut decem usque annorum intervallum denotat.

(q) Vie de Mahomet Liv. I. cap. XII.

mata creditu dignissima rejecisse, contra vero sententiis subscripsisse, quæ cum veritate & evidentia dogmatum Religionis christianæ, quæ aspernatus est, nulla ratione conferri possint?

De ea quid censeam, paucis exponam & I. quidem non diffitebor, Mohammedem præterquam quod Christum a Judæis crucifixum fuisse infitiatus est, vix alia christianæ Religionis dogmata disertis verbis rejeciſſe, quam in quibus aliquid difficultatis ineſſe ne ipſi quidem Chriſtiani negant, dogma nimirum de S. S. Trinitate æterna generatione, & Incarnatione Filii Dei.

II. Obſervo Mohammedem Chriſtianorum de iſtis dogmatis mentem, aut qua erat imperitia & craſſa Evangelii ignorantia, nunquam intellexiſſe atque animo comprehendere potuiſſe, aut, qua erat improbitate, ſcientem volentemque alienam ipſis ab eorum & plane abſurdam ſententiam tribuiſſe, ut haberet, quod impugnaret. Quis enim unquam Chriſtianorum ſtatuit, *Deum eſſe tertium trium* i. e. præter Deum duos adhuc alios eſſe, adeoque *tres* Deos, aut quis Deum cum Deipara Virgine Maria veluti Uxore ſua, & utriusque filio Chriſto tres eſſe Deos iſtos & Chriſtianorum Trinitatem conſtituere affirmavit? Atqui hanc ſententiam Chriſtianis affingit, & deinde rejicit in Alcorano Impoſtor Surat. IV. v. 169. V. v. 82. & 125.

III. Chriſtianorum de S. S. Trinitate, generatione & Incarnatione Filii Dei dogma, ſi quidem recte & ex eorum mente exponatur, merito creditu digniſſimum appellari a Te cenſeo, cum in Scripturis θεοπνεύστοις & mentiri neſciis diſertis verbis revelatum legatur, & ſanæ rationi atque evidentibus ejus dictatis neutiquam repugnet, licet cujusmodi ſit illa trium, quas vocamus, Perſonarum in una atque infinita Divina natura ſive eſſentia diſtinctio, quomodo Filius ex Patre emanaverit, aut ab æterno genitus fuerit, & qua ratione divina natura humanam in unitatem perſonæ aſſumſerit, præciſe definire nequeamus.

At ſi IV. in hoc Chriſtianorum dogmate aliquid ſupereſt myſterii, quod non penitus capimus, neque unquam forſan, niſi cum infinitam Dei naturam finita noſtra & arctis limitibus incluſa mente integram comprehenderimus, plane percipimus: in Mohammedis contra Alcorano plurima deprehendi non myſteria, ſed aperte cum primis Religionis Naturalis principiis & ſana morum doctrina pugnantia ſcita, ne plura colligam, vel ex iis quæ ad priorem quæſtionem reſpondi, ſatis liquere arbitror; Quid enim? Chriſtianorum de S. S. Trinitate dogma concoquere non potuit Impoſtor, at Deum Sanctiſſimum impia

pia multa atque impura præcipiéntem laudantemve introducere sustinuit? Vim conscientiis inferendam, veram Religionem armis propagandam & invitis obtrudendam, in ea lege, quæ Evangelii veluti complementum atque perfectio esset; Divortiorum Licentiam & Polygamiam iterum in usum revocandam; Paradisum deliciarum & voluptatum carnis fidelibus veluti pietatis præmium proponendum; denique post rationalem & spiritualem cultum in Evangelio institutum atque præscriptum, externum & multis corporis exercitationibus parum proficuis operosum denuo restituendum, atque sollicitas illas carnis ablutiones, corporisque mundationes, varios orantium gestus, & incurvationes, superstitiosam tandem & ab Idololatris mutuo acceptam ædis Meccanæ visitationem & ridiculam in circuitione ejus ædis properationem, cursum, lapillorumque jactum & similes nugas ad essentiam Religionis pertinere ejusque (r) fundamentum constituere, hæc, inquam, & alia multa non minus, si non magis absurda credere potuit.

Ita Celeberrimus Grynæus.

FINIS.

(r) De quinque fundamentis fidei Islamicæ videatur Abulpharius & ad Eum notæ Pocokii in specimine Historiæ Arabum pag. 29. 30. 300. & seqq.

MEDITATIONIS DE CAUSIS MAGIS MAGISQUE INVALESCENTIS INCREDULITATIS, ET MEDELA HUIC MALO ADHIBENDA.

PARS IV.

Sect. I.

Nexus cum antecedentibus, & scopus hujus dissertationis.

INter alias, easque graves causas magis magisque invalescentis incredulitatis, in superioribus retulimus studium *inclarescendi*, *ambitionem* inprimis, vitium, quod in eos potissimum cadit, qui literis varii generis sunt instructi, aut saltem eruditionis vana opinione sunt inflati. Diximus inter alia ex hoc quam maxime patere vitio hoc laborare quosdam Incredulos, quod opiniones sæpe ineptissimas, & evidentia cum propositionibus, quas alto supercilio contemnunt, nullo modo conferendas, acerrime tamen defendant; Illustravimus hanc nostram assertionem, *Judæorum* tempore Christi viventium, *Hæreticorum* quorundam ævi apostolici, *Philosophorum platonico-pythagoricorum* primis seculis Ecclesiam Christi infestantium, sanctissimaque Religionis christianæ capita vellicantium, *Mubamedis* denique, vaferrimi Impostoris, Exemplis. Jam Ordo poscit, ut ad recentiora deveniamus tempora, atque aliorum Exemplorum inductione, thesin nostram confirmemus; facilius enim ita Auditores nostros de hac veritate persuasum iri confidimus, quam si nudis characteribus vitii hujus turpitudinem & gravitatem essemus delineaturi. Atque hic quidem initium faciemus a *Spinoza*, ejusque monstroso Systemate, quod a quibusdam male-

malesanis hominibus post excessum miseri hominis fuit defensitatum. Haud ignoramus equidem fuisse Viros Doctos, qui existimarint & adhuc existiment, plures inter Veteres Orientis & Græciæ Philosophos hoc ipsum Systema defendisse. Ita ὁ μακαριτης *Buddeus* scripsit dissert: de *Spinozismo* ante *Spinozam*. *Baylius* voce *Xenophanes* idem tentavit. *Cabbalistæ* a multis hujus erroris postulati sunt. *Stoicos* data opera huic subscripsisse sententiæ plures defenderunt. Hæc quidem non ignoro: at locus hic non est de hisce disceptandi; alibi a nobis pluribus est hæc controversia excussa. Perinde jam nobis quidem est utrum error ille antiquus sit nec ne. Agimus de erroris ipsius *futilitate* & *gravitate*, non vero de ipsius *antiquitate* & *origine*. Hoc certum, neminem ex Veteribus, si quos huic errori addictos fuisse contendere quis velit, in formam alicujus Systematis redegisse monstrosam opinionem; sed *Spinozam* demum infelici ausu hoc tentasse ita quidem, ut mathematica methodo argumentum hoc tractare aggressus fuerit. Quo cum successu dies docuit. Quicquid sit de eo, hoc certum, nullum magis *ineptum*, *monstrosum* & *Religioni magis inimicum Systema* excogitari posse, nullum quod adeo *crassis absurdisque consectariis* scateat hoc ipso, mirumque adeo hominem haud indoctum inque philosophicis disciplinis non mediocriter versatum, tam portentosæ opinioni album potuisse adjicere calculum; magis mirum post eum plures, cum fundamenta omnia hujus systematis ab acutis Viris fuissent concussa, potuisse tamen id defendere: inter eos erat etiam *Comes Boullainviller* inter recentissimos vero *Edelmannus*, de quo mihi alibi dicendi occasio erit. At dudum est notum illud *Ciceronis*, nihil esse nempe tam ineptum, atque tam absurdum, quod non ab aliquo Philosophorum defendatur. Animus autem non est Systema ipsum *Spinozæ* prolixe refutare, aut singillatim singula capita per partes expendere, quod integri voluminis res esset, & quoniam hoc ipsum a pluribus Viris doctis est præstitum: sed breviter tantum, & ad captum Auditorum nostrorum ostendam, quantis illud scateat *contradictionibus*, quamque sit bonæ menti renuntiandum, si quis hoc Systema tueri velit, idque eum in finem duntaxat, ut pateat, Incredulos absurdissima quæque sæpe tueri, certiora vero & longe evidentiora rejicere. *Data opera Systema Spinozæ nuper aggressus est Ill. Baro de Wolf, cujus scriptum evolvere debent illi, qui recte de hoc Systemate judicare volunt.* Potest autem integrum Systema Spinozæ ad tria revocari capita. Primum est: *unica tantum datur Substantia.* Secundum: *totum Universum cum omnibus suis partibus, sive*

sive intellectualibus sive extensis unam illam absolvit substantiam. Tertium: *Hæc una Substantia*, sive quod idem est, *hoc Universum*, *Deus est*, *seu Ens illud quod Deum vocare solemus.*

Secundum Systema Spinozæ nulla existit Substantia, quod Systemati ipsius e diametro oppositum.

II. Ut autem pateat, quam monstrosum sit hoc Systema, quamque multis scateat contradictionibus, in certos quosdam articulos cogitata nostra referemus.

Primus est; *Qui Spinozæ sequuntur opinionem, nonsolum plures, sed ne unam quidem Substantiam admittere possunt, adeoque ne ipse quidem monstrosus Spinozæ Deus existit, quod* ἄτοπον.

Age hoc paucis probemus: Admittit Spinoza duo æterna rerum attributa, nimirum infinitam cogitationem, & infinitam extensionem. Ad infinitam cogitationem pertinent omnia Entia cogitantia, quæ non nisi modi sunt attributi illius cogitantis. Ad infinitam vero extensionem pertinent omnia corpora singularia, cujuscunque tandem sint naturæ, quæ tamen modi duntaxat sunt attributi extensionis. Hæc autem si vera sunt, nonsolum plures substantiæ non dantur, sed ne Una quidem. Omnes nimirum substantiæ cogitantes conficiunt una simul attributum cogitationis; at qualis est natura modorum, talis etiam est natura attributorum; at omnes modi duntaxat sunt singulares v. gr. hujus Entis cogitantis angelici vel humani; hi modi sive infiniti, sive finiti dicantur, modi tamen manent. Ex modis autem simul sumtis nulla potest confici substantia. Ergo in Systemate *Spinozæ* nonnisi sunt infiniti modi intellectuales vel cogitantes, nulla vero Substantia cogitans, quod absurdum. Idem dici potest de attributo extensionis: omnia corpora singularia v. gr. aër, ignis, aqua, terra &c. modi sunt infiniti illius attributi extensionis: modi illi attributum extensionis conficientes, manent semper secundum *Spinozam* modi: attributum extensionis non habet substantiam extensam cui inhæreat, quia nonnisi est complexus modorum sub conceptu attributi infiniti extensi consideratorum. Ex quo sequitur, nullam etiam dari substantiam extensam, & per consequens nulla neque intellectualis, neque extensa secundum *Spinozæ* Systema datur substantia, quod non solum absurdum, sed & fundamentali suæ propositioni, qua statuit, nonnisi dari unam substantiam, e diametro oppositum est. Possumus equidem omnes substantias intellectuales pariter & extensas per mentis quandam præcisionem, tanquam unum quoddam, vel unam aliquam substantiam contemplari: at abstracta extra mentem non existere notum est. Cum vero in Systemate *Spinozæ* omnes substantiæ nonnisi modi sint, & tales

les quidem modi, qui non singularibus quibusdam substantiis, (plures enim non admittit) inhæreant, sequitur nonnisi dari infinitos modos sub idea UNIUS consideratos, proprie autem *nullam* dari *Substantiam*, quod ipsum Systema *Spinozæ* evertit.

III. Ex primo hoc Articulo sequitur *Secundus*, non minus ineptus, quam primus, nimirum *modos posse subsistere sine subjecto*. Axioma metaphysicum est, ut omnes norunt, modos non posse subsistere sine subjecto. Ita v. gr. rotunditas non potest subsistere sine corpore rotundo. Quodsi vero Spinozam audiamus, falsum est hoc Axioma. Singulæ enim substantiæ extensæ secundum Spinozam nonnisi sunt congeries modorum extensorum; singulæ substantiæ intelligentes nonnisi sunt modi; nihil extra illos modos dari potest vel concipi; neque modi extensi inhærent substantiis extensis, neque modi cogitantes substantiis cogitantibus, unde necessario sequitur secundum hypothesin *Spinozæ*, modos posse subsistere sine subjecto, quod Axiomati evidentissimo est contrarium, adeoque absurdum.

Modi possunt subsistere sine subjecto secundum Spinozam, quod absurdissimum.

IV. Sequitur Tertius Articulis: Axioma metaphysicum & Logicum est: *Idem non posse simul subsistere & non subsistere vel esse & non esse*. Huic Axiomati innituntur omnia nostra ratiocinia, & artis cogitandi fundamenta. Hoc autem per Systema Spinozæ tollitur; unde illud necessario falsum esse constat. Nimirum hoc axioma verum est nonsolum respectu habito ad rerum existentiam, & essentiam, sed & affectionum omnium cum menti, tum corpori inhærentium. Sic in proverbio est: *Nemo potest simul flare & sorbere*. At posita veritate hujus Systematis, contraria omnia dicenda sunt. Una illa substantia quiescit & movetur simul; sentit & non sentit; affirmat & negat; simul dolet & gaudet; rotunda & quadrata simul est; detestatur & laudat; dormit & non dormit; Mathesin ignorat & simul subtilissime γεωμετρει &c. &c. Quis autem mortalium hoc non dicam cum aliqua veri specie adserere sed vel concipere duntaxat potest? Possunt quidem corpora successive mille admittere figuras; at ut figuræ plane oppositæ, v. gr. rotundæ & quadratæ, uni eidemque corpori eodemque temporis articulo insint, fieri per rerum naturam non potest. Pariter admittit mens nostra plures ideas, vel cogitationes; at ut simul cogitet, & non cogitet, dubitet & non dubitet, affirmet & neget, fieri non potest. Cum vero Deus ille *Spinozæ*, vel una illa substantia, nihil proprie sit præter infinitarum substantiarum, quas modos vocamus, congeries, modi autem in toto Universo singulis momentis e diame-

Secundum Spinozam idem potest esse simul & non esse, quod ἄλογον.

tro oppositi existant, necesse est, unam illam substantiam *Spinozæ*, simul esse & non esse, moveri & non moveri, dormire & non dormire &c. quod absurdum & ineptum est.

Secundum Spinozæ Systema nil potuit oriri, atque adeo si valeret, nil existeret, quod absurdum.

V. Quartus Articulus: *Si Spinozæ opinio vera est, tum sequitur nihil posse oriri; seu quod idem est, res sive intellectuales, sive extensas suam debere existentiam τῷ Nihilo, quod est absurdum.* In antecedentibus audivimus omnes creaturas, sive intellectuales sive extensas nonnisi esse modos in Systemate *Spinozæ*. Atqui modi omnes secundum Systema *Spinozæ* existentiam sibi dare non possunt. Unde sequitur omnes modos intellectuales & extensos simul sumtos existentiam sibimetipsis dare non posse. Cum autem præter substantias illas singulares, quæ nonnisi modi sunt in Systemate *Spinozæ*, existat nihil; sequitur rerum existentium plane nullam dari causam, vel quod idem est, res actu jam existentes a τῷ Nihilo esse ortas, quod absurdissimum est. Neque dicat quis, substantiam Spinozæ esse æternam: probe enim tenendum hanc substantiam Spinozæ non esse ab omnibus illis rebus, quæ mundum conficiunt, distinctam: qualis ergo ratio est omnium rerum singularium, talis etiam est totius. Cum autem singulæ nonnisi sint modi, sequitur omnes simul sumtas modos esse. Et quoniam nullus modus sibi existentiam dare potest, sequitur omnes hac facultate destitui, atque adeo rerum existentium nullam dari causam, quod ἄτοπον est. Potest idem alia etiam ratione probari, nimirum ita: Quicquid existit, aut habet causam existentiæ suæ in se, aut in alio, tertium non datur: corpora omnia ex mente *Spinozæ* nonnisi sunt modi, neque adeo causam existentiæ in se ipsis habent. Idem de mentibus omnibus dictum velim. Modi simul juncti non conficiunt substantiam per se existentem; Ergo ab alia substantia causam existentiæ suæ habeant necesse est. At nulla datur in Systemate *Spinozæ* distincta a singularibus illis substantiis, quas modos appellat, causa; Ergo nihil plane est, quod substantiis illis principium existentiæ dare possit. Cum vero existant tales substantiæ, sine ulla existitisse eas causa dicendum, quod repugnat. Quod si quis dicat, ex mente Spinozæ omnia infinitis modis ex infinita Dei natura fluere, adeoque plane omnia esse æterna & necessaria, ex illo quæsiverim quid per voces, *omnia*, *infinitam naturam* & *Deum* intelligat. (*) In Systemate certe *Spinozæ* hæ tres voces

(*) Recte hoc notavit *Eruditissimus Clarkius demonstrat. de verit. Relig. Nat. & Revel. Tom. I.* p. m. 49 dicens: Spinoza le plus celebre defenseur de l'Athéisme de notre tems (qui enseigne qu'il n'y a point de difference des substances, mais que le monde

ces unum idemque significant. Quodsi vero omnia i. e. singulæ illæ substantiæ, ex quibus universum constat, meri sint modi, non substantiæ, modi vero substantiis existentiam dare non possint, sequitur nihil esse, quod res, secundum *Spinozæ* sententiam, produxerit. Aut ergo negandum existere creaturas, aut si quæ existunt, ortæ sunt a Nihilo: prius cum concedat Spinoza; posterius erit tenendum, quod tamen ineptum & impossibile plane est.

Secundum Spinozæ sententiam aut nullus datur in rerum natura motus, aut si quis est, uti est, 7ω Nihilo est tribuendus.

VI. Articulus Quintus: Quod si materiam de origine motus consideremus, patebit denuo, quantis scateat Systema *Spinozæ* difficultatibus. Aut enim asserere debet *nullum dari motum* aut si quis est in rerum natura, *eum a Nihilo oriri*, quorum utrumque dicere absonum est. Probamus hoc ita: secundum Spinozam & omnes Atheos, quantum novi * Motus ad essentiam corporum non necessario pertinet, quia dantur etiam corpora quiescentia. Si motus vero non necessario pertinet ad essentiam corporis, & tamen dantur corpora, quæ moventur, uti id non negat Spinoza, causa aliqua hujus effectus vel motus est reddenda. Attributum extensionis nonnisi constat infinitarum substantiarum singularium complexu. Qualis autem omnium, talis etiam singularum est ratio. At cum ad essentiam hujus vel illius corporis non pertineat motus, quædam tamen moveantur, & mota sint, & præter singulares illas substantias extensas nullæ sint, sequitur necessario motum secundum *Spinozam*, aut dari nullo modo posse, aut si talis datur, a nihilo originem trahere, quorum utrumque ineptum est dicere. Forte inquiet quis, alterum attributum nimirum cogita-

 tionis,

monde materiel dans son Tout, & dans chacune de ses parties est un Etre qui existe par lui même, & qu'il n'y a point d'autre Dieu que l'univers) Spinoza dise, pour donner le change sur les nombreuses absurdités que son opinion entraîne après elle, s'enveloppe dans la suite de son discours dans l'obscurité de ses expressions ambigues à dessein d'eluder les argumens, par lesquels il a prévû, que son Système seroit attaqué. Car après avoir avancé sans detour que toute substance existe necessairement, on diroit, qu'il a peur d'en avoir trop dit, & que sous prétexte de s'expliquer, il se retracte; car il ajoûte, que la raison pour laquelle chaque chose existe necessairement, & n'a pû être à aucun égard autre qu'elle est maintenant, c'est, parce que chaque chose decoule necessairement de la Nature divine. Le Lecteur qui n'est pas sur ses gardes, pourroit peut-être s'imaginer, qu'il entend par-là, que si les choses sont necessairement, c'est que nous les voyons aujourd'hui, c'est parce qu'une sagesse & une bonté infinie n'a pû les faire, que dans l'ordre le plus convenable & le plus sage. Mais ce n'est là nullement la pensée de Spinoza.

(*) Conatum quendam ad motum materiæ omni inesse contendit Tolandus in Epistolis ad SERENAM, confutatus autem ob id ab Erudit. Clarkio Demonstrat. Exist. Dei &c. Tom. I.

tionis, quod ponit *Spinoza*, corporibus initium motus dedit. At hoc in Syſtemate *Spinozæ* locum habere non poteſt. Nota eſt hujus hominis ſententia non ſine ſpecie ab ipſo & diſcipulis ventilata, quæ ita ſonat; res quæ ſecum invicem nihil commune habent in ſe invicem agere non poſſunt; at nihil habent ſubſtantiæ cogitantes cum corpore commune. Ergo. Quod ſi igitur ad eſſentiam corporum motus non pertinet, intellectuales autem ſubſtantiæ prorſus nullum cum materia nexum habent, adeoque materiam movere etiam non poſſunt, neceſſario ſequitur rurſus, aut motum non dari, aut ſi detur, quod concedit *Spinoza* τῷ Nihilo eſſe adſcribendum, quod plane abſurdum eſt.

Innumera abſurda, & plane ridicula, imo deteſtanda, ex hypotheſi Spinozæ, neceſſario & per evidentes conſequentiæ leges oriuntur, inprimis ſi ad cultum Numinis attendamus.

VII. Sextus Articulus: Denique ut multa alia ſilentio tranſeamus quam monſtroſum & ineptum ſit hoc Syſtema maxime patet, ſi ad cultum Numinis & Religionem animum convertimus. Deo ſuo cultum competere contendit *Spinoza* hinc inde in ſua Ethica. Cum vero Sole meridiano clarius ſit, totum Univerſum cum ſingulis ſubſtantiis & accidentibus, Deum illum *Spinozæ* conficere, quilibet facile vel me tacente, qualis illius cultus ratio futura ſit, colligere poterit. Nimirum, Aër, Ignis, Terra, Plantæ, Animantia, Inſecta, &c. non minus ad eſſentiam Dei illius pertinent, quam Sol, Luna, cæteraque vaſtiſſima corpora in cœlo natantia. Deus iſte hic movetur, alibi quieſcit, dormit & vigilat, edit & bibit, editur vero etiam & bibitur, verbo Proteus eſt, varias induens formas. Cauſa non eſt, poſita veritate hujus Syſtematis, cur magis Solem & Lunam, quam Feles & Canes colamus. Homo nequiſſimus inſuper & ſtultiſſimus, non minus pars eſt Dei, quam Sapientiſſimus & optimus. Hic Doctorem umbraticum agit ille Deus, alibi rectius ſapit. Idem fortuito ſimul & neceſſario omnia orta credit. Si hoc Syſtema admittamus, nonſolum in omnibus hortis creſcunt Numina, ſed & quicquid vides, quicquid audis, quicquid guſtas, quicquid tangis, Deus eſt; neque magis cauſæ eſt, cur chartam hanc, cui characteres quosdam illino, vel pulpitum, quod chartam ſuſtinet, quam Aſtra pro Diis habeam. Imo cum ſibi quisque proximus ſit, & amore quodam noſtri ipſorum trahamur omnes, nihil impedit, quominus me inter partem principem hujus Numinis referam. Creſcit difficultas & monſtroſa magis evadit, ſi nobis ob oculos ponamus innumeras viciſſitudines & mutationes, quibus obnoxiæ ſunt creaturæ, cum vita ſenſuque inſtructæ, tum iis facultatibus deſtitutæ. Hic Deus ille læditur, verberatur, lethaliter decumbit, flammis extinguitur; alibi ſaltat, triumphat, canit. Hic ludit

par

par impar, equitat in arundine longa & postello admovet mures: illic γεωμετρει, oratorem agit & præmordet ungues &c. &c. nam tædet ineptiarum. Quis autem sanæ mentis homo, tam multiformem & imperfectum Deum coli debere contendet? Quis sine horrore de tam blasphema sententia cogitare, nedum ut illi cum aliqua specie veri subscribere possit? hinc mirum est nonsolum *Spinozam*, sed & alios post ipsum monstrosam sententiam tueri potuisse. Albertus Radicati Comes de Passeran, qui ineptissima illa opinione imbutus fuerat, in ultimo morbo, cui succubuit, fassus fuit, fieri non posse, ut res tantis imperfectionibus, mutationibus & vicissitudinibus obnoxia, pars Dei esse possit. Testimonium adduximus in Dissert. prima de recent. quorundam Eruditorum præposteris adversus Incredulos disputandi Methodis. Jure meritoque huic Systemati applicamus Verba Ciceronis de N. D. Lib. I. Sect. XVI, quibus ipse Zenonis hypothesin oppugnaturus, usus est, dicens:

Exposui vere, inquit, non Philosophorum judicia, sed delirantium somnia; nec enim multo absurdiora sunt ea, quæ Poëtarum vocibus fusa ipsa suavitate nocuerunt, qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt Deos; feceruntque, ut eorum bella, pugnas, prælia, funera, videremus; odia præterea, dissidia, discordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortalesque ex Immortali procreatos. Nec est quod quis dicat, nos per consequentiarum ambages, & μαλα ῥητορικως adversus *Spinozam* disputare; consectaria enim hæc omnia ex ipsa indole & natura Systematis necessario sequuntur, quod facile advertent ij, quibus Systema hoc rite est perspectum. Haud ignoramus equidem, necesse esse, ut illi, qui ad universum Systema *Spinozæ* evertendum animum adjungunt, ad singulas illius definitiones, & ad eam inprimis, quam de natura Substantiæ dederat, rite attendant. Ut vero ostendatur, quam absurdum & monstrosum sit ipsum Systema in se spectatum, sufficit, si fundamentales illæ propositiones, quibus innititur, perspicue explicentur & tradantur, atque nonsolum ostendatur, quam parum nonsolum inter se cohæreant, sed & quam manifeste cum aliis veritatibus, iisque certissimis, & evidentissimis pugnent. Si *Spinoza*, perspicuis verbis, missis omnibus æquivocationibus & verborum strophis, aperte & candide, suam sententiam exposuisset, eamque argumentis probare voluisset, persuasus sum, neminem sanæ mentis, artisque ratiocinandi mediocriter peritum, calculo suo monstrosam sen-

tentiam fuisse comprobaturum, Cum vero astutus homo verbis luderet, & mathematica veste indueret fœtum æternis tenebris dignum, multi cæca admiratione abrepti, aliquid solidi huic labori inesse crediderunt. At præterquam quod & ipsi Mathematici, ubi de aliis disciplinis agunt, non minus quam cæteri errare possint, notum est, certitudinem & evidentiam propositionis alicujus, aut sententiæ, non a terminis i. e. definitionibus, axiomatibus, &c. sed ab ipsarum rerum natura esse suspensam. Quicquid autem de eo sit, satis patet, Systema hoc per se spectatum innumeris ineptiis & contradictionibus scatere, atque nulla ratione cum evidentia Systematis, quod Christiani, cæterique omnes, qui Religionis quodam amore tacti sunt, profitentur, conferri posse. Posita enim existentia Numinis optimi, sapientissimi, potentissimi, & ab universo hoc prorsus distincti, causa existentiæ & essentiæ omnium rerum patet; manifestum, ad certum, nobilissimumque finem omnia esse facta; clarum, unde extensæ pariter & intellectuales substantiæ originem traxerint; & cur Idem his non aliis facultatibus nobilissimas substantias instruxerit. Omnes simul, qui oculos claudere nolunt, vident, quo fundamento, posita Numinis existentia, omnis Religio, cultus Ejus, & legum reverentia nitatur. Nemo non qui rei cuique æquum pretium statuit, tanti Numinis virtutes admirabitur, præsidium ejus rebus in arctis quæret, convenienter ipsius voluntati vitam moresque suos componet, firmissimeque credet, Naturam tam excellentem, sapientem ac benignam, cuncta sua Decreta ad generis humani usum revocaturam, ut alia plurima, quæ per legitimas consequentiæ leges, ex propositionibus generalibus Theologiæ Naturalis & Revelatæ facile erui possunt, silentio transeam. Si vero ad *Spinozæ* Systema oculos mentis convertimus, tenebris omnia sunt repleta: Causam nullam dare possumus cur creaturæ existant; cur his non aliis sint præditæ facultatibus; nullum deprehendere possumus rerum initium. Dicendum igitur talia Entia existere quia existunt; Causas existentiæ eorum, neque in natura horum Entium, neque in alia causa æterna ab his Entibus distincta quæri, & reperiri posse: dicendum talia existere quia omnia hæc infinitis modis ab æterno fuerunt, & per nescio quam cæcam Ειμαρμενην orta sunt: hinc ait *Spinoza* Propos. XVI. *ex necessitate divinæ Naturæ infinita infinitis modis (hoc est omnia quæ sub intellectum divinum cadere possunt) sequi debent.* Fines omnes ex Universo sunt proscribendi, quod & totidem iterum verbis affirmavit *Spinoza:* ita Propos. XXIX. act. *Omnia ex necessitate divinæ*

divinæ naturæ determinata sunt, non tantum ad existendum, sed etiam ad certo modo existendum & operandum, nullumque datur contingens: Coroll. ad propos. XXXII. *Deus non operatur ex libertate voluntatis* In demonstrat. propos. XXXIII. ait: *Si res alterius naturæ potuissent esse, vel alio modo ad operandum determinari, ut naturæ ordo alius esset; ergo Dei etiam natura alia posset esse, quam jam est.* In appendice ad prop. XXXVI. ait: *Natura nullum finem sibi præfixum habet & omnes causæ finales nil nisi humana sunt figmenta.* Hinc etiam ibidem *oculos ad videndum, dentes ad masticandum, herbas & animantia ad alimentum, solem ad illuminandum, mare ad alendum pisces facta esse, inficiatur.* Quicquid alii de nexu sapienti rerum & eleganti partium Symmetria dicunt, mera verba sunt, si *Spinozam* audias & sequaces. In artificialibus laudem meretur artifex ingenii sagacitate ad saluberrimos usus conficiens machinam, quoniam omnes non plane stupidi, artis certe periti, vident, quæ sit partium omnium structura, quis finis, nexus, & ex toto opere, singularumque partium functionibus, resultans utilitas. Hæc omnia arte, & industria humana affabre facta, & digesta, mera tamen crepundia sunt, collata cum plantæ, Animantis, vel Insecti etiam minimi structura. In his satis exquirendis & celebrandis nullus sibi Anatomicus vel Botanicus satisfacit, nec satisfaciet per vitam unquam: Si vero *Spinozam* audias nullus in rerum natura ordo, nexus nullus, contingens vel liberum nullum datur. Nec minus necesse fuerat *Spinozam Hagæ-Comitum mori*, quam necesse est, triangulum tres habere angulos & tria latera. Taceo plura alia absurda & impia, quæ necessario ex natura hujus Systematis sequuntur. Rebus autem sic comparatis, manifestissimum est, Religionem omnem & virtutem proscribi. Ubi enim nullum est Numen ab aspectabili rerum Universitate diversum, ne umbra quidem Religionis locum habere potest.

VII. Qui ea quæ hactenus de Systemate *Spinozæ* breviter, & ad captum ni fallor Auditorum nostrorum diximus, rite perpenderit, mirabitur, qua ratione homo sanæ mentis, & disciplinis insuper philosophicis excultus, monstrosæ adeo opinioni album calculum adjicere potuerit. Quæritur autem annon ipse *Spinoza* Systematis sui vanitatem perspexerit, atque contra conscientiæ dictamen singulari nempe consequendi nominis famam abreptus studio, ejus susceperit patrocinium. Respondemus sæpe difficillimum esse judicare, utrum quis serio & ex animi sententia huic vel illi hypothesi addictus sit nec ne: varia enim sunt hominum ingenia, & miras habet mens humana plicas. Hoc ex diver-

Spinoza Systematis hujus futilitatem probe perspectam habuisse videtur.

diversis Hypothesibus Philosophicis & Theologicis, quæ passim inter Eruditos locum habent, ac acriter sæpe defenduntur, mutuisque accusationibus & apologiis, patet. Hoc certum, & experientia confirmatum est, sæpe obtingere, quæ ingenii humani est imbecillitas, ut viri non indocti errante conscientia delusi, vel per longum tempus, vel etiam ad finem vitæ crassos errores retinere & defendere possint. Hoc autem tum maxime evenire solet, si Systema ipsum non exiguam veri speciem habet, multorumque ingenio valentium, & celebrium virorum auctoritate confirmatum est; vel si adeo subtile sit, ut acuti etiam ingenii Viri facile decipi possint. Quemadmodum de *Bredenburgio* narratur, Eum nempe Ethicam *Spinozæ* examinaturum & confutaturum, in tantas conjectum fuisse angustias, ut qua ratione animum adversus tot difficultates agmine veluti facto ingruentes, obfirmaret, vix perspexerit. Ita novimus ex. gr. Viros ingenio præstantissimos & acutissimos, argumentum *Cartesii* pro existentia Dei ex idea Dei, & a priori, uti loquuntur petitum, pro *perfecta* habuisse *Demonstratione*, monitosque licet, vim rationum in contrarium allatarum, sentire tamen non potuisse. Ex quibus constat, male illos agere, qui nullis aliis characteribus vanitatis & mali animi deprensis, statim clamant, hunc vel illum dicis causa huic vel illi sententiæ subscribere, melioraque persuasum, ob has vel illas rationes, erroneis opinionibus nuntium mittere nolle. Hoc tamen non obstante plurima adsunt indicia, quæ probare videntur, *Spinozam* omnes consequentiarum apices & sinus systematis sui probe habuisse perspectos. Primo enim constat inter omnes Eruditos, quod vivus *Ethicam* suam prelo tradere noluerit, sed quod hinc inde in Epistolis ad Amicos datis strictiuras quasdam sententiæ suæ in medium protulerit, metuens sine dubio, ne pestilenti opinione detecta, & in apricum producta, nociva sibi concitaret pericula: unde etiam a Celeberrimo Heidelbergensium Theologo *Job. Ludovico Fabricio* honestissimis conditionibus oblatam Philosophiæ Professoris spartam, accipere noluit, causatus inter alia, nescire se quousque illa liberaliter oblata philosophandi libertas sese extenderet. Accedit, quod indiciis haud contemnendis probatum sit, in *Manuscripto Ethicæ* suæ, suadente ita amico ipsius *Ludovico Meyero*, loco vocis *Naturæ*, Dei nomen fuisse subjectum, nimirum eo fine dubio fine, ne fraus nimis cito detegeretur: nullum enim est dubium, quin ipsi *Meyero* Sententia *Spinozæ* probe fuerit perspecta, atque cognita. Idem suadet quod in Epistola ad *Oldenburgium* data, palam asseruerit, se senten-

tentiam tueri, quæ a cæterorum Christianorum opinione plane abhorreat: cum enim *Oldenburgius* Epist. XX. inter alia hæc dixisset: *Non possum non probare institutum tuum, quo illustrare & mollire te velle significas, quæ in tractatu theologico-politico crucem Lectoribus fixerunt. Ea inprimis esse putem, quæ ambigue ibi tradita videntur de Deo & Natura; quæ duo a te confundi quamplurimi arbitrantur;* ita respondit Spinoza, *Ut mentem Tibi meam aperiam dico, me de Deo & Natura sententiam fovere longe diversam ab ea, quam Neoterici Christiani defendere solent. Deum enim rerum omnium causam* NB. *immanentem, ut ajunt, non vero transeuntem statuo. Omnia inquam in Deo esse & in Deo moveri cum Paulo affirmo & forte etiam cum omnibus antiquis Philosophis, licet alio modo, & auderem etiam dicere cum antiquis omnibus Hebræis, tametsi multis modis adulteratis, conjicere licet.* Ex hisce satis constat, probe perspectum habuisse *Spinozam* quibus obnoxia esset sua sententia consectariis: hinc etiam in Tractatu Theologico-Politico voce יהוה Ens duntaxat necessarium intelligendum esse asseruit. Eum hac in parte secutus est Tolandus, de quo infra plura dicemus; Pantheistas nimirum i. e. Spinozæ Sententiam de una Substantia sequentes, asserit contendere, Mosen huic sententiæ fuisse addictum. Hinc ita loquitur *Orig. Jud.* pag. 157. *Hinc sibi volunt Sacro Sanctum & ineffabile nomen Jehovah astipulari, cum necessariam solummodo existentiam vel illud (quicquid sit) quod per se existit, emphatice significet, eodem plane sensu quo* Ὁ Ὤν *Græcorum mundum incorruptibilem, æternum, & interminabilem plerumque significat.* Nimirum solent homines pestilentissimis & ineptissimis opinionibus addicti, præsidium tamen earum in S. Literis quærere; hinc nonsolum Mosen in suas partes pertrahere voluit *Spinoza*, sed & ipsum Apostolum *Paulum*, qui in Act. Apost. Cap. XVII. v. 28. dixerat: Ἐν αὐτῳ ζωμεν καὶ κινεμεθα καὶ ἐσμεν; quasi vero ut alia multa taceam, tritum non sit, per Hebraismum illud *in ipso per ipsum*, vel *ipsius beneficio*, interpretari; Idem perspicue satis patet ex iis, quæ ante editam Ethicam in Tractatu *Theologico-Politico* de præcipuis Religionis Articulis effutiverat. De miraculis ita sensit, quod nimirum sint eventus necessarii naturæ; horum autem cum causas ignoremus pro extraordinariis nos venditare Dei operationibus i. e. miraculis Ita Cap. VI. citati tractatus statim initio mentem suam ita pandit, dicens: *Sicuti scientiam illam, quæ captum humanum superat, divinam, sic opus, cujus causa vulgo ignoratur, divinum, sive Dei opus vocare consueverunt homines; vulgus enim tum Dei potentiam & providentiam quam clarissime*

constare putat, cum aliquid in natura insolitum, & contra opinionem, quam ex consuetudine de natura habet, contingere videt; præsertim si id in ejus lucrum aut commodum cesserit, & ex nulla re clarius existentiam Dei probari posse existumat, quam ex eo, quod natura ut putant, suum ordinem non servet; & propterea illos omnes Deum aut saltem Dei Providentiam tollere putant, qui res & miracula per causas naturales explicant, aut intelligere student: & paulo infra: *Vulgus itaque opera naturæ insolita vocat miracula, sive Dei opera, & partim ex devotione, partim ex cupiditate adversandi iis, qui scientias naturales colunt, rerum causas naturales nescire cupit, & ea tantum audire gestit, quæ maxime ignorat, quæque propterea admiratur.* Cumque Epist. XXII. H. *Oldenburgius* ex eo quæsivisset, quo sensu miracula & ignorantiam pro synonimis & æquipollentibus habeat, cum *Lazari* a mortuis resuscitatio, & Jesu Christi a morte resurrectio, omnem naturæ vim superent & soli potentiæ divinæ competant. Respondit *Epist.* seq. ita: *Miracula, & ignorantiam pro æquipollentibus sumsi, quia ii qui Dei existentiam, & Religionem, miraculis adstruere conantur, rem obscuram per aliam magis obscuram, & quam maxime ignorant, ostendere volunt, atque ita novum argumentandi genus adferunt, redigendo scilicet non ad impossibile uti ajunt, sed ad ignorantiam.* Non est animus vanitatem hujus Systematis ostendere hic loci, quandoquidem id abunde a Viris doctis est demonstratum. Unum tantum aut alterum notabo, quod ostendat, hominem data opera in re gravissima lusisse, atque ineptissimam opinionem prætulisse sententiæ certissimæ. Ita scientiam, quæ captum humanum superat, divinam vocari a Christianis ridicule asserit; si enim omnis cognitio rerum, quarum naturam perfecte homines cognoscere non possunt, divina est appellanda, omnis fere nostra scientia & Eruditio divina esset vocanda: pellucet etiam hominis hujus intolleranda superbia, dum solus quid divinum sit, se scire existumat. Et quomodo tandem dari potest scientia rerum divinarum, si præter mundum, id est infinitam quandam substantiarum contingentium seriem, existit plane nihil? 2.) Ea quæ de miraculorum natura dicit, mera nituntur petitione principii, i. e. fundamenti loco ponit, unam dari duntaxat in rerum natura substantiam ex qua omnia necessario oriantur. Annon satius fuisset negare, nulla prorsus unquam facta fuisse miracula, quam vero concedere talia quidem contigisse, sed ea nonnisi naturæ necessarios effectus esse, contendere? num ipse tandem ex natura Entis ita necessario agentis, colligere potuit, quid fieri possit & non possit? Et

quo-

quomodo tandem Christus & Apostoli scire poterant hoc vel illo temporis momento naturam necessariam sese ita evoluturam, ut præsentibus spectatoribus persuadere potuerint hoc temporis articulo mirum quid, & insolitum eventurum? Taceo multa alia, quæ dici possent, & ad alias versuti hominis monstrosas opiniones pergo. Epist. XX. postulavit *Oldenburgius*, ut de Jesu Christo Mundi Redemtore, & satisfactione Ejus mentem suam dilucide aperiat: fecit id epistola sequente & quidem ita: *Dico ad salutem non esse omnino necesse, Christum secundum carnem noscere; sed de æterno illo Filio Dei, hoc est æterna Dei sapientia, quæ sese in omnibus rebus & maxime in mente humana & omnium maxime in Christo Jesu manifestavit, longe aliter sentiendum. Nam nemo absque hac ad statum beatitudinis potest pervenire, utpote quæ sola docet quid verum & falsum, bonum & malum sit. Et quia, ut dixi, hæc sapientia per Jesum Christum maxime manifestata fuit, ideo ipsius discipuli eandem, quatenus ab ipso ipsis fuit revelata, prædicaverunt, seque Spiritu illo Christi supra reliquos gloriari posse ostenderunt. Cæterum quod quædam Ecclesiæ his addunt, quod Deus naturam humanam assumserit, monui expresse, me, quid dicant nescire, imo ut verum fatear, non minus absurde mihi loqui videntur, quam si quis mihi diceret, quod circulus naturam quadrati induerit.*

Quid posset tandem esse magis contortum & ineptum, (ut de iis, quæ de conjunctione duarum naturarum garrit, nihil dicam) quam quod hic de Christo nugatur? Non opus esse ait, ut Christum secundum carnem agnoscamus, sed quatenus sit æterna sapientia, NB. in omnibus rebus sese manifestans, i. e. pars mundi, vel attributi infiniti cogitantis. Scilicet nostra scire quam maxime interest, quod per inevitabilem rerum necessitatem duæ particulæ unius substantiæ, nimirum corpus & mens, Christum conficientes, extiterint. Hæc nimirum ad pietatis studium mirum quantum conferunt! Cui non in mentem venit illud Apostoli de Philosophis antiquis dictum in Epist. ad Romanos: φασκοντες εἶναι σοφοι ἐμωρανθησαν? Non minus inepte sentit pariter de morte Christi, ejus resurrectione, & ascensione. Epistola XXIII. ita de resurrectione loquitur: *Christi a morte resurrectio revera spiritualis & solis fidelibus ad eorum captum revelata fuit, nempe quod Christus æternitate donatus fuit, & a mortuis (mortuos hic intelligo eo sensu quo Christus dixit, finite mortuos suos mortuos sepelire) surrexit, simulatque vita, & morte singularis sanctitatis exemplum dedit, & eatenus discipulos e mortuis suscitat, quatenus ipsi hoc vitæ ejus & mortis exemplum*

sequuntur. Nec difficile esset totam Evangelii doctrinam secundum hanc hypothesin explicare. Imo Caput XV. 1. ad Corinthios ex hac sola hypothesi explicari potest, & Pauli argumenta intelligi, cum alias communem hypothesin sequendo infirma appareant, & facili negotio refelli possint, ut jam taceam quod Christiani omnia, quæ Judæi carnaliter, spiritualiter interpretati sunt. Cum vero *Oldenburgius* instaret atque seq. Epistola XXIV. urgeret simplicitatem narrationis Evangelistarum atque Apostolorum de veritate passionis, resurrectionis, & ascensionis Jesu Christi; ita respondit *Spinoza: Christi passionem*, inquit, *mortem & sepulturam tecum literaliter accipio*, ejus *autem resurrectionem allegorice. Fateor equidem hanc etiam ab Evangelistis iis narrari circumstantiis*, ut *negare non possimus, ipsos Evangelistas credidisse, Christi corpus resurrexisse, & ad cœlum ascendisse, ut ad Dei dextram sederet, & quod ab infidelibus etiam potuisset videri, si una in iis locis adfuissent, in quibus ipse Christus discipulis apparuit, in quo tamen salvâ Evangelii doctrina potuerunt decipi, ut aliis etiam prophetis contigit.* Egregia sane, & tanto philosopho digna responsio! Admittit & concedit, Apostolos & Evangelistas, ea quæ viderant simpliciter narrare, nihilque in verbis quibus utuntur comprehendi, quod nos cogat, ut a sensu literali recedamus; at allegorice tamen resurrectionem hanc esse intelligendam; id est admittit præmissas, sed negat conclusionem: viderant discipuli Jesum Christum in vitam revocatum, eoque nomine firmiter hoc credunt; sed decipi tamen potuerunt; surrexit Christus, quonam vita & morte singularis pietatis Exemplum dedit, & resurgunt discipuli, quando vitæ & mortis Exemplum sequuntur; solis fidelibus revelata fuit resurrectio hæc scilicet metaphorica, & tamen ipsi infideles, si *una in iis locis fuissent, potuissent persuaderi de veritate rei*, id est, non minus quam fideles umbram pro Junone captare, & oculis vigilantibus omnes potuissent decipi. Quis non miretur hominis acumen & ingenii sublimitatem? Imo quis non hominis detestetur impudentiam, qui quicquid in buccam venit, effutire solitus est? Hinc & illi ipsi, qui liberius de Religione sentire solent, quam vero Reverentia, quam S. Literis debemus, permittit, fatentur, Atheos & Religionis contemptores, nonsolum suam impudentiam abunde prodere; sed & eosdem in opiniones stultas plane & omni specie veri destitutas, incidere. Inter eos est P. *Baylius* qui libro de *Cometis* p. 237. rotunde hoc fassus est. (*) Idem *Spinoza*

(*) Verba ipsius ita sonant. Si l'on regarde les Athées dans le jugement, qu'ils forment de la Divinité, dont ils nient l'existence, on y voit un excès horrible d'aveuglement.

noza jus Naturæ nullum esse dixit, sed omnia in eo consistere, quod potentiores in inferiores potestatem suam quacunque ratione id fieri possit, exerceant; quemadmodum minuti pisces a grandioribus deglutiuntur & comeduntur. Rotunde & sine verborum ambagibus mentem suam de hoc argumento aperit Tractat. Theolog. Polit. Cap. XVI. *Per jus & Institutum Naturæ* (inquit,) *nihil aliud intelligo, quam regulas naturæ unius cujusque individui, secundum quas unum quodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo existendum & operandum. Ex. gr. Pisces a natura determinati sunt ad natandum, magni ad majores comedendum, adeoque pisces summo naturali jure aqua potiuntur, & magni minores comedunt. Nam certum est naturam absolute consideratam jus summum habere ad omnia quæ potest, hoc est, jus naturæ eo usque se extendere, quo usque ejus potentia se extendit, naturæ enim NB. potentia ipsa Dei potentia est, qui summum jus ad omnia habet; sed quia universalis potentia totius naturæ nihil est præter potentiam omnium individuorum simul, hinc sequitur, unum quodque individuum jus summum habere ad omnia, quæ potest, sive jus uniuscujusque eo usque se extendere, quo usque ejus determinata potentia se extendit. Quare inter homines, quamdiu sub imperio solius naturæ vivere considerantur, tam ille qui rationem nondum novit, vel qui virtutis habitum nondum habet, ex solis legibus appetitus summo jure vivit, quam ille, qui ex legibus rationis vitam suam dirigit. Hoc est, sicut sapiens jus summum habet ad omnia, quæ ratio dictat, sive ex legibus rationis vivendi; sic etiam ignarus, & animi impotens summum jus habet, ad omnia, quæ appetitus suadet, sive ex legibus appetitus vivendi. Jus itaque naturale unius cujusque hominis non sana ratione, sed cupiditate & potentia determinatur.* Verbo; omnia clamant, hominem hunc data opera omni Religioni indicere voluisse bellum, & ut sapere videretur cœlum ipsum stultitia petiisse. Quæ de vita ipsius ad modestiam composita, animoque forte sua contento, jactitare solent Increduli, inferius, ubi objectiones quasdam Incredulorum in medium proferemus, expendam.

IX. Possemus hic pariter ut in Examine Systematis *Spinozæ* factum est, ostendere, Eos, qui Epicuri de rerum omnium origine secuti sunt sententiam, suam in ratiocinando infantiam, & paradoxa quævis effrenatam defendendi lubidinem manifestissime prodere. Sed

Non minus ineptum est Systema Epicuri, quod qui-

ment, une ignorance prodigieuse de la nature des choses, un esprit, qui renverse toutes les loix du bon sens, & qui se fait une maniére de raisonner fausse, & dereglée plus qu'on ne sauroit le dire.

dam veterum & recentiorum defenderunt.

necesse non est, ut in systemate hoc subvertendo tempus collocemus, quandoquidem sua corruit futilitate. Statuere enim, homines, plantas, animantia, ut de vastissimis corporibus in cœlo natantibus, & pulcherrimo ordine orbitas suas decurrentibus, nil dicam; fortuito atomorum concursu orta esse, non est *philosophari* sed *delirare;* Hinc etiam doctissimi Veterum, *Cicero*, *Plutarchus* aliique, albis uti merebantur dentibus riserant *Epicureos*: *Ciceronis* duntaxat afferam verba quæ extant de *N. D. Lib. II.* cap. 37. *Hic ego non mirer quemquam, qui sibi persuadeat, corpora quædam solida atque individua, vi & gravitate ferri, mundum effici ornatissimum & pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo cur non idem putet, si innumerabiles unius & viginti formæ literarum vel aureæ, vel qualeslibet aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis, Annaleis Ennii, ut deinceps legi possint, effici, quod nescio anne in uno quidem versu possit* tantum valere fortuna, &c. Idem cap. 34. & 35. *Quod si omnes partes mundi ita constitutæ sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores; Videamus utrum ea fortuita sint, an eo statu, quo cohærere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante, divinaque providentia. Si ergo meliora sunt ea, quæ Natura, quæ illa quæ arte perfecta sunt, nec ars efficit quid sine ratione; ne natura quidem expers rationis est habenda. Qui igitur convenit tabulam pictam cum aspexeris, scire adhibitam esse artem; cumque procul cursum navigii videris, non dubitare, quin id ratione atque arte moveatur:* aut *cum Solarium* &c. *Quod si in Scythiam aut in Britanniam Sphæram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cujus singulæ conversiones idem efficiunt in Sole & in Luna & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in Cœlo singulis diebus & noctibus: Quis in illa Barbarie dubitet, quin ea Sphæra perfecta sit ratione? Hi autem dubitant de mundo ex quo oriuntur & fiunt omnia, casune sit ipse effectus an ratione, an mente divina? Et Archimedem arbitrantur plus valuisse in imitandis Sphæræ conversionibus, quam Naturam in efficiendis, præsertim cum multis partibus sint illa perfecta, quam hæc simulata, solertius* &c. Inter Recentiores Eruditos variis argumentis & institutis comparationibus vanitatem hujus opinionis ostenderunt inter multos alios Viri dignitate & Eruditione eminentes, *Tillotsonius* & *Fenelonius*. Prior. Serm. Sacr. Tom. I. posterior integro de existentia divina tractatu. Et sane vix credibile est, hominem sane mentis serio & ex animi sententia, expensis rerum creatarum natura, atque facultatibus, ejusmodi ineptæ opinioni subscribere posse,

posse. Novimus quidem cæterorum Philosophorum antiquorum de origine rerum opiniones, ruinosis etiam superstructas fuisse fundamentis. Quod si vero Gargettius senex labanti causæ succurrere voluit, corrigere debuisset quod in aliorum Systematibus hiulcum, aut plane ineptum erat, non vero erroribus errores addere. Sed quod frequentissime obtigisse novimus, ut nempe Increduli, dum sententias, aut plane certas, & firmas, aut quammaxime probabiles impugnarunt, & damnarunt, hypotheses longe majoribus difficultatibus obnoxias, in medium protulerint, idem eveniisse *Epicuri*, & sequacium exemplo constitit. Nullis enim plane hoc Systema est innixum fundamentis, sed eodem jure, quo prolatum est, negari simpliciter potest: v. gr. statuit ex nihilo nihil fieri, & tamen motum dedit atomis, quem eos habere, aut admittere posse, nullibi probat. 2.) Atomis vim sese inclinandi tribuit, causam autem hujus inclinationis nullam dare potuit. 3.) Vim quandam sentiendi & intelligendi animis nostris tribuit, neque tamen vel ex natura atomorum, vel eorum concursu, has facultates elicere ulla cum veri specie potuit. Hic tamen insignis ille Philosophus est, dignus qui ab Encomiaste suo *Lucretio* in cœlum tollatur laudibus. Hic nimirum

Princeps vitæ rationem invenit, eam quæ
nunc appellatur sapientia, quique per artem
fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris,
In tam tranquillo & tam clara luce locavit.

Concedi equidem aliquid posset *Epicuro*, si cogitemus tempora quibus vixit. Tum enim Religio tot ineptis superstitionibus & anilibus fabulis erat obsepta & oppressa, ut mirum haud fuerit, hominem in omnia alia ruere voluisse. Disciplinæ præterea philosophicæ, *Astronomia*, *Physica*, *Botanica*, & *Anatomia* parum erant excultæ. At vero oculos ad solem claudunt illi inter Incredulos, qui nostra ætate ejusmodi Systemati patrocinantur. Notum enim est, Viros ingenio & Eruditione præstantissimos, ex animantium, Hominum, & plantarum structura, factis eum in finem accuratissimis experimentis, clarissime demonstrasse, omnia mundi corpora divina & mirabili arte esse confecta, omniaque ad certos sapientissimosque fines exacta esse. Certe qui in tanta luce posthac asserere ausit, fortuito duntaxat materiæ concursui tribuendum pulcherrimum rerum ordinem, data opera in re sanctissima ludit, atque ridicula plane & inepta ambitione sese captum esse evidenter commonstrat.

X. Sed

Referuntur singulares quædam & paradoxæ quorundam Incredulorum opiniones.

X. Sed mittamus *Epicuri* Sectatores, & ad alios Incredulos, qui ineptas plane & paradoxas defenderunt opiniones perveniamus. Inter eas autem merito referimus *Astrologiæ Judiciariæ Studium.* Ars certe, si hoc nomine digna est futilis hariolatio, nullis superstructa fundamentis, cui qua ratione sanæ mentis homo deditus esse possit, videre non possumus. Experientia tamen constat plures ex numero Incredulorum, amore illius captos fuisse. De *Vanino* constat, eum valde deamasse hanc artem, uti hoc biographia ipsius, quam plures Viri docti descripserunt, patet. De Illustri *Schaftsburio* nepote celeberrimi illius *Antonii Asbley, Comitis Schaftburensis*, cujus vitam *Lokius* conscripsit, idem affirmat *Reverendus in Christo Pater Burnettus in Commentariis rerum suo tempore gestarum.* In numerum Incredulorum eum retulerunt doctissimi Viri. Celeb. *Mosbemius* in *primit. Jul.* pag. 57. ita de eo pronuntiat: *Cæterum non dubito, quin Vir Sagacissimus ex iis fuerit, qui aut vitiorum amore, aut pravis opinionibus impediti veritatem Religionis a Christo traditæ cernere nolunt.* Et in Hist. Eccles. Recent. pag 380 ait, de eodem verba faciens: *Ridet Vir ingeniosissimus, etiam quum sanctissime de rebus sacris loqui videtur, argumentisque ad vitam piam & honestam, quæ in divinis libris traduntur & inculcantur omnem plane virtutem detrahit, imo, dum virtutem nescio quam sublimem, supra vulgi opiniones positam, semet ipsa contentam, commendat, omne virtutis studium dissuadet;* simile judicium de eo fert. Rev. *Berklejus* pag. 201. libri cui titulus: Le petit Philosophe. *Pour ce* (ait) *qui regarde certains points de Religion comme par exemple la croyance d'un état futur de Recompenses, & des châtimens, ce grand Homme declare ouvertement, que les gens du Bel-Air ne scauroient regarder les choses que comme des contes propres à amuser des Enfans, & à épouvanter le vulgaire. Ainsi pour rendre un service signalé à la partie la plus choisie du genre humain, il a eu la bonté & la sagesse d'inventer un autre motif, à savoir, un certain goût ou plaisir, qui, à ce qu'il assure, ne scauroit manquer de produire son effet; Puisque selon lui, des qu'on a le vrai goût de la politesse on a en même tems une certaine disposition à être transporté par la seule contemplation de tout ce qui est véritablement beau.* Celebr. *Pfaffius*, *primit. Tübing.* pag. 44. ita de eo judicat: *Nemo acerbiore calamo doctrinam de gustu spirituali aggressus fuit Ill. Schaftsburio, acuti quidem ingenii Viro, sed qui de Religione Christiana parum mihi persuasus fuisse videtur.* Ill. vero *Burneti* verba hæc sunt: *Quant à sa Religion c'est en parler favorablement, que de dire qu'il étoit Déiste. Fou neanmoins de l'Astrologie, autant qu'on peut*

être:

être: & paulo post; *Il s'étoit mis en tête, qu'après la mort nos ames vivent dans les étoiles, connoissant superficiellement toutes choses, il ne savoit rien à fond.* Ejusdem vanissimæ superstitionis amore captos fuisse Cardinales *Richelieu* & *Mazarinum*, de quorum pietate pauci magnifice sentiunt, ex *Vittorio Siri*, probat doct. *Clericus* tract. de *Incredulitate* pag. m. 33. (*)

Illustris *Leibnitius* testatur, se cognovisse quendam *Sohnium*, in S. Electoris Palatini, *Caroli Ludovici* aula degentem, quo in conficiendis varii generis machinis usus fuerit; Hunc prophetias V. & N. Testamenti repudiasse, simul tamen firmiter credidisse, prophetias *Nostradami* cœlitus fuisse delapsas: ibidem tradit, Judæum quendam Belgam, novum Testamentum rejecisse excepta Apocalypsi, in qua se *lapidem philosophorum* reperisse crediderit. Vide *les remarques de Monsr. Leibniz sur l'Enthousiasme pag. 267. Tom. II. du Recueil de diverses pieces &c. Tolandus* de quo mox aliquid dicendum, *Adeisidæm.* sui pag. 23. fatetur, sibi duos fuisse cognitos, quorum prior Providentiam divinam pro

(*) *Il n'y a rien de si commun* (inquit) *que de voir des Incredules entêtés de l'Astrologie judiciaire & persuadés que les Magiciens font des choses qui sont au-dessus de l'ordre de la nature. Par exemple, on accuse deux grands Ministres d'Etat dont les actions ne nous laissent pas croire, que la foi en Dieu fût une de leurs plus grandes vertus d'avoir cru tous deux les prédictions des Astrologes; & l'un d'eux de s'être persuadé, qu'un homme qui vomissoit diverses liqueurs le faisoit par le moyen de la Magie. Le Cardinal Richelieu* (recitat verba Auctoris jamjam dicti) *consultoit outre l'Astrologie toute sorte de divinations jusqu'à des femmelettes; dont la science consiste en des vapeurs de Mere, qui leur font prédire par hazard quelque évenement fortuit. Il étoit si crédule, qu'il attribuoit à l'operation du Démon l'art de jetter par la bouche toutes sortes de liqueurs après avoir bû de l'eau, comme le faisoit un Charlatan Italien. Mazarin n'étant pas encore Cardinal, ayant éclatté de rire à un discours si simple, pensa perdre sa faveur par-là: & le Cardinal irrité de cet éclat de rire, par lequel il jugea que Mazarin se moquoit de lui, dit ironiquement, qu'il n'étoit pas Monsieur Mazarin, qui avoit une profonde Etude & une exacte connoissance de tout. Mazarin repliqua tout soumis qu'en donnant cinquante pistoles, que le Charlatan demandoit pour enseigner son Secret, on verroit si l'operation du Démon s'en mêloit. Mazarin regardoit toutes les divinations comme des sottises; excepté l'Astrologie, dont il étoit fort entêté; quoi qu'il feignit le contraire. Lorsque Madame Mancini sa sœur mourut & ensuite la Duchesse de Mercœur sa Niece, comme il eut vû par-là accomplie la prédiction, qu'un Astrologue en avoit faite à Rome par écrit longtems auparavant; il en devint extraordinairement triste & melancolique: non pas tendresse pour ses parens, mais parce que ce même Astrologue avoit fixé le tems de sa mort à un terme qui s'approchoit. Il en perdit l'appetit & demeura plusieurs nuits sans dormir.* De Michaële *Serveto* idem testatur Cl. *Moshemius* Hist. Eccles. Recent. pag. 505 dicens. *Astrologiam, quam Judiciariam vocant, in Parisiensi Academia, invitis Medicis, at plaudentibus multis, publice docuit Servetus, immo Apologiam vanissimæ artis edidit, quæ mandato Supremi Consilii suppressa est.*

pro anu vatidica cum Epicureis riserit, stellarum vero influxu rerum omnium universitatem regi adseruerit; posteriorem vero omnes Spiritus incorpores rejeciſſe, sed intelligentias nescio quas materiales oracula & vaticinia fundentes, crepasse. Ingeniosus Auctor libelli cui titulus *Alciphron*, ou le *petit Philosophe* Tom. II. pag. 57. refert, novisse se *Musicum*, qui diceret, mentem nostram esse harmoniam: *Geometram*, qui affirmaverit, necesse esse ut mens nostra sit extensa: *Medicum* denique qui quod in ampulla aliquot servatos habuisset Embryones, & multos mures dissecuisset, credidisse, animam merum nihil esse, vel ut Auctor ille loquitur, *une chimere*. Huc referri etiam merentur *Hylozoistæ* de quibus videndus *Cudvvorthus* in Systemate Intellectuali, & *Clericus* Bibl. Select. Tom. II. Utrum *Egoistas*, qui extra sese nulla dari corpora somniarunt, inter fanaticos, an vero inter Incredulos referam, nescio.

De Isaaco *Vossio* memorat *Evremontius*, Eum omnium fere gentium consuetudines & mores in numerato habuisse, ignarum Seculi sui: In quotidianis honestissimorum Virorum congressibus eum ita spurce locutum, ut existimasses, te librum aliquem Commentarium in *Juvenalem* & *Petronium* audire; eodem tempore quo LXX. Versionem divinæ originis esse probare voluerit, aperte ostendisse, se Revelationi fidem non habere, idque exitum vitæ suæ satis superque edocuisse; nullis enim argumentis adduci potuisse, ut præcipuis saltem Religionis christianæ Articulis subscriberet; Eundem interim omnia *insolita*, *fabulosa*, & ab omni *veri specie abhorrentia lubentissime admisisse*. Quæ narro retulit *Evremontius* qui *Vossio* familiariter est usus. Hæc autem postquam exposuisset βιογραφος *Evremontii*, doctissimus des *Maizeaux*, in hæc erumpit verba: *Eant igitur nasutuli quidam & in posterum clament, Incredulos ab omnibus præjudicatis opinionibus esse liberos, solos acerrimo ingenio præditos, & nonnisi evidentissimis rationibus commotos, ad aliquid credendum vel rejiciendum, adduci solere.* Comes Boulainvillier, (verba sunt Celeb. Moshemii Hist. Eccles. Recent. p. 388.) tam sui erat dissimilis, ut parem fere superstitioni & Atheismo locum in animo male composito tribueret. Nullum enim licet alium esse Deum putaret quam rerum naturam, Mahumedem tamen non dubitabat pro Legato Dei ad Genus humanum habere, & fata tam hominum singulorum, quam rerum publicarum, ex astris prædici posse, arbitrabatur. *Collinus*, inter principes Incredulorum, qui publicis scriptis innotuerunt merito referendus, non semel ostendit, sese hoc studio abripi passum,

sum, i. e. opinionibus levissimis modo essent Religioni inimicæ, subscripsisse, rejectis iis, quæ in Religione christiana sunt firmissima. Quo inter alia referas, quod ad authentiam N. Fœderis suspectam reddendam ad *Victorem Tununensem* provocavit, qui perhibuisse dicitur, *Messala Viro Cl. Consule Constantinopoli per Anastasium Imperatorem Sanctissima Evangelia corrupta & emendata fuisse.* Quam levissimam objectionem, multi tamen, & quidem erudite retuderunt, inter quos merito referendus Celeb. *Pfaffius*, cujus hac de re extat singularis Dissertatio primitiis Tübingensibus inserta. Eundem data sæpe opera loca veterum truncasse, præsertim in prima editione libelli de libertate cogitandi, si e re sua esse existimavit, perspicuis exemplis ostendit *Phileleutherus Lipsiensis*, i. e. Eruditissimus *Bentley*. Vide Libellum cui titulus: *La Friponerie laïque des pretendus Esprits forts d'Angleterre Edit. 1738.* Nihil dicam de perpetuo ipsius studio Antistitibus Religionis nullo habito delectu insultandi, quandoquidem hoc morbo cæteri, qui pro Incredulis haberi volunt, laborare solent. His adjungere possumus celebrem Jesuitam *Harduinum*, Gallum. Quamvis enim is vulgo inter Incredulos non referatur, talia tamen paradoxa in medium attulit, quæ ad labefactandam Revelationem viam sternunt. Virum fuisse *Harduinum* doctum, & in Philologia, Chronologia & arte numismatica versatum, negaverit nemo. Eundem tamen simul monstrosas, & ab omni verisimilitudinis specie abhorrentes opiniones defendisse nemo qui aliquo amore veri tangitur, infitiari poterit. Ita notum est, Eum asseruisse, *Tullium*, *Plinium*, *Maronis Georgica*, *Flacci Sermones* & *Epistolas*, *præter Inscriptiones admodum paucas*, *fastosque nonnullos sola ex omni antiquitate sincera esse; reliquam falsorum dogmatum segetem ab execranda & detestabili ante annos fere quingentos officina effusum*, *cujus Princeps ac primarius operis Architectus jocose a Sodalibus Severus Archontius dictus fuerit. Execrandam autem illam officinam extitisse post Christum natum Seculo XIII.* Nemo non videt ridiculam hanc opinionem veritati Religionis christianæ esse oppositam. Initio quidem ludere Virum doctum quidam existimarunt, quod credibile non sit, virum in cæteris doctum, & præstantis ingenii, tam ineptam opinionem serio defendere posse. At alii, inter quos eminebat Eruditissimus *Veiziere la Croze* nunc quidem ἐν ἁγίοις existumarunt, Jesuitam id agere, ut excussis e manibus Christianorum Voluminibus Sacris & Antiquissimis Patrum Scriptis, præclaris rei Christianæ præsidiis, Pontificis Romani Auctoritatem hac ratione tueretur & promoveret.

Eum in finem edidit vir ille Doctus *Vindicias Veterum Scriptorum*, bonæ frugis plenas, quibus adjuncta est Celeb. *des Vignoles* erudita Dissertatio, in qua ex Chronologiæ principiis opinionem Jesuitæ adortus est, funditusque subvertit. Utrum solus *Harduinus* hanc opinionem sit commentus, an vero potius ex composito, quæ Doctissimi *la Croze* sententia fuit, sit adornata, disquirere nolo. Hoc certum, *Harduinum*, qua erat ingenii acie instructus *facile perspexisse*, hanc sententiam suspectos reddere nonsolum Sacros N. Test. libros, sed & Patrum antiquissimorum monumenta, ad quæ tamen nonsolum Protestantes, sed ipsi pontificii inprimis, provocare solent. Idem edito posthumo opere, *Jansenium*, *Quenellum*, omnesque, qui gratiam, quam vocant efficacem defenderunt pro Atheis habuit, argumentis ad id probandum usus levissimis, quæ passim in Diariis Eruditorum prostant, & legi possunt. Nihil jam dicam de explicatione quarundam Inscriptionum insolita & violenta. In Commentario denique in N. Testamentum, ante annum (quo hæc scripta sunt) edito, multas passim invenias paradoxas Interpretationes, quarum specimina inter alios exhibuere doctissimi Auctores Diarii Literarii Gallici, cui titulus: *Bibliotheque raisonnée* Tom. ult. Hæc effecerunt, ut Viri Docti putarint, *Harduinum* aliquando cum talia scriberet non bene composita fuisse mente. Dignum certe hoc Viro est Epitaphium, quod ei posuit *Reverendus & Doctissimus Vernetus, Professor Genevensis, amicus noster honoratissimus.* (*) Novimus quidem haud defuisse, qui causam *Harduini* tueri voluerint, atque ostendere, innocentes fuisse ejus opiniones, longeque aliud Jesuitam intendisse, quam quidem plerique Eruditorum existimarunt. Inter eos fuit Anonymus, cujus defensio extat in Diario Literario, cui titulus: *Bibliotheque Françoise Tom. XXIV.* Sed rationes quas affert, adeo sunt

(*) Sonat autem ita:

Hic jacet Hominum παραδοξοτατος.
Natione Gallus, Religione Jesuita,
Orbis Literati portentum
Docte febricitans
Antiquitatis cultor idem & deprædator
Commenta inaudita vigilans somniavit
Scepticum pie egit
Credulitate puer
Audacia juvenis
Deliriis senex
Verbo dicam: hic jacet HARDUINUS.

sunt leves, & parum adeo causam Jesuitæ juvant, ut neminem facile in suas sit pertracturus partes. (*)

XI. Antequam finem impono huic Argumento & Thesi, tria tantum exempla singillatim adferam, ex quibus constabit, quanta impudentia quidam Incredulorum disciplinæ Christianæ detrahere, & ineptissimas contra & paradoxas opiniones defendere soleant. Primum est Joh. *Tolandi*, secundum *Woolstoni*, tertium denique Auctoris impudentissimi libelli & orco digni, cujus Inscriptio: *les Princesses Malabares* &c. Quod ad *Tolandum* spectat, notum est, inter eos, qui nostra ætate Religionem impugnarunt, eum præ cæteris esse referendum. Vitam ipsius, sententias, mores atque fata descripsit Celeb. *Moshemius*, quæ vindiciis Antiquæ Christianorum Disciplinæ, præfixa est; quem libellum harum rerum cupidi adire possunt. Nos ad ea duntaxat attendemus, quæ ad thesin nostram confirmandam facere possunt. Et mature quidem infelix homo ostendit quam superbo, & impotenti esset animo. Primum ingenii monumentum anno ætatis suæ vicesimo edidisse fertur, quod erat carmen in Sacrorum ministros, asperum, durum,

Tolandi Exemplo singillatim Thesis nostra probatur.

(*) *Eminentissimus Cardinalis Quirinus in Commentario de rebus ad se ipsum pertinentibus pag. 103. sq.* hæc de *Harduino* narrat. *Joannes Harduinus, altero die postquam Parisios adventassem, a me aditus, facilem, & expeditum mihi se præbuit ad fundendæ absque fuco paradoxa sua, etsi ad eadem ejuranda, haud multo antea adactus fuisset. Liberis igitur verbis affirmare mihi non dubitavit, veterum Numismatum authoritatem maximi faciendam, insuper vulgatam Divinorum Bibliorum Editionem, & Concilii Tridentini Canones, quandoquidem alia Sacræ Antiquitatis monumenta, pleraque omnia, justa subleste fidei suspicione laborarent. Somniaverat ille quemadmodum antiquissimos, prophanos Scriptores, seu Oratores seu Poëtas, seu Historicos seu Philosophos, ita Ecclesiæ Patres, Synodos Episcopales, Decretales Pontificum, atque alia hujusmodi scripta nihil aliud, quam suppositiones esse doctorum Cœnobitarum, qui una simul Seculo X. conjuratione inita, tantis fallaciis struendis & concinnandis animum, calamumque appulissent; imo verbo vulgatæ Versionis Concilii Tridentini, & priscorum Numismatum fide christianam Religionem imiti, labantibus ac nutantibus ex ea suspicione cæteris omnibus ejusdem fundamentis, quæ hucusque locata fuerunt. Portenta ista cum audirem, spatiando interea in Bibliotheca, conjunctis cum Harduino passibus, accidit, ut oculos converterem ad librum quendam ex ligno confectum, ficlitioque titulo ornatum, pro implenda, ut alibi etiam fieri observavi, plute; extremitate: tunc statim libro illi manum injeci, ipsumque Harduini oculis subjiciens, En, dixi, hocce figmenti, de quo agitur, genus esse nemo negaverit, in Jesuitarum tamen non in Monachorum Officina fabrefacti. San-Germanenses solitum dicere Mabillonium mihi narrabant, suæ ipsos gloriæ ducere debere, quod olim Ciceronem, Livium, Virgilium, paresque alios Scriptores Monastici cuculli apti fuerint, procudere. Harduinum in rebus historicis adeo delirantem, Clero nihilominus gallicano idoneum visum fuisse, cui colligendorum Conciliorum provincia demandaretur, hoc profecto quamplures ad maximam admirationem pertraxit.* Adde his binas eruditas epistolas *Il. Cuperi* datas ad Cl. la *Croze*, quæ extant in libello cui titulus: *Recueil de Litterature, de Philosophie & d'Histoire.*

rum, atque maledicum cui *Tribus Levi* nomen præfixit, in quo statim sub initium omnium calamitatum calamitosissimum Sacerdotum esse ordinem, nec quicquam hoc ipso ulli Reipublicæ gravius atque molestius unquam extitisse affirmat. Plura de hoc libro cum in medium non attulerit Cl. *Moshemius* de Universi Argumenti Tractatione dicere non possum. Ex allatis tamen satis constat, hominem juvenili arrogantia inflatum, impietatem suam & impudentiam satis prodidisse, qui omnes promiscue Sacrorum Ministros, nullo habito plane discrimine tam acerbe perstrinxerit. Postea ad scribendum librum cui titulus: *Religio Christiana Mysterii expers*, animum adjecit. Quæ fata habuerit hic libellus in Anglia l. citato exponit Cl. *Moshemius*. Varia nimirum fuerunt Virorum Doctorum de eo judicia. Fuerunt qui Auctorem eius omnium Religionum hostem, alii Deistam vel Socini discipulum esse dicerent. Alii quædam improbabant duntaxat, cætera ferri posse contendebant, præsertim postquam *Tolandus* omnes ingenii nervos intendisset, ut ostenderet, mitiorem plane adhibita genuina explicatione sensum ferre posse verba sua. At exitus, eaque quæ post in lucem protrudit, satis ostenderunt, hominem nonnisi verba aliis dare voluisse. Accessit enim mox alius infelix ingenii fœtus, ex quo satis constabat, *Tolandum* incredibili desiderio novas & paradoxas opiniones defendendi ardere. Nimirum A. MDCCIV. edidit Epistolas ad SERENAM, quo nomine *Illustrissimam Borussiæ Reginam*, tunc temporis viventem, intellexit. Erant autem numero quinque; quarum Argumenta loco citato exhibentur. Nos eorum duntaxat rationem habemus, quæ ad scopum nostrum faciunt. In secunda Epistola Historiam Doctrinæ de immortalitate animæ inter Gentes sistit. Quæ ejus fuerit de hac re opinio, verbis Cl. *Moshemii*, quoniam liber ad manus non est, exponam: *Ortum esse hoc dogma putat ab Ægyptiis, ab his Græcos illud accepisse, Coloniisque suis in Asiam & Europam missis, trâdidisse: Nec mirum adeo esse, quod* ROMANI *etiam illud probaverint, quos a Græcis & Leges & Religionem mutuatos esse constet. Eosdem Ægyptios hanc de mentium perennitate doctrinam cum Indorum & Chaldæorum Sapientibus communicasse existimat, qui posteriores, Scytis, Germanis, Gallis & Britannis rursus ejus adoptandæ auctores fuerint. Unde vero hæc Sapientia Ægyptiis? Nihil nostro facilius expeditu est. Omnis hæc persuasio a funerum ritibus inter Ægyptios consuetis manavit ipso judice. Erat his in more positum, ut cadavera unguentis varii generis, ne putrescèrent, oblinerent, sicque in peculiari quodam loco, quem Elysios vocabant campos*

extra

extra urbem Memphim conderent. Hinc antequam ulla de mentium immortalitate suspicio nasceretur, illæ jam de mortuis locutiones invaluerant, trajeciſſe ipſos fluvium Acherontem, ac in Elyſios translatos eſſe campos: Qui poſtea loquendi modi ſenſim iſtam opinionem genuerunt, eorum etiam mentes permanere, quorum corpora inviolata conſervata eſſent. In quarta Epiſtola Virum quendam Eruditum, ſummo erga *Spinozam*, ejusque philoſophiam ſtudio flagrantem, revocare voluit; in ea tamen inter alia poſuit omni materiæ ineſſe conatum ad motum, quam opinionem aggreſſus eſt acutiſſimus *Clarkius* in demonſtrat: Exiſtentiæ Dei &c. Tom. I. hancque *Tolandi* ratiocinandi methodum vocat une *pitoyable Philoſophie*, i. e. commiſeratione dignam philoſophandi rationem. Quam parum autem hi homines ſibi conſtent, vel ex eo patet, quod in hac Epiſtola quarta contendat, Syſtema *Spinozæ* nullis eſſe ſuperſtructum rationibus, & demonſtrationes ipſius ſiculneas plane eſſe, ſimul tamen poſtea ſcripſerit librum titulo *Pantheiſticon* inſignitum, in quo omni poſito pudore *Spinozæ* ſententiam tuetur. Novi quidem eſſe Viros doctos v. gr. Clariſſimum Reimannum aliosque qui dubitent, utrum *Tolandus* hujus libri auctor ſit, nixi auctoritate doctiſſimi *la Chapelle Bibl. Angl. Conditoris*, qui Tom. VIII. *Bibl. Anglicæ* hoc negare, videtur. At quisquis modum ratiocinandi doctiſſimi hujus Viri perpendit, facile deprehendet, Eum *perpetua* uti *ironia*, & falſe ita *Tolandum* perſtringere voluiſſe. Accedit quod in parte ſecunda libelli, cui titulus *Adeiſidæmon*, ſeu *Titus Livius a ſuperſtitione vindicatus*, ubi origines Judaicæ Gentis pandere vult, non levia monſtroſæ hujus opinionis lateant ſpecimina. Nimirum in ea inficetas *Strabonis* narrationes cum Moſis de Judæorum ortu relatione conciliare vult, idque præterea docere, ſanctiſſimum hunc Virum a *Spinozæ* de hujus univerſi divinitate ſententia non nimis remotum fuiſſe. Præter hæc (utor verbis Cl. Moshemii) *ſecus ac Moſes tradit, terram Palæſtinam horridam & ſterilem eſſe affirmat, aliaque nonnulla hujus generis paradoxa proponit. Quod quidem num quid aliud ſit, quam apertum in Religionem bellum moliri, prudentiores judicent.* Neque his infelix homo fuit contentus, ſed quo pede cepit perrexit, id eſt incredibili deſiderio novas & inſolitas opiniones ſpargendi, ut viri ſingularis Eruditionis famam conſequeretur, ſatisfacere porro anniſus eſt. *Nam quis peccandi finem poſuit ſibi, quando recepit ejectum ſemel attrita de fronte ruborem?* Non eſt animus paradoxa hæc omnia referre, quæ prolixe recitat Cl. *Moshemius.* Mentionem duntaxat facio libri, qui magnas in Anglia excitavit turbas,

atque

atque a doctissimis Viris prolixe est refutatus; Titulus est. *Nazarenus.* Prolixam futilis & audacis opusculi recensionem exhibet Cl. *de la Roche Bibl. Angl. Tom. IV.* breviorem vero & in summa idem Celeb. *Moshemius*, qui in sequentibus eruditissime, ut solet, omnes hujus libri partes perlustrat, rationesque ipsius funditus convellit; summa hujus libri brevis, ut eam exhibet Cl. *Moshemius* hæc est: *Periisse deplorat in illo veras Doctrinæ Christianæ rationes, & cum suo Magistro e terris discessisse; jam atram errorum noctem universo terrarum orbi incumbere, mentesque omnium densa caligine premi. Turcas non ignobilem esse Christianorum Sectam statuit; Judæos non nimis a Christianis remotos esse judicat; Legem Mosis qui abrogatam esse velint non plus sapientiæ habere, quam lapides clamat: Historiam sacram neminem unum diligenter & sine partium studio inspexisse tuetur. Quæ de libris divini fœderis ferantur parum habere certi, nec rationes afferri posse, quibus spurcum quendam & vesanum hominis fœtum, Italico idiomate editum, qui Barnabæ mentitur nomen, sanctis Scriptoribus postponendum esse doceatur, defendit:* Lectu digna sunt, quæ de ficto hoc Evangelio, fatisque ejus disserit Cl. Moshemius. Plura non adducimus. Ex iis quæ protulimus satis patet, quam insatiabili hic homo arserit paradoxa proferendi desiderio, & quam alieno fuerit a Disciplina christiana, animo. (*)

Woolstoni Exemplo porro id ostenditur.

XII. Sed mittamus *Tolandum*, atque ejusdem furfuris hominem producamus, ostensuri quam turpiter sese aliquando dedant Increduli, & quam insatiabili desiderio opiniones paradoxas, futiles licet & ineptas plane proferendi in medium ardeant desiderio. Non est autem animus prolixe describere hujus Hominis vitam, fata & mores, aut libros ab eo & contra eum editos recensere. Præstitum hoc est abunde a Viris Doctissimis. Ita singulari libello idiomate Germanico Scripto, vitam fataque ipsius collectis hinc inde non sine industria præsidiis huc facientibus, Vir Doctus Ch. LEMKER delineavit. Idem tentavit Cl. *Jöcherus*, Professor Lipsiensis, tribus editis Dissertationibus, qui paradoxas simul hujus hominis sententias impugnavit. Quibus jungi debet Dissertatio Historica de Scriptis *Woolstoni* ejus *Condemnatione & publice* contra eum editis libris, conscripta a V. *Reverendo* A. Le *MOINE*, quæ præfixa est Versioni Doctissimi Libri pro veritate Resurrectionis Jesu Christi, scripti a R. in Christo Patre *Scherlokio*. Ad hos ablego Lectores,

(*) Vide plura de Tolandi vita, fatis & editis libris in Niceronis relationibus de viris Eruditione illustribus, Tomo secundo editionis germanicæ per Celeb. Baumgartenium curatæ.

ctores, quos harum rerum tangit cura. Nos ad summam dogmatum ab ipso in medium prolatorum attendemus, quamque ea sint plane inepta prolatis Exemplis ostendemus. Vir Doctus, qui lingua germanica, uti diximus, vitam ipsius exposuit, plurimis in locis, adductis testimoniis ostendit, quam superbo & elato fuerit hic homo animo, & quam impudenter nonsolum sanctissimæ Religioni insultaverit, sed & viros pietate, Eruditione & dignitate eminentes prosciderit. Quod ad sententiam *Wooistoni* ipsam spectat, eam in citata Dissertat. Gallica pag. 1. ad tria revocat Capita Rev. *le Moine*, quæ in latinum conversa idioma sic sonant:

I. est: Ex miraculis, quæ Christus in cura variorum morborum demonstraverit, & propter quæ jure singularem nactus sit laudem & famam, colligi non posse, eum esse Messiam, neque exinde argumentum peti posse pro divina, quam sibi arrogabat, auctoritate, novam Religionem proferendi.

II. Quod Literalis narratio plurimorum miraculorum, quæ testibus Evangelistis a Christo facta perhibeantur, *absurda* sit, a *verisimilitudine aliena*, imo *incredibilis*: Quodque proin credendum non sit, miracula hæc sive ad omnia sive ad quædam tantum respiciamus, facta esse; sed hæc omnia *prophetice* & *parabolice* esse intelligenda, i. e. ea significare duntaxat quid Jesus in posterum *mystica* quadam & plane mira ratione esset præstiturus.

III. Quod ubi Christus ad miracula sua provocet, tanquam ad testimonium authenticum auctoritatis suæ cœlestis non proprie respexerit ad ea miracula, quæ in *terris agens fecisset*, sed ad ea, quæ olim *in Spiritu* esset præstiturus, quorum priora nonnisi essent *typi* & *figuræ*.

Nemo non, cui vel mica bonæ mentis inest, quique Religionis christianæ gnarus est, sentit & manibus quasi palpat, quam sint hæ propositiones ineptæ, monstrosæ & impudentes. Caput rei in eo vertitur, utrum Christus actu ipso patraverit, dum in terris degebat, miracula. Evangelistæ clarissimis verbis narrant, Christum varia patrasse miracula; enarrant morborum per Christum sanatorum varia genera: circumstantias locorum & personarum exponunt: Hæc omnia tamen non nisi sunt *improprie* & *mystice* intelligenda. Homines ab his vel illis morbis liberati, & quidem in conspectu multorum hominum, actu ipso non sunt sanati, sed *metaphoricam* tantum sibi ipsis *medicinam* adlatam credere debuerunt; Christus ad miracula ipsa disertis verbis provocat, tanquam ad certissimum divinæ suæ missionis argumentum;

at ita intelligendus est Christus, quasi de rebus non præstitis loqueretur, & ad nescio quam mysticam sequentibus ætatibus peragendam provocaret curationem. An non quilibet videt, hominem data opera in re sanctissima ludere, dignumque esse qui Anticyras, aut ut *Plauti* phrasi utar, ad fustitudineas & ferricrepidineas insulas, ubi vivos homines mortui incursant boves, mitteretur. Annon miser homo Exemplo suo nobis commonstrat, quam verum sit quod aliquoties monuimus, quod nimirum multi Increduli posito omni pudore & rejectis spretisque sententiis & veritatibus clarissimis & sanctissimis, ineptissimas contra & monstrosas in medium proferant opiniones, easque non sine ridicula jactantia effutiant & defendant? Quod eo magis manifestum est, quod hic homo tot doctissimorum licet virorum argumentis ad incitas redactus, ad extremum tamen usque vitæ finem absurdissimam opinionem πυξ και λαξ propugnaverit. Animus non est ut supra dixi, theses infelicis hominis singillatim percurrere, illasque convellere, aut argumenta quibus lepidæ, sed impiæ opinioni colorem conciliare voluit, expendere; factum enim id est abunde a Viris Eruditissimis: afferam, duntaxat ea, quæ in compendio ad Systematis futilitatem demonstrandam in medium attulit Rev. in Christo Pater *Egmondus*, *Episcopus Londinensis* in *epistolis suis Pastoralibus* a doctissimo *le Moine* ex anglico in gallicum sermonem conversis. Postquam nimirum Rev. Episcopus pag. 49. in genere monuisset, quam ineptum sit statuere, miracula a Jesu Christo patrata, quorum mentionem faciunt Scriptores sacri, non ad literam, sed allegorice esse interpretanda, quodque ejusmodi interpretatio, nonnisi ab homine sensu communi destituto, aut aperto Religionis hoste defendi possit, Exemplorum inductione ostendit, quantum absurdissimarum consequentiarum συρμα post se trahat monstrosa illa opinio. Si Sententia, inquit Rev. Episcopus, *Woolstoni* valeret, dicendum, quod quando Christus ad miracula sua, quod sæpe fecerat, provocavit, divinam suam probaturus missionem, miracula non *realia* sed *allegorica* intellexerit: Quod ubi turba invicem quærebat, utrum Messias, si veniret majora miracula facturus esset iis, quæ jam quidem a Christo patrari videret, non loqueretur de miraculis *realibus*, sed *imaginariis* duntaxat: Quod quando Jesus Christus discipulos Joh. Baptistæ jusserat narrare Magistro suo miracula, quæ vidissent, ad ipsos convincendum, quod esset Messias, quoniam eadem operaretur miracula, quæ secundum Prophetarum Oracula a Messia essent præstanda, neque Prophetæ, neque Jesus Christus, miraculo-

culorum nomine, *veri nominis* intellexerint miracula; Quod omnes illi Judæi, qui sanctissimæ disciplinæ nomen dederant, postquam vidissent Christum solo verbo ægros sanare, & mortuos in vitam revocare, non viderint ipso opere *homines primum ægros & mortuos, postea vero sanos & viventes*, & quod per consequens, causas satis solidas non habuerint credendi Christianam Religionem divinæ esse Originis: Quod ingens illa hominum multitudo, quæ ad Christum confluebat, ut a variis morbis, quibus laborabant, liberarentur, postquam oculis suis vidissent pluribus hoc beneficium obtigisse, nil tamen actu ipso viderint, quod eos inducere posset, ad Christum recurrendi; Quod Leprosus, qui Christo gratias egerat, quod gravi suo morbo, quo laborabat, medicam attulisset manum, non *realiter* fuerit sanatus quodque adeo *nullam ob causam, Christo* gratias egerit: Quod quando populus, visis tot miraculis in admirationem fuerat raptus, quod inquam hæc admiratio fuerit *vana* plane, & *præpostera*, quia nihil quod oculos ferire posset, viderit: Quod cum Judæi conspectis tot miraculis metuebant, ne homines cæteri crederent, Jesum propterea verum esse Messiam, eoque nomine persuasioni huic per miracula elicitæ, obicem ponere voluerant, *umbras & larvas* timuerint, atque consilium de *re non existente cohibenda* ceperint. Quod cum Ipsum interficere volebant, quod die Sabbathi claudum sanasset, eo tamen nil actu ipso patraverit: Quod homines illi, qui Eum Regem proclamare volebant, postquam tot ab Eo præstari vidissent portenta, nihil tamen ab Eo, quam quod præstare posset *quilibet e vulgo*, factum fuisse *animadverterint*: Quod Pharisæi, qui ipsum per *Beelzebub* miracula patrare calumniabantur, minime tamen persuasi fuerint, quod fecisset miracula, sed quod aliis plane rationibus commoti, ad ita sentiendum & loquendum fuerint inducti: Quod populus in maximam raptus admirationem, quando hominem ægrum in nomine Jesu a Petro sanatum viderat, qui antea ad fores templi portatus erat, ut stipem posset petere, *vere ambulantem tamen postea non videret*, & quod, licet Synedrii Proceres negare non possent, miraculum hoc vere contigisse, *non minus Assessores & judices*, quam *populus* ipse *decepti fuerint*. Quod *Simon Magus* donum miraculorum pretio emturus, nullam aliam, quam qua dudum instructus esset facultatem, id est *nullam*, sibi comparare voluerit. Quod Lystrenses, qui Paulum & Barnabam pro Diis habebant, nil tamen in illis deprehenderint, quod tanta admiratione dignum esset. Quod Judæi ex omni Gente Jerosolymis festo Pentecostæ collecti, & in summam

mam admirationem ob diversarum linguarum, quibus animi sui sensa expressérant Apostoli, usum, abrepti, nil tamen *conspexerint*, quod *aliqua attentione dignum* esset: Quod Apostoli, quando ingentem hominum, Nobilium & Ignobilium, doctorum, & indoctorum turbam ad Religionis Christianæ professionem adduxerint, *nullo tamen manifesto signo* probare potuerint, se a Deo esse missos: Uno verbo, quod universa Historia V. & N. Testamenti nullum alium sensum habeat, quam eum, quem quilibet viva imaginatione præditus, & facultate allegorias excogitandi instructus, repræsentare potest. Hæc consectaria ex ipsa natura lepidæ sententiæ, vel impiæ potius, & disciplinæ christianæ prorsus adversæ, petita sunt. Neque igitur necesse esse putamus, ut plura specimina adducamus, quæ apud doct. *Lemkerum* legi possunt.

Denique Exemplo impudentissimi Galli, Auctoris libelli, cui titulus; les Princesses Malabares, idem ostenditur.

XIII. Finem tandem imposituri dissertationi huic, paucis adhuc mentionem injicimus Anonymi Galli, qui dignum æternis tenebris fœtum in lucem prodire jussit, sub titulo: *Les Princesses Malabares, ou le Celibat philosophique, Ouvrage interessant & curieux, avec des notes historiques & critiques.* Hic certe nulli Incredulorum impudentia, scurrili dicacitate, & sanctissima quæque profanandi studio, cedit. Animus non est omnia ea, quæ contra disciplinæ sanctissimæ gravissimos articulos proterue in medium attulit, singillatim recensere, expendere & convellere. Integri enim hoc voluminis res esset. Neque dignus est Auctor impudens, ut pluribus confutetur; ineptissimas enim passim sententias tanquam oracula ex tripode pronuntiata in medium profert, at nullis plane firmat rationibus. Hinc in compendio futilitatem hujus libelli comprobavit Celeb. *Moshemius* in dissertat. cui titulus: *Gallus gloriæ Jesu Christi, Spiritusque Sancti obtrectator, publicæ contemtioni expositus*: Nos aliquot duntaxat Exemplorum inductione probabimus hominis impudentem audaciam, & quidlibet effutiendi effrenem licentiam: In ipsa præfatione pag. 2. fatetur nudis verbis, se talia in medium prolaturum, quæ concitatæ imaginationis vis esset suppeditatura, neque Lectori promittit, omnia quæ enarraturus esset, rectæ rationis dictatis fore consentanea. Quid autem hæc aliud significant, quam hoc, velle nimirum se luxurianti ingenio frœna laxare & dicere quicquid in buccam venerit? Quod si de re ludicra ageretur, auctorque vellet populi aures festivis narrationculis titillare, ferri posset hoc scribendi genus. At cum de re omnium sanctissima, Religione nimirum christiana, & præcipuis ipsius dogmatibus sermo sit, merito omnes, quorum

quorum animus Numinis reverentia tangitur, scurrilem hanc differendi vel potius garriendi rationem detestabuntur.

Cap. IV. & V. narrat historiam tentationis, lapsus & subsecutæ pœnæ, atque contendit, omnia quæ de hisce dicuntur ex *fabulosis libris* esse petita. Crederes ejusmodi homines rarissimis & nulli hactenus visis Manuscriptis esse instructos; adeo confidenter ad nescio quos provocant libros.

Cap. VIII. & IX. inter alia asserit, rationem post lapsum tantum passam esse detrimenti, ut sæpissime ignoret, utrum decipiatur nec ne: hancque esse causam cur Religioni Christianæ secure nomen dare non possit. σοφως! Forte hæc ipsa rationis corruptio efficit, ut fortissima Deistarum argumenta ne intelligere quidem aliquando possimus. Lib. II. cap. I. & II. impudentissime de Religionis Christianæ origine scurratur. Rem ipsam verbis Cl. *Mosheimii*, exprimam: *Comœdus hic aut tragicus potius Malabaricus sanctissimam quam a Filio Dei traditam habemus disciplinam, toties ludificatur, tamque indignis modis, præclaram licet in eam voluntatem ostendat, ut difficile dictu, auribusque non prorsus profanis intolerandum sit. Omnes primum religiones prorsus similes esse inter se & ejusdem generis ac naturæ, nullaque re, nisi finium amplitudine rituumque dissimilitudine & copia differre, adseverat, i. e. omnes ineptas esse & futiles; omnes superstitione regi, non sapientia, prætereaque multis vitiis, crudelitate, æmulatione, ficta pietate, laborare: omnes vanis promissis cultores suos lactare, ac decipere; omnes legem naturæ conculcare & evertere; omnes metu examinari, si forte sanam rationem conspiciant, ideoque junctis opibus, & armis magna licet in opinionum varietate positæ sint in eam tanquam in communem hostem irruere, &c.* Si quicquid in buccam venit effutire idem est quod solidis rationibus thesin probare, nemo non tenetur dictis subtilis ingenii hominis subscribere. Cap. VI. & VII. de progressu paganismi & diversorum generum Deistis agit. Inter alia ait, postquam turpissima superstitio orbem veluti inundavisset, surrexisse quosdam ingenio non destitutos, qui cultum unius Numinis inculcarint. Hos vocat Deistas. Eorum in numero fuisse *Melchisedekum* & *Abrahamum*, homines pios quidem, sed simplices admodum; postremum respectu *Abrahami* vel ex eo patere, quod amicis suis circumcisionem injunxerit. Modernos Deistas, quos horrere videri vult Auctor, credere Deum de rebus humanis non magnopere esse sollicitum. Nescio igitur in quam classem Deistarum referendus sit Auctor noster. Veterum Deistarum pietatem laudat, at ita ut de

eorum ingenio abjecte sentiat; quippe qui multa sibi passi sint imponi rectæ rationis Decretis contraria. Impium igitur esset, hominem nonnisi illuminatissimæ scilicet rationis decreta audientem, in hanc classem referre. Modernos Deistas pro Epicureis habet, eosque a se procul esse jubet. Necesse est igitur ut eum inter Deistas Eclecticos referamus. Nam & in Deistarum eheu! familias irrepsit discordia. Si quis vero ea omnia legat, quæ in hoc libello futili continentur, forte ipsi injuriam non inferret, qui dicat, ipsum sanctissima quæque albis dentibus risisse, nullaque plane Numinis tactum fuisse reverentia. Quod uno alterove adhuc demonstrabimus Exemplo: Capite decimo impudenter divinam originem Religionis Judaicæ impugnat, atque a *Mose*, quem Deistam vocat & Impostorem, cuncta portenta renitente Numine esse efficta, calumniatur. Eundem *Mosen* ait in magia valde fuisse versatum, intellexisse Eum vires herbarum atque Botanicum fuisse; Secreta porro, si tanto Viro credas Chemiæ perspexit, & ope sulphuris, carbonis, & salis petræ phosphoros confecit. Astronomiæ insuper erat peritus, atque probe cognoverat tempus, quo maris fluxus & refluxus futurus esset: Poëta denique eximius fuerat, peritus scilicet Delphinum sylvis appingere, fluctibus aprum. Mirabitur sine dubio Lector haud stupidus, unde homo noster heri aut nudius tertius natus, tam novas, & prodigiosas acceperit narrationes, cum nos in Annalibus talia non reperiamus. Ego conjecturam meam salvo tamen meliore judicio in medium proferam. Nimirum fundamenti loco ponendum est Veteris Testamenti Exemplaria pleraque mirum in modum fuisse corrupta, atque truncata, alia vero eaque numero pauciſſima intacta mansisse: hoc posito immoto fundamento facilis erit nodi solutio. Nimirum ad nos, id est Christianorum vilissimam partem, nonnisi corrupta exemplaria, quæ nostra est infelicitas! pervenerunt, pauciſſima vero illa & rariſſima Manuscripta, quæ intacta manserunt, in Insula *Anticyra* reperta, & postea *Bibliothecæ Acherontii severi* illata sunt, atque tanquam pretiosus thesaurus, uti merebantur, religiosissime custodita. Quum autem pii quidam Viri e re totius generis humani esse viderent, ut vera, & antiqua lectio cunctis innotesceret, pretiumque librorum illorum omnibus, qui quidem aliquo veri cernendi arderent desiderio, ostenderetur, fragmenta quædam ad Historiam rerum *Mosis* tempore gestarum facientium ex *Manuscriptis* illis cum Eruditis communicarunt, ex quibus manifestum jam quidem est, & sole meridiano clarius, *Mosen* fuisse magnum *Geometram*, *Astronomum*,

mum, Chemicum, Botanicum & Poëtam, & ope harum disciplinarum efficere potuit, ut tot millia hominum crederent, miracula maxima ab eo fuisse facta. Hæc, ni fallit opinio, Mysterii hujus est solutio. Simili ratione i. e. risu, & indignatione excipit impudentem nostrum Histrionem Cl. *Moshemius*, quando Eum ope Chemiæ quædam miracula patrasse refert. Digna sunt verba ejus, quæ & hic legantur. *Mosen inquit*, (pag. 16. sq.) *Vatum omnium maximum, nemo forte post natos homines amentius & malitiosius aggressus est, quam novus hic ex castris disputator. Refugit animus, & formidat dicere, quæ impudentissime effutit; sed unum tamen, quod cum immane, tum perridiculum est, referam. Peritissimum Chemiæ Mosen fuisse, huicque arti, quæ nitro, sulphure & carbonibus, scienter temperatis, multa facere docet, quæ mirabilia populo videntur, miracula ejus potiora accepta esse referenda, perhibet. Hoc nisi est stulte sapere, equidem quanam in re vocabulum hoc poni debeat, nescio. Fuit sine dubio id ipsi potissimum in animo, hæc quum improbe effunderet, quod contigisse accepimus, quum lex populo hebræo de vertice montis Sinai a Deo ferretur. Contremiscebat tum cœlum fulminibus, atra nubes montem tegebat, vehemens sonus, buccinæ cantui similis, audiebatur, totus mons, quem amplissimum esse novimus, ignem, fumumque spirabat, ab imisque radicibus commovebatur. Exod. XIX. 15. 18. 19. Sexcentorum millium exercitus oculis, auribusque cuncta hæc excipiebat, adeoque illis perterrebatur, ut trepidus fugeret, legemque mallet quamcunque, duram licet & difficilem, suscipere, quam terribilis hujus prodigii metu diutius enecari. Tantæ res si proficisci possunt ab illis, qui Chymiæ mysteriis initiati sunt, vimque nitri, sulphuris & carbonum callent, equidem quid sit ignoro, cur ex hoc genere præter Mosen nullus tam illustri spectaculo gloriam sibi & auctoritatem inter homines comparare noluerit, & ad hæc usque tempora nolit, quibus ad summum pœne gradum perfectionis hæc ars pervenit. Sed dignum hoc est, milite sub pellibus dormiente, qui ruinas urbium, nitri, carbonum & sulphuris virtute concussarum sæpe spectavit, somnium. Solent nimirum hominibus artis, quam didicerunt, imagines ante oculos versari, tametsi de rebus tota inde natura remotis disputent: Utque nauta nil nisi ventos & procellas, ita miles, gladios, tela pulveremque bellicum fine fine narrat. Nec idcirco, si acrius instes dubito, quin ingenue contendat heros noster, Mosen catapultam in monte Sinai instruxisse, globosque igneos hinc ut pyrobolarii solent, in subjectos campos jaculatum esse, imo primum pulveris illius nitrati, qui tantas in bello strages edit, inventorem esse.* Ita vere & acute Cel. Vir. Hoc unum hic moneo, ea quæ ab Auctore hujus impiæ fabulæ de effectibus miris, Chemiæ

miæ ope editis narrat, non ex cerebro proprio excogitasse, sed ejusdem fidei Socios secutum. Memini enim me in Jacobi *Masse*, cujus verus Auctor est *Tyssotus* Medicus, Itinerario, & in Historia *Severambum* talia legisse. Solent enim subtilissimi illi viri, non minus quam alii, Antecedentium turbam sequi. Lib. III. pag. 97. sq. non minus stulta & impia simul extat narratio de fide Christianorum in Jesum crucifixum. Impudentissimus homo adserit, Christum excitata inter Judæos & Gentiles discordia, utriusque partis iram in se provocasse, adeo ut in vulgus sparsum fuerit, Eum morti fuisse traditum. Cum autem alii, inter quos eminuerit Paulus, ipsum vivere probe & pulchre novissent, pro Auctoritate Ipsius pugnasse; destructis tandem Hierosolymis, multos eo adductos, ut crediderint, Eum vere mortuum & in vitam fuisse revocatum, sed deceptos eos esse, quoniam teste *Basilide* & sequacibus, alius Christi loco mortem subierit; Ludere igitur Christianos quando ipsum vivere & mortuum tamen, præsentem & absentem esse dicant. Quis neget hæc perquam esse παραδοξα, & propterea valde sublimia. Video me non sine causa conjecisse, doctissimos hosce Viros instructos esse Manuscriptis rarissimis & a nemine hactenus nisi intimæ admissionis viris, inspectis. Optandum igitur tandem esset, ut hæc in publicam protraherentur lucem. Sunt enim & inter nos quidam Increduli, quorum dubiis & impudentiæ consulendum esset. Mitto plura alia ejusdem commatis impia & inepta commenta, quibus Religionis christianæ dignitati voluit detrahere. Ex hisce Exemplis mea opinione Thesis nostra in Antecedentibus posita satis superque est confirmata, quod nimirum plerique Increduli soleant Religionem christianam ob quædam captu difficilia dogmata rejicere: simul tamen subscribere opinionibus, quæ cum iis, quas aversantur, sententiis certitudine nonsolum conferri non possunt, sed & quæ ineptæ plane, futiles, & ab omni veri specie abhorreant. Ex quo per legitimæ consequentiæ leges sequitur, Ejusmodi homines non amore veritatis, sed pravorum affectuum, ambitionis cum primis & superbiæ studio commotos & abreptos, ad tam portentosas opiniones proferendas & tuendas inductos fuisse & adhuc induci. Coronidis loco apponimus Epigramma Celeb. *Werenfelsii*, quod dissertationi suæ adversus carnalem securitatem *contra Profanos* subjecit, atque ita sonat:

Erige nunc cristas & in impietate superbi:
Et præ te stupidos, quoslibet esse puta.
Vis posthac, vis jure pios ridere, Profane,
Ipse tibi sanum synciput esse proba.

MEDI-

MEDITATIONIS DE CAUSIS MAGIS MAGISQUE INVALESCENTIS INCREDULITATIS, ET MEDELA HUIC MALO ADHIBENDA.

PARS V.

Sect. I.

Ostenditur nexus hujus dissertationis cum Antecedentibus.

REcensuimus hactenus in dissertationibus nostris de causis magis magisque invalescentis Incredulitatis, potissimas causas, quæ ex ipsius mentis corruptæ statu, pravisque inprimis affectibus oriri solent, thesinque nostram inductione Exemplorum cum antiquiorum, tum recentiorum *Incredulorum* probavimus & amplificavimus. Necesse autem putavimus, ut exemplis pluribus ostenderetur, optima sæpe ingenia, & magna, si rectius sapuissent, exempla datura, ambitione potissimum, & ardenti studio inclarescendi, fuisse corrupta, quoniam Increduli, pro meris exaggerationibus, argumentisque ab invidia petitis venditant, quæ a Viris doctis, Theologis præsertim, de hoc argumento dici solent. Eum igitur in finem cum ex indole & natura sententiarum, & opinionum, quas quidam Increduli, famam inter suos Eruditionis & ingenii nacti, tum ex methodo eas propugnandi, & defendendi demonstrandum erat, nullam posse dari magis probabilem causam, tam ardentis studii, portentosas & insolitas, Religionique naturali & revelatæ, Societati denique civili noxias opiniones tuendi, quam vero pravos animorum, quibus vehementer dediti sunt, affectus. Quando vero mihi notum satis atque perspectum est, incredulos plerosque alta voce

clamare, injuriam sibi fieri, quando contendimus, eos non studio veri, sed vel Eruditionis ostentandæ, & famæ consequendæ, vel vitiorum denique amore inductos fuisse, ad has vel illas opiniones in lucem proferendas, & defendendas: sed in Religionis potius sive naturalis, sive revelatæ articulis, quos impugnant, rationes instituti sui quærendas esse, necesse esset, ut hic partim modum, quo sese defendere volunt, examinaremus: partim vero generalia illa, uti appellare solent, *præjudicia*, quæ impediant, quo minus cum cæteris mortalibus de gravissimis Religionis capitibus consentire possint, adduceremus, & ad rectæ rationis & veritatis normam exigeremus. Cum vero ordo tractationis nostræ postulet, ut adductis causis *Internis* Incredulitatis, *externas* i. e. *Educationem*, *Institutionem pravam* &c. adjungamus, manifestumque sit, causas externas mirum in modum confirmare internas, maluimus reliqua omnia, quæ homines in Incredulitatem conjicere possunt, prius adducere, & hoc demum facto, paulo propius dispicere, quibus rationibus probent Increduli, sese æquissimas habere rationes, præcipua Religionis capita impugnandi, & a cæteris christianis omnibus dissentiendi.

Infans in dias luminis auras prodiens, in maxima, ut aliarum rerum, sic earum potissimum, quæ ad Religionem spectant, versatur ignorantia.

II. Antequam de *Educatione prava*, quæ, ut ex sequentibus patebit, non postrema inter alias causa est, quæ Homines in Incredulitatis vitium præcipites dare solet, agamus, videndum est, quo in statu sint homines, cum nascuntur, tum corporis, cum vero potissimum mentis respectu. Norunt autem omnes, qui ad nativitatem hominum attendunt, Infantes nudo & imbecillo corpore, viribusque ad se juvandos destitutos plane, in lucem prodire, adeo ut sine aliorum cura, & providentia mox perituri essent. Non possum statum eorum significantioribus exprimere verbis, quam quibus est usus Ill. *Puffendorfius Lib. de Off. Hom.* & *Civis* I. cap. III. *In eo* (inquit) *præ brutis homo deteriore jam conditione videtur, quod vix ullum aliud animal tanta a nativitate imbecillitas prosequatur; sic, ut miraculi instar sit futurum, si quis ad maturam ætatem pervenerit, nisi aliorum hominum auxilium accedat. Quum nunc inter tot inventa humanæ necessitatis adminicula, plurium annorum solicita informatio requiratur, ut proprio quis marte victum & amictum sibi parare queat: fingamus hominem citra omnem ab aliis hominibus accedentem curam & culturam ad robustam ætatem profectum, cui nihil sit scientiæ, nisi quod ex proprio ingenio velut ultro pullulavit, eundemque ab omni aliorum hominum ope atque consortio in solitudine destitutum, sane vix miserabilius animal deprehendetur; elingue nimirum ac*

nudum

nudum, cui nihil aliud relictum quam herbas radicesve vellere, aut sponte natos fructus legere, sitim fonte, flumine ac lacuna obvia levare, repellendis aëris injuriis antra subire, aut musco gramineve corpus utcunque tegere, tempus tædiosissimum per otium exigere, ad quemvis strepitum, aut alterius animantis occursum exhorrescere, denique fame, frigore, aut per feram bestiam perire. Ita *Puffendorfius.* Neque morantur nos hic ficta Exempla hominum αὐτοδιδακτων (qualis v. gr. erat Arabs ille, cujus vitam & facta *Celeb. Pokokius* latine & arabice exhibuit) qui naturali ingenii bonitate instructi, nullorum aliorum ope omnia ea excogitasse & proprio marte addidicisse dicuntur, quæ ad vitam hanc bene, beateque transigendam facere possunt: nullibi enim nisi in cerebro quorundam virorum eruditorum existunt tales Homines. Hoc certum, & continua experientia confirmatum est, Infantes nuper natos, præter confusas quasdam perceptiones & sensationes omni cognitione esse destitutos. Nulla etiam in illis perspicua cognitionis rerum ad Religionem spectantium animadvertuntur vestigia, sed Religionis principia ipsis sunt instillanda, infigenda & inculcanda. Quod ipsum non sine magna molestia, industria, & arte fieri, norunt omnes, qui juventuti formandæ unquam per vitam vacarunt. Novi quidem dari multos Theologos, & Philosophos, qui existiment, dari innatas quasdam, quas κοινας ἐννοιας vocant, sive insitas rerum, & in primo ipsorum ortu quasi consignatas in animis nostris notiones, principia item theoretica & practica de primis Religionis naturalis Elementis. De quo tamen argumento heic ex professo disputare nolim, cum quod potius ad aliam spectet hæc διασκεψις disciplinam; tum quod respectu necessitatis bonæ Educationis & Institutionis, de quo potissimum argumento in hac dissertatione agere volumus, perinde sit, utrum ejusmodi ideas innatas de rebus divinis statuas nec ne. Quoniam vero quæstio est non plane ab hoc loco aliena, & ad Scripturam Sacram provocent Viri docti, qui hanc sententiam tuentur, missis subtilioribus disquisitionibus, quæ ex disciplinis philosophicis petuntur, expendam duntaxat loca scripturæ, quæ ad thesin hanc probandam adferri solent. Sunt autem potissimum duo notissima loca *Pauli* nimirum *ad Rom. cap. I. v. 19. 20.* & *cap. II. v. 14. 15.* in priore loco το γνωςον τȣ θεȣ *gentilibus notum* esse dicitur; in posteriore vero το ἐργον τȣ νομȣ; vel τον νομον γραπτον εἰναι ἐν ταις καρδιαις eorundem, asseritur. Contendimus autem nos, hæc loca non ita esse comparata, ut probent, menti ante omnem reflexionem, ratiocinationem & institutionem, actu ipso principia Theo-

logiæ Naturalis cum theoretica, tum practica continuo præsentia esse. Rationes ex adductis textibus ipsis desumtæ, sequentes sunt. *Primo* nemo inficias iverit, agere Paulum in duobus illis capitibus de Adultis potissimum inter gentiles, non vero de Infantibus ipsis, quod ex inductione gravissimorum & turpissimorum scelerum, quibus eos immersos fuisse ostendit Apostolus, clarissime patet. Unde etiam facile colligi potest, Eum, dum ipsos graviter increpat, quod adversus conscientiæ dictamen & notitiam legis naturalis, qua imbuti fuerant, turpiter peccarint, intelligere cognitionem totius legis naturalis, non vero idearum quarundam valde obscurarum, quas ante omnem reflexionem & institutionem, forte habere potuissent. Hinc & sunt viri docti, qui per το γνωστον τε Θεε, non solum illud quod de Deo cognosci *potest*, sed & id, quod de Eodem cognosci *oportet*, quantum quidem vires rationis solius concedunt, intelligi volunt. Inter Reformatos Theologos hæc verba ita interpretatus est B. *Bullingerus* (*) ad h. l. & *Celeb. Interpretes Berolinenses*, quam etiam interpretationem denuo urget ὁ μαναριτης Cl. *Beausobre* in novis *observat. Hist. Crit.* ad varia loca N. Testamenti adjectis. Quis autem stante hac interpretatione dicet, Infantes omnes, in utero materno comprehensos, ea omnia quæ de lege naturali, ope meditationis & institutionis, cognosci possunt, perspecta habuisse? *Secundo* Apostolus ipse v. 20. ostendit satis perspicue, unde cognitionem Numinis hauserint Gentiles, revelationis luce destituti. ait enim, invisibiles Dei virtutes, & perfectiones perspici τοις ποιημασι, i. e. ope rerum conditarum. Verba enim ποιειν, & ποιημα, uti recte ad h. l. notat *Celeb. Wolfius*, a sacris & profanis Scriptoribus generatim de operibus divinis, per creationem productis, adhiberi solent. Apostolus igitur hic sapientissime argumentatur, ut in scholis loqui solemus, a *posteriore*, i. e. a contemplatione rerum conditarum, earum pulchritudine, finibus & usu: quæ argumentandi ratio omnium est ingeniis attemperata, majoremque in plerorumque hominum animos habet vim, quam subtilissimæ ratiocinationes metaphysicæ. Multis contra exceptionibus obnoxium fuisset argumentum ab ideis de Deo innа-

(*) Verba B. Viri ita sonant. *Veritas autem Apostolo ipse Deus est & religio vera, sicuti injustitia superstitio. Gentes ergo veram religionem sua superstitione adulterarunt. Et ne quid ancipitis vel obscuri verbis subesset, per interpretationem addit. Propterea quod illud Dei cognobile illi manifestum est*, i. e. *quod veritatem a Gentibus corruptam dico, propterea dico quod το γνωστον*, i. e. *illud Dei cognobile, nimirum quod de Deo sciri & cognosci potest, quantum denique NB. homini sat est, illis manifestum est.*

innatis petitum. Potuissent enim Gentiles respondere, se ignaros plane esse earum rerum, quæ nondum natis, animis fuerint obversatæ, ut alia taceam. Hic vero provocat ad ea, quæ a nemine, qui non plane obbrutuerit, in dubium vocari posset. Adde quod præstantissimi inter ipsos Gentiles fuerint confessi, quod ex universi contemplatione, Deum, alioquin invisibilem, cognoverint. Quo ipso satis confirmatur Apostoli argumentatio. Juvat unum alterumve adduxisse locum. *Socrates* apud *Xenoph.* Απομνημονευμ. pag. m. 505. secundum versionem *Bessarionis* ita de hoc argumento loquitur: *Quod igitur Dii sint, hominumque habeant curam, tu quoque Euthydeme cognosces, si non exspectes quousque Deorum videris formas. Satis namque erit opera eorum considerando colere, atque honorare eos. Cogita autem quod ipsi etiam Dii eo modo se nobis ostendunt. Nam & cæteri Dii cum omnia nobis bona præbeant, nihil horum tamen nobis palam visi largiuntur. Ille quoque, qui totum orbem ordinat, atque continet, in quo omnia bona, honestaque sunt, quique cum semper iis utamur, semper nihilominus recentia, sana & immortalia ea nobis dat citius, quam homo cogitet, & absque defectu nobis administrat: hic maxima quidem intelligitur operans hoc vero totum gubernans, invisibilis etiam est. Hominis etiam anima, siquid aliud humanum, natura divina participat. Nam illam in nobis dominari manifestum est, videtur autem minime. Quæ cum quis consideret, non negligat invisibilia opportet, sed* ἐκ των γινομενων την δυναμιν αὐτων καταμανθανοτα, *ex illis quæ fiunt, potentia eorum cognita, honorare Deos prosequatur.* Ita *Socrates.* Plane similem in modum pronuntiat *Epictetus* apud *Arrianum* pluribus in locis: unus omnium loco sufficiat qui extat Lib. I. Cap. VI. pag. m. 96. sq. Edit. *Cantabrig. Ex singulis* (inquit Philosophus juxta versionem H. *Wolfii*) *quæ in mundo fiunt rebus, Providentia laudari facile potest, si cui duo hæc insunt: unum, facultas naturam cujusque rei perspiciendi: alterum gratus animus. Nam alioqui vel utilitates multiplices rerum conditarum non intelliget, vel gratiam pro iis non habebit. Si colores fecisset Deus, vim autem eorum contemplatricem non fecisset: quænam esset eorum utilitas? Nulla prorsus. Rursus si vim illam fecisset, naturam autem rerum non talem, ut sub vim illam perspiciendi caderet, quæ sic etiam esset ejus utilitas? Nulla penitus. Quid vero si utrumque sic fecisset? Ne sic quidem ulla ejus esset utilitas. Quis ergo est, qui hoc cum illo, & illud cum hoc coagmentarit? Quis est qui gladio vaginam aptarit, & vaginæ gladium? Nemone? atqui ex ipsa rerum perfectarum structura pronuntiare solemus, omnino artificis alicujus eas esse opus. Itane hæc singula artificem*

suum demonstrant, res autem respectabiles, & aspectus, & lux, non demonstrant? Itane mas & fœmina, & utriusque ad coitum alacritas, & partibus ad eam rem destinatis utendi facultas: Ne hæc quidem Artificem demonstrant? At hæc quidem Eum demonstrant: talis autem ratio cogitationis, ut non simpliciter rerum sensilium formæ nobis imprimantur, sed ea vi prædita, ut etiam inde aliquid colligamus, & abstrahamus, ut sensu perceptis rebus aliquid adjungamus, & quædam per ea componamus, atque adeo transeamus ab aliis ad alia bisce finitima: ne hæc quidem permovere possunt aliquos eoque verecundiæ adigere, ne artificem deserant? Explicent ergo nobis quid illud sit, quod hæc singula peragat? aut qui fieri possit, ut res tam mirabiles, & artificiosæ temere ac fortuito extiterint? Et paucis interjectis: Quæ est ergo animantis cujusque ratio & quasi fabrica? Aliud eo destinatum est ut sit esui, aliud ut rei rusticæ sit utile, aliud ut aliam consimilem habeat utilitatem. Quas ad res quid opus est intelligere visa, eaque discernere? Hominem autem NB. *in vitam introduxit Deus, ut spectatorem tum sui, tum operum suorum: nec spectatorem duntaxat eorum sed & explicatorem. Quare homini turpe est, inde & auspicari & ibi desinere, ubi brutæ animantes: imo potius inde auspicandum est: sed ibi desinendum, ubi & natura in nobis desiit. Desiit autem in contemplatione, atque intelligentia, & totius vitæ ratione naturæ convenienti. Proinde videte ne spectaculi hujus expertes moriamini. Ad Olympia quidem proficiscimini, ut Phidiæ aliquod opus videatis, & in malis quisque suis numerat, si illis non visis moriatur. Ad ea vero opera spectanda & intelligenda, ubi nulla peregrinatione est opus, quæ jam adsunt, quæque præsto atque in promtu sunt, non avide confluetis? Non tandem intelligetis, neque qui sitis, neque cur nati sitis; neque etiam quid illud sit, cujus spectandi vobis copia data est?* Eadem ratione argumentatur *Cicero de N. D.* Lib. II. cap. 5. dicens: *Si quis in domum aliquam aut in Gymnasium aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare; sed esse aliquem intelligat, qui præsit, & cui pareatur. Multo magis in tantis motibus tantisque vicissitudinibus tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa & infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos Naturæ motus gubernari.* Et Lib. I. de legibus cap. 23. ait: *Idem animus cum cœlum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, ipsumque ea moderantem & regentem* NB. *pœne prehenderit,* quæ ultima verba plane conveniunt cum voce ψηλαφίσαιθαι qua Paulus Act. XVII, 27. in simili argumento occupatus, utitur. Vide interpretes

pretes ad h. l. Omitto plura alia consimilia Gentilium testimonia, quæ adducere facile possem. Ex hisce adductis locis præstantissimorum, quos habuit Gentilitas virorum, patet, Eosdem plane eodem, ac id ab Apostolo factum est modo, existentiam Numinis optimi & præstantissimi, Ejus perfectiones & providam curam comprobare solitos fuisse. Nulla igitur necessitas nos cogit, ut Apostoli verba ad Eorum interpretemur mentem, qui innatas quasdam de Deo rebusque divinis statuunt ideas. 3) Idem probatur ex eo, quod S. Litteræ passim, ut *Deut. I: 39. Esaj. VII: 14, 15, 16. Jonæ Cap. IV:* 11. testentur, infantes *bonum* a *malo distinguere non posse*, qua phrasi significatur, eos aut in ignorantia omnium plane rerum versari, aut saltem nulla plane boni & mali moralis notitia esse instructos. Priorem verborum interpretationem tuetur Lud. *Cappellus* in *Notis criticis ad Genes.* Genes. III. v. 5. verba ita sonant: *Eritis sicut Angeli, scientes bonum & malum; hoc est, omnia: nam phrasi ista* BONUM ET MALUM *intelliguntur omnia, nihil enim omnino est, quod non sit vel bonum vel malum, omnia omnino sub boni & mali complexu continentur. Hoc ergo vult Diabolus, fore ut esu hujus arboris consequatur homo cognitionem rerum omnium longe majorem, quam habebat tum, adeoque tantam, ut ea æquaret Angelos ipsos, quibus nil videtur esse ignotum, sed omnia sunt nota atque aperta. Confirmari posse videtur hæc explicatio ex verbis fœminæ Tekoitidis ad Davidem 2. Sam. XIV:* 17. *Similis est Dominus meus Angelo Dei* לשמע חטוב והרע *ut audiat, hoc est qui intelligat bonum & malum: Hoc nempe vult illa fœmina: Sapientissimus & prudentissimus es, & pene ipsis Angelis par, nihil est tibi ignotum, omnia nosti, facile quid mihi hac oratione velim deprehendis, non est opus ut apertius tibi explicem mentem meam, satis eam per te capis. Idem paulo inferius vers.* 20. *aliis verbis exprimit, quibus manifestum est phrasi ista, bonum & malum significari idem quod* OMNIA: *sic enim illa: Dominus meus sapiens est instar Angeli Dei* את כל אשר בארץ לדעת *ad cognoscendum quicquid est in terra. Perspicuum enim his verbis idem significari quod superius significarat istis* לשמע חטוב והרע. *Deinde eadem illa phrasis bonum & malum cum adjuncta negatione idem significat quod Nihil: ut cum capite præcedente dicitur, quod Absolom fratri suo Amnoni non locutus sit* למרע ועד טוב *a bono usque ad malum; hoc est omnino non.* Et Genes. XXXI. 29. *Deus Labani loquens, Cave inquit, ne loquaris cum Jacobo* וטוב עד רע *a bono usque ad malum, hoc est, ut nihil omnino durum & molestum ei objicias.* Hactenus Celeb. *Cappellus.* In eandem fere inclinat Sententiam *Vitringa* in *Comment. ad Esaj.* cap. VII.

VII. v. 15. qui *illud scire malum & eligere bonum*, de *ætate* ut vulgo dicitur *discretionis* sumit, & ad *Grotii* notas ad Deut. I. v. 39. provocat, quo loco verba: & *filii, qui hodie boni ac mali ignorant distantiam*, ita παραφραζει Illustris Vir: *Hoc est quod in Jona dicitur: qui nesciunt, quid sit inter dextram & sinistram: Homerus* Odyss. Υ.

\- - εἰδα ἑκαστα
Ἐσθλα τε και τα χερεια. πορος τε τι νηπιος ἠα

ætas adultior dicitur ea, quæ novit malum rejicere, bonum vero eligere Esaj. VII. v. 14, 15, 16. Luculentius adhuc sententiam suam de hac phrasi exponit jamjam citatus *Vitringa observat. S. Lib. IV.* cap. XII. pag. m. 1046. dicens: *Scire, sive cognoscere bonum & malum stylo biblico notat boni & mali, recti & pravi naturam cognitam & exploratam habere & judicium secundum illam notitiæ facem sic componere, ut quis bonum eligat, malum vitet, bono adhæreat, & a malo se quam longissime separet. Hanc utique & non aliam admittit Interpretationem in Cap. III. in sermone Diaboli ad mulierem. Nam novit Deus quo die comederitis apertum iri oculos vestros, & vos futuros ut Deos, cognoscentes bonum & malum.* Et paucis interjectis: *En clarissimum locum Deut. I. 39. in quo uno hanc phrasin præter loca modo allegata notavi. Et quod attinet ad parvulos vestros de quibus dixistis spolio erunt, & filios vestros qui hodie non cognoscunt bonum & malum: utique boni ac mali naturam cognoscere, & judicium suum secundum illam cognitionem ita dirigere, ut bonum eligas, & malum reprobes. Apud Esajam id eleganter sic* effertur; *scire reprobare malum & eligere bonum. Deus apud Jonam simili phrasi de Infantibus ait, illos inter dextram sinistramque nescire; i. e. nescire distinguere, & discernere judicio recto & libero.* Quod si secundum ipsum S. Literarum stylum & testimonia, Infantes in lucem editi in tanta versantur rerum omnium ignorantia, quis facile animum inducet ut credat, iisdem nondum natis, & in utero materno delitescentibus, cognita esse Theologiæ & Legis Naturalis prima & præcipua capita? quis talibus, qui se memores esse contenderent, eorum omnium, quæ in obscuro carcere conclusi animo versaviſſent, fidem habebit?

Ulterius idem probatur, & ad exceptiones Adversariorum respondetur.

III. Huic denique argumento addimus aliud, ex ipso Apostoli Pauli loco ad Romanos, ad quem provocant dissentientes, petitum. Ille enim v. 15. cap. II. testatur, ex eo patere, quod legis naturalis præcepta bene perspecta habeant Gentiles, quoniam actiones suas ad legem componere, atque dijudicare possint, utrum recte vel male egerint

rint. Quod sine dubio de adultis, aut saltem de iis, qui ut legis, sic Officiorum suorum & actionum notitiam sufficientem habent, atque adeo actionum suarum rationem reddere possunt, intellectum voluit, non vero de Infantibus utero materno inclusis. Certo ut quis eo officio, de quo Apostolus mentionem facit, rite defungatur, necesse est, ut legis, & officiorum indolem, atque naturam probe habeat perspectam; ut actionum suarum habito respectu ad scopum earum, & ad circumstantias probe sit conscius; ut denique judicium ferat candidum & sincerum. Quis vero talia fieri a nondum natis tuebitur? Sane quoties Scriptores Ethnici de officiis agunt, atque de lege, toties etiam ita loquuntur, ut manifestum plane sit, eos velle nonnisi adultæ ætatis homines iis teneri, aut eos saltem, qui per ætatem de iis rite edoceri possunt. Plurima ejusmodi de conscientiæ testimonio & judicio, Veterum Gentilium loca adducunt viri docti, *Grotius* ad loc. citatum Apostoli, *Gatakerus* in luculentis ad M. *Antoninum* observationibus, *Huetius* in *quæstionibus alnetanis*, aliique plures, quos veri cupidi adire possunt. Sed audiamus paucis, quæ contra interpretationem nostram a dissentientibus afferantur. Et *primo* quidem vehementer urgent verba Apostoli dicentis: το γνωςον τε Θεε φανερον ἐςιν ἐν ἀυτοις, quasi *illud* ἐν ἀυτοις, necessario insitas de Deo notiones probet. At præterquam quod particula ἐν ut alibi v. gr. *Matth.* XVI. 7. *Luc.* VIII. 5. denotare possit *inter*; respondeo sive illud ἐν ἀυτοις ad gentiles sive ad animos eorum referas, nil aliud denotat, quam hoc; *illis manifestum est; hoc probe perspectum habent.* το γνωςον enim τε Θεε nil aliud, ut recte J. *Cappellus* ad h. locum notat, significat quam το φυσει γνωςον περι τε Θεε. quæritur autem unde cognitio illa orta sit. Si dicas eam esse innatam, ponis quod in quæstione est. Sed ais, additur tamen Θεος ἐφανερωσε. quasi vero Deus nulla alia ratione sese cognoscendum exhibere potuerit, quam per congenitas quasdam, & ab ipsa conceptione menti impressas ideas? Et si hoc sensu verba sumenda essent, cur ad τα ποιηματα provocat Apostolus infra? Contra Interpretatio nostra sponte fluit. Apostolus enim primo fundamenti loco ponit, quod id, quod de Deo per rationem cognosci possit, Gentilibus perspectum sit, Deo ipso nempe ipsis succurrente; deinde modum revelationis illius pandit, quando mox addit; τοις ποιημασι νοεμενα καθοραται; quod ipsum amplius explicat, quando ita ex iis, quæ in oculos incurrunt, deprehendi ait; ἀιδιον ἀυτε δυναμιν καὶ Θειοτητα. Excipiunt, cœlum, terram, aliasque res conditas & in sensus incurrentes,

nil habere simile ideæ, quam de Deo habere debemus, atque adeo cognitionem illam naturalem Numinis ex contemplatione rerum illarum oriri non posse. Respondeo I. cur ergo Apostolus provocat ad ποιηματα, probaturus dari aliquam de Deo cognitionem naturalem? II. Si argumentatio hæc dissentientium solida est, nil in posterum valebunt omnes Theologorum, & Philosophorum ex ordine finibusque rerum conditarum petitæ rationes; nullus Atheus convinci poterit de existentia Numinis, nisi admittat insitam de Deo ideam, i. e. nisi pro vero habeat quod sibi probandum esse postulat: Et cur quæso non licet ab effectu ad causam, ab ædificio ad artificem, a re contingente quidem, sed rite dispositа, ad causam intelligentem concludere? Et quid tandem dicendum esset de prophetis, Apostolis & Christo ipso, homines ad creaturarum contemplationem eo fine ablegantibus, ut ex ordine, magnitudine, usuque rerum creatarum discant virtutes Dei optimi, sapientissimi & potentissimi, cognoscere & deprædicare, si contemplatio hæc rerum conditarum nil conferre potest, ad Numinis attributa cognoscenda? Vide saltem *Psal.* XIX. 1. sq. *Job.* XII. 7-9. *Esaj.* I. 3. *Psal.* CIV. *Erem.* VIII. 7. Proverb. VI. 6. sq. Matth VI 26 &c.

III. Argumentum hoc dissentientium plus probat, quam quod probandum esset, adeoque nil probat. Si enim, ut alia argumenta ex principiis philosophicis petita omittam, id verum esset, sequeretur, omnium rerum ideas nobis esse innatas, quod non solum falsum, sed & contrarium est distinctioni adversariorum, quam faciunt inter ideas *innatas*, & *acquisitas*. Sed pergunt, atque inprimis urgent verba Apostoli v. 15. cap. II. ubi ait: το ἐργον τε νομε γραπτον ἐν ταις καρδιαις: ubi insistunt verbis γραπτον ἐιναι ἐν ταις καρδιαις. At quomodo firmiter hac phrasi colligatur, menti ante omnem ratiocinationem, reflexionem, & institutionem, innata esse legis naturalis capita, nondum deprehendere possum. Omnes fatentur, phrasin hanc proprio sensu sumi non posse. Improprie autem si intelligatur, nihil aliud denotare potest, quam *aliquid quod probe cognoscimus, & animo versamus; aliquid quod probe memoriæ obversatur.* Illustrarunt hanc phrasin *Viri Eruditissimi Grotius* ad h. caput, & ad 2. Corinth. cap. III 3. *Clericus Art. Crit.* part. II. Sect. I. cap. IV. *Fabricius* in notis ad *Codicem Apokryphum N. Test.* Interpretes ad D. *Laërtium*, *Puffendorfius* in Apologia, aliique. Quædam duntaxat exempla, speciminis loco, a Viris illis doctis collecta, adducam, ut pateat, aliam significationem phrasin illam admittere non posse. *Cicero Acad. quæst.* Lib. II. cap. I. mentionem faciens felicis

cis memoriæ L. *Luculli*, ait: *Ut Literis consignamus, quæ monumentis mandare volumus: sic ille in animo suo res insculptas habebat.* Seneca in præfat. Lib. I. Cont. ubi de *Porcio Latrone*: *In eo non tantum naturalis memoriæ felicitas erat, sed ars summa, & ad adprehendenda quæ tenere debebat, & ad custodienda: adeo ut omnes declamationes suas quascunque dixerat, teneret. Jam itaque supervacuos sibi fecerat codices ajebat se* scribere in animo. Similiter Græci. *Antisthenes* apud *Laërt:* familiari commentariorum jacturam deflenti: ἐδει γαρ, ἐφη ἐν τη ψυχη ἀυτα, κὴ μη εν ταις χαρταις γραφειν, *atqui oportebat ea in animo, non in chartis scribere.* *Æschilius* in *Prometheo vincto* ita *Prometheum* adloquentem *Jonem* inducit v. 762.

\- - - πολυδονον πλανην φρασω
ἡν ἐγγραφε συ μνημοσιν δελτοις φρενων

vagum errorem dicam, quem tu scribe in memoribus tabulis mentis. Adducit ad hoc caput Pauli ad Romanos Celeb. *Wolfius* locum *Juliani*, ex *Orat. VII.* citatum a Cl. *Bos.* in *Exercitat: suis*, ex quo patere existimat ὁ μακαριτης, phrasin inscriptum animo, plus significare, quam memoria tantum tenere, probe perspectum habere. Locus *Juliani* ita sonat. Ἀλλα κὴ τας ἐκ Θεων ἡμιν ὡσπερ ἐγγραφεντας (νομους) ταις ψυχαις, ὑφ ὡν παντες ἀδιδακτως εἰναι Θειον τι πεπεισμεθα: i. e. *sed etiam leges a Diis nobis quasi inscriptas animis, a quibus omnes absque Doctore persuasi sumus, esse aliquod Numen.* At velim hic attendi, *Julianum* usurpare vocem *quasi inscriptum*, neque adeo directe το scribere in animo ita explicatur; ex sequentibus vero phrasibus patet, denotari cognitionem, quæ sola duce ratione, sine operosa Institutione fieri potest. At hoc non pugnat cum sententia eorum, qui dicunt, omnes homines adhibita mediocri attentione, & contemplatione rerum conditarum, facile de existentia sapientissimi Numinis persuasos esse posse. Quando igitur *Julianus* dicit, inscriptum quasi animo esse, dari Numen, nihil aliud vult, quam hoc; eam esse veritatis hujus naturam, ut facile possit cognosci. Hebræi ipsi hac phrasi hoc sensu utuntur: ita Proverb. III. v. 3. *Solomon* ait: *Benignitas & fides ne te deserant;* eas *vincito gutturi tuo* כתבם על לוח לבך, *inscribito tabulis cordis tui*, i. e. altissime animo infige, præceptorumque istorum esto semper memor. Ita quando *Jerem.* Cap. XXXI. 33. promittit Deus fidelibus N. Testamenti, se copiosam Mysteriorum Evangelii notitiam daturum, inter alia etiam dicit, se cordibus eorum *legem inscripturum*, i. e. effecturum gratia sua,

ut nonsolum longe *clarius*, quam fideles Veteris Testamenti, disciplinam Christi sint cognituri, sed & ex ejus seria meditatione singularem voluptatem percepturi & ardentissime sanctimoniæ studio operam sint navaturi. Quamvis autem hæc phrasis hoc in loco ampliorem potestatem habeat, si ad rem significatam attendamus, non tamen illa notio primaria *inscriptionis legis in cor*, suam amittit consuetam & receptam significationem. Quando enim Deus dicitur inscribere legem cordi, sine dubio ante omnia significat, sese effecturum, ut fideles habeant *cognitionem excellentiorem doctrinæ gratiæ*; hæc enim si deesset, sanctitatis studium fructus edere salutares non posset. Ex quo patet, phrasin semper servare suam significationem, nimirum *efficere, ut aliquid probe cognoscatur.* Hinc Theologi nostri quando de bonis N. Testamenti ex professo agunt, inter ea referunt ampliorem Mysteriorum Evangelii cognitionem, & ad hunc locum provocant, præeunte *Apostolo Paulo* ad *Hebr.* cap. VIII. v. 10. Cl. *Coccejus* verba *Jeremiæ* breviter ita παραφραζει: *faciam ut legem meam recipiant, ea delectentur, & ejus non obliviscantur.* Ad locum vero ad Rom. II. ait: Cæterum, *inscriptum esse in cordibus*, hic tantum significat notitiam. Vide etiam Cl. nostrum *Heideggerum Corp. Theol.* Loc. XX. Thes. 47. *Gürtlerum Institut. Theol.* cap. XXXIII. Thes. XXXV. ut alios mittam. Ex adductis locis satis superque ni fallor patere videtur, quænam sit vera phraseos, *inscribere cordi*, vel *cordi inscriptum esse*, significatio. Quod si itaque phrasin hanc applicemus loco Pauli, manifestum erit, Pauli mentem esse, Deum humanum genus iis facultatibus exornasse, ut sine magna molestia aut abstrusis & difficilibus ratiocinationibus homines possint cognoscere, dari Numen sapientissimum, optimum, potentissimum, quod omnes teneantur colere, atque ad ipsius voluntatem actiones suas componere: aut si quis mavult *Puffendorfii* loci hujus interpretationem, quæ extat *Apologiæ suæ* p. 35. admittere, sensus est: *Legis naturalis cognitionem ex dictamine rationis haustam, ita firmiter animis Gentilium impressam, eosdemque tam evidenter de ejus certitudine fuisse convictos, ut nunquam eandem excutere potuerint, si vel maxime ad sopiendas conscientiæ vellicationes, illas plane animo ejicere conati essent.* Quidam Theologi, v. gr. ὁ μακαριτης Cl. *Buddeus*, *Museum*, aliosque secutus *Theol. Moral.* Part. II. pag. 399. innatas de Deo ideas ex mente *Cartesii* admittere nolentes, neque tamen eorum accessuri sententiæ, qui sensationis, reflexionis, & institutionis ope cognitionem legis naturalis adquiri contendunt, ad nescio quam *propensionem*, vel ut Cl. *Bud-*

Buddeus loqui solet, ad *notitiam quandam potentialem* confugiunt, qua homo, qui ad rationis usum pervenit, mediante inspectione suæ naturæ, viribusque intellectus adjutus, facillimo negotio, potentia proxima notitiam juris Naturæ adquirere possit. At ego primo nego dari aliquod tertium inter *notitiam insitam* & *adquisitam*. Secundo potentialis illa notitia nihil aliud esset, quam propensio omnibus illis assentiendi, quorum perspicua menti observatur cognitio, quod quæstioni, de qua agitur, plane nullam adfert lucem, quandoquidem ne ipsi quidem adversarii, id est illi, qui congenitas ejusmodi de lege naturali ideas dari inficiantur, negant, homines, quamprimum incipiunt res quasvis perpendere, ope sensationis, & meditationis, ad cognitionem legis Naturalis pervenire posse. Hinc *Eruditissimus Barbeyracius præfat. op. Puffendorfii præmissæ*, Sect. IV. hujus opinionis *Buddei* mentionem injiciens, recte ait: *C'est la rendre les armes, en même tems, qu'on fait mine d'attaquer une opinion.* Unde simul judicari potest, quid de iis sentiendum sit, qui dicunt, eos, qui negant congenitas illas legis naturalis ideas, Atheorum causæ patrocinari. Certe non sine censura sunt dimittendi. Quis v. gr. dicat Viros exquisitæ eruditionis, qui in præceptis legum Naturalium explicandis, elucidandis, & probandis singularem diligentiam collocarunt, v. gr. *Puffendorfium*, *Barbeyracium*, *Cumberlandium*, ut de multis Theologis doctissimis & præstantissimis nil dicam Atheis favere voluisse, omnem legem naturalem proscribentibus? unde jam jam laudatus *Barbeyracius*, *Scherlokium*, Virum alias præstantissimum, multisque scriptis editis inclytum, eandem cantilenam repetentem, acriter, & mea opinione jure, perstrinxit.(*) Ex

(*) Verba Viri docti in citata præfatione sic sonant: v. XIX. *Pour moi*, (inquit) *il me semble au contraire, & je ne suis pas le seul de cette opinion, que les Theologiens donnent eux-mêmes beaucoup de prise aux Athées, lorsque ne se contentant pas des preuves incontestables qu'on a des grandes veritès de la Religion & de la Morale, ils s'entêtent, par un zèle imprudent, de quelques raisons pour le moins fort douteuses, criant après cela que tout est perdu si on n'admet celles-ci, aussi bien que les premieres, Car enfin, sans entrer dans des raisons metaphysiques, fort incertains d'ordinaire, & dont il n'est pas d'ailleurs question dans une chose de fait; comment est-ce, que Monsieur Scherlok prouvera à un Athée, que malgré l'ignorance manifeste ou des Nations entières ont été, & sont encore aujourd'hui de certains Devoirs fondamentaux du Droit Nature, & la bizarrerie ou la diversité prodigieuse d'opinions qu'il y a eu de tout tems dans le monde en matière de Morale & de Religion; que malgré tout cela, dis-je, chacun a des idées innées de la Divinité, & de la vertu? Je ne vois pas qu'on puisse autrement repondre à cette difficulté, qu'en disant, que, comme les homm es sont naturellement pourvus des facultés suffisantes pour connoitre l'Autheur de leur existence, avec les Devoirs qu'il exige d'eux & pour*

dictis simul etiam colligi potest, neque *Socino* favere Viros doctos, qui contendunt, ex locis citatis Apostoli Pauli probari non posse, dari innatas de Deo, & lege naturali ideas; concedunt enim, imo firmissimis argumentis probant, dari generalia quædam Theologiæ Naturalis capita; eadem ope attentionis & meditationis a quolibet facile capi posse; & hoc ipsum Apostolum citatis duobus locis agere, ut ostendat, Gentiles gravissime peccasse, quod ad lucem illam non attenderint. *Socinus* vero in omnia alia abit, atque ea, quæ de cognitione Dei naturali monuerat Paulus, contorta interpretatione ad Evangelii rapit cognitionem. Verba *Socini* locum Apostoli cap. I. v. 20. interpretantis, ita sonant. *Sciendum est verba* a Creatione Mundi *debere conjungi cum verbo invisibilia. Ait igitur eo in loco Apostolus, æternam divinitatem Dei, id est quod nos Deus perpetuo facere vult* (divinitas *enim hoc sensu alibi quoque apud ipsum enuntiatur, ut Colossi. II. 9.*) *æternamque potentiam, vel promissiones quæ nunquam intercident* (*quo sensu paulo superius dixerat Evangelium esse potentiam Dei*) *hæc inquam, quæ nunquam postquam mundus creatus est, ab hominibus usa fuerant, & non fuerant eis cognita*, per opera, *hoc est, per mirabiles ipsius Dei, & divinorum hominum præsertim vero Christi & Apostolorum ejus, operationes perspecta fuisse.* Quis non videt, *Socinum* plane recedere ab eorum sententia, qui hic de cognitione naturalis legis agi contendunt? Vide autem quæ contra hanc interpretationem *Socini* monuere Theologi v. gr. *Pearsonius ad Symb. Apostol.* pag. m. 31. & contra *Catechismi Racoviensis* Auctorem eidem interpretationi subscribentem, Cl. *Oëderus* in refutat. hujus Catechismi pag. 65. fatendum tamen *Crellium* & *Schlichtingium* a *Socini* sententia discessisse.

Prava Educatio non postrema causa Increduli-

IV. Quicquid autem de hoc argumento sentias, & sive mentibus insculpta & congenita esse dicas prima Religionis rudimenta, sive contendas, eadem meditatione & institutione comparari, certum est, & ex-

pour se faire là-dessus des idées droites, ils peuvent aussi demeurer dans l'ignorance, ou tomber même dans l'erreur sur ce sujet, s'ils ne font pas un bon usage de leurs lumières; & cette reponse n'a rien que de trés-solide. Dieu ayant doué l'Homme des facultés de connoitre qu'il possede, n'étoit pas plus obligé par sa Bonté à graver dans son ame des notions innées de Religion & de Morale qu'à lui bâtir des ponts, ou des maisons, après lui avoir donné la raison, des mains & des materiaux. Alleguer donc l'abus que les Hommes font des lumières naturelles en matière de Morale, comme une preuve qu'il n'y a rien de certain là-dessus, c'est raisonner aussi pitoiablement que les Epicuriens, qui pour renverser la Religion, étalent tous les maux, tous les crimes, toutes les extravagances qu'enfante le faux zéle, ou la superstition, ou même l'Hypocrisie cachée sous le voile specieux de la pieté.

experientia confirmatum, Infantes recens in lucem editos, in ſuprema ut rerum omnium, ſic Religionis etiam verſari ignorantia, acque adeo ad Religionis naturam, atque indolem rite cognoſcendam, opus eſſe recta educatione & inſtitutione. Omnes certe, qui in cauſas ut Incredulitatis, ſic & Impietatis, malorum paſſim inter Chriſtianos graſſantium, inquiſiverunt diligentius, deprehenderunt, *Educationem pravam, inſtitutionem præpoſteram, & mala Exempla* inter ea eſſe referenda, quæ teneros animos corrumpere, & adverſus Religionis amorem obfirmare ſoleant. Vide quæ pie & prudenter, *ut de multis aliis taceam*, de hoc argumento diſſerit *Venerabilis Senex* (nunc cælitum choro adſcriptus) J. F. *Oſtervaldius*, Theologus præſtantiſſimus in libro bonæ frugis pleniſſimo, cui Titulus: *Source de la corruption, qui regne aujourd'hui parmi les Chrêtiens. part. I. cap. I. II. VII. part. II. cap. V.* & paſſim alibi. Aſtipulatus eſt huic Vir Eruditiſſimus, ὁ νυν ἐν ἁγιοις M. V. *la Croze, Entretiens ſur divers ſujets* &c. pag. 271. *Les dereglements* (inquit) *effroiables des hommes l'ont établie* (de Atheiſmo loquitur) *de toutes parts, & il ſemble qu'elle ſoit à preſent plus que jamais ſur le pié de s'augmenter de jour en jour, & de generation en generation. Les Parens enſeignent à leurs Enfans par leurs Exemples, ce qui fait qu'aucun age, & aucun ſexe, n'en ſont exemts. On eſt plus ſouvent élevé par des gens, en qui on ne voit aucun ombre de vertu: On les entend mentir par interêt, & par habitude, & malheureuſement on reçoit les premiers principes de la Religion de la bouche des gens, qui ne font aucun ſcrupule, de raconter mille fables impertinentes, & de deguiſer leurs ſentiments toutes les fois, qu'ils croyent en retirer quelque utilité. A meſure qu'on avance en âge, on aprend à connoître ces gens là, & comme on ſe defie de ces Conteurs de fables, les veritès de l'Evangile, qui ont paſſé par leur bouche, commencent à devenir ſuſpectes. C'eſt là ordinairement le premier pas vers l'Incredulité.* In re clariſſima plura adducere teſtimonia neceſſe non eſt. Age oſtendamus & nos idem breviter, quod ab aliis prolixius eſt excuſſum. Ut fontes corruptionis detegamus, videndum ante omnia, quorum potiſſimum curæ, & cuſtodiæ tradantur recens nati Infantes. Quis autem neſcit, homines, ad recte fingendos teneros animos infantum ineptiſſimos, nimirum Nutriculas, primam curam Infantum gerere? Multis in locis, Ditiorum infantes recens nati, veluti aſpectu & amore parentum indigni, extra domum patriam elati, traduntur aliis, atque ita, ut de aliis incommodis nil dicam, dulci cibo, lacte nimirum materno carere debent, quod quin contra finem, ſcopumque Auctoris Natu-

dulitatis, in quam plures eheu! inciderunt, & adhuc in eandem incidere ſolent:

Naturæ fiat, dubium non est. Taxat eo nomine vehementer matres Rev. in Christo Pater *Tillotsonius Archiepiscopus olim Cantuarensis dignissimus Serm. Sac. Vol. VI.* pag. m. 243. seq. Traditi ita infantes in manus Nutricularum, fœminarum loquacium, sed veræ sapientiæ utplurimum expertium, audiunt multa ridicula, inepta, & falsa. Ut enim eos demulceant, varii generis fabellis & cantiunculis, insipidis sæpe & vix sensum habentibus, utuntur. His sæpe admiscent portentosas de spectris & lemuribus narrationes, non sine gemitu, admiratione, & magna vocis contentione effusas, quas jam suo tempore *Plato*, teste *Plutarcho*, περι παιδων ἀγογης proscripsit, neque præsentibus infantibus narrari voluit: καὶ μοι inquit loc. cit. p. 282. edit. Tig. δοκει πλατων ὁ δαιμονιος ἐμμελως παραινειν ταις τιτθαις μη τες τυχοντας μυθες τοις παιδιοις λεγειν, ἱνα μη τας τετων ψυχας ἐξ ἀρχης ἀνοιας καὶ διαφθορας ἀναπιμπλαθαι συμβαινη, i. e. *Et mihi videtur Plato divinus diligenter adhortari nutrices, ne quaslibet fabulas pueris dicant, ne horum animas a principio stultitia & corruptione impleri accidat.* Quod fieri vetuit *Plato*, homo gentilis, frequenter tamen hodie inter Christianos committi, nemo ignorat. Interea temporis infans vera mixta falsis & audit, & animo infigit; si matribus tradantur Infantes, ut plurimum eadem, qua nutriculæ incedunt illæ via. Plerique parentes ut in genere de hoc argumento loquamur, rectæ educationis neque notitiam habent, neque ad eam rite instituendam lege naturali & revelatione sese teneri existumant, adeo quidem, ut nisi singularis Providentiæ divinæ accederet cura, mature sæpe Infantes in omne nefas ruerent, miserque perirent. Quidam non quidem ignorant penitus officii hujus necessitatem, sed tamen vel nesciunt, vel obscure cognoscunt, in quo vera hominis sit ponenda *felicitas*, quidque in hac vita sit præstandum liberis ut ejus fiant participes. Ea vero nonnisi cultura mentis, virtutisque amore, comparatur. Hoc cum aut nesciant parentes, aut credant saltem, sine his, veram felicitatem obtineri posse, fieri aliter non potest, quam ut Liberi, melioribus præsidiis, & incitamentis hactenus destituti, omnia illa adpetant, omnibusque votis & desideriis quærant, quæ pravis animi desideriis grata sunt atque accepta. Hoc studium & desiderium ubi semel in animum infantum alte est demissum, difficulter præcepta Religionis postea admittent. Videmus autem quotidie eheu! plerosque Parentes omne studium, curamque omnem in eo ponere, ut Liberis cum de iis prospiciant potissimum, quæ ad vitam hanc sustentandam sunt necessaria; tum ut iis bonis si fieri possit abundent,

quæ

quæ prima inter mortales existimantur, nimirum divitiis, dignitatibus &c. Quod si Liberi hæc bona obtinuerunt, aut non spem vanam habent, se ea consecuturos, beatos sese prædicant Parentes & felicissimos. Ex hoc fonte aliud malum, cum priore utplurimum conjunctum, manare solet, nimirum perpetua laus earum rerum, in quibus falso veram felicitatem positam esse multi Parentes existimant. Prouti nimirum Parentes, aut divitiarum, aut voluptatum, aut dignitatum amore sunt inescati, ita etiam præsentibus Liberis, ea bona commendabunt. Quos habendi cupido vexat, illi de felicitate eorum, qui divitiis abundant frequenter sermones miscent; narrant quanta cura ac sollicitudine opus sit ad eas comparandas, servandas, & posteris suis transmittendas. Hæc bona extollunt laudibus, imo aliquando ita de iis differunt quasi liceat quavis arte, per fas & nefas ea ad se rapere. Uno verbo ita loquuntur, ut ille apud *Poëtam: O Cives, Cives, quærenda pecunia primum. Virtus post nummos.* Qui voluptatibus sunt dediti multum temporis consumunt in laudandis delicatis cibis, lautisque conviviis. Audiunt sæpe Liberi Parentem super prandium non sine vocis & frontis hilaritate narrantem, quam jucunde hesternum diem potando, ludendo, ridendo, transegerit; quot jocis temperata fuerit Societas; quot lusus dederit hic vel ille; quam pretiosis, & ad præsentis seculi gustum examussitatis vestibus hæc vel illa fæmina induta, &c. Alii denique nonnisi sermones miscent de Nobili stemmate quo sint orti; ad digitos ostendunt quot imagines Illustrium Majorum possint ostentare; quas dignitates avi, Parentes, & plerique sanguine juncti sustinuerint, & adhuc sustineant; quantum nobilitas conferat ad munera varii generis obtinenda &c &c. Hæc cum passim cottidie Liberi ingeminari audiant, fieri non potest, quin vehementi harum rerum amore incendantur; Cum enim ab una parte nondum sciant, in quo vera felicitas hominis sit ponenda, & quodnam sit pretium virtutis & sapientiæ; ab altera vero parte profunde animis injecta sit cupiditas, ea omnia possidendi, quæ sensus suaviter demulcere, animisque voluptatem afferre possunt, fieri aliter non potest, quam ut ea, quæ a Parentibus toties, totiesque laudibus extolli audiverant, magni faciant, omnique virium contentione postea enitantur, ut tam pretiosis bonis per vitam frui possint. Neque sæpe intra hos terminos manet malum, sed longius progreditur. Dantur enim eheu! Parentes, qui nonsolum magnifice de bonis illis loquuntur, eaque laudant, & commendant, sed & qui manibus quasi ducunt Liberos ad varii generis vitia perpetranda.

Non desunt enim qui crassissima præsentibus Liberis narrent mendacia, iisque colorem conciliare quavis ratione contendant. Sunt qui peccata olim in juventute patrata sine pudore exponant, nulla vel minima adjecta testificatione animi ob ea exulcerati, vel dolore tacti: Sunt qui proximum audiente puero lacerent, calumnientur, omnesque rumusculos falsos licet & fictos, quasi verissimi essent, non sine quadam cordis lætitia prolixe edisserant, ut jam de aliis ejusmodi peccatis, de ipsorum Conjugum rixis, contentionibus, imprecationibus &c. nil dicam. O quam rari sunt Parentes de quibus jure dicere possis, quod Deus Genes. cap. XVIII. v. 19. de *Abrahamo* testatur, dicens: *Scio suis Eum liberis & porro suæ in posterum stirpi præcepturum esse, ut ad Jehovæ normam vitam dirigentes justitiam colant atque jus.* Quis miretur igitur, si mature impietatis, & Incredulitatis semina animis infantum inserantur? Pudorem sane Parentibus, qui nomen se dedisse Christo gloriantur injiciant, quæ *Horatius* de Parente suo Sect. IV. Lib. II. inculcata fuisse sibi narrat: audi Eum:

- - - Insuevit Pater optimus hoc me
ut fugerem exemplis vitiorum quæque notando
quum me hortaretur parce frugaliter atque
viverem uti contentus eo, quod mihi ipse parasset.
Nonne vides Albi ut male vivat filius? utque
Barrus inops? magnum documentum ne patriam rem
perdere quis velit: a turpi meretricis amore
quum deterreret, Sectani dissimilis sis.
Ne sequerer Mœchas concessa quum venere uti
possem; deprensi non bella est fama Trebani
Ajebat.

Augetur autem hoc malum, dum Liberi aut rarissime, aut nunquam audiunt Parentes mentionem facere de virtutis præstantia; fugacitate vitæ; rerum terrestrium vanitate; de præmiis & pœnis post hanc vitam futuris; de mentis nobilitate & immortalitate; de Religionis christianæ divina origine & dignitate; de veris Christianorum characteribus & officiis; de abnegatione nostri ipsorum; de Christi Soteris nostri doctrina, meritis, præceptis, & vitæ Innocentia, aliisque officiis & virtutibus, quæ nos solos reddere vere felices & beatos possunt. Quid aliud quæso ex hisce colliget Infans, nullum adhuc veræ religionis ac virtutis gustum habens, quam hoc; bona terrestria a Parentibus

bus tot laudibus elata, inter ea esse referenda, quæ primo sint appetenda & quærenda; Religioni vero, ad hominem felicem reddendum, non tantum inesse pondus?

V. Nonsolum autem mature satis Infantes Parentum Sermonibus, & Exemplis corrumpuntur; sed & inepti utplurimum sunt pleriique Parentes ad tradenda rite Religionis præcepta, quæ teneris animis mature tamen instillari deberent. Plurimi dantur Parentes, qui exigua valde, & obscura sunt Religionis cognitione instructi, quorum tamen officium esset, Liberis eandem domi mature tradere. Quis nescit, non tantum inter rusticos, sed & inter cives, in amplissimis urbibus educatos, plurimos dari, qui ne quidem prima catechetica præcepta Liberis suis explicare possint? Plerique pueri vel adolescentes civibus prognati postquam qualitercunque præcepta Catechismi memoriæ mandarunt, atque ad S. cœnam sunt admissi, Artifici vel magistro traduntur, ut artem aliquam, cujus ope vitam & familiam posthac sustentare possint, addiscant. Utrum autem Adolescentes hi, siquid datur otii, libellos religionis dogmata & præcepta tradentes in manus sumant, aut sacris debito tempore interfint, utplurimum parum & Parentes, & Magistri curant, satis habentes, si in addiscenda arte sua diligentem navent operam. Ita sensim sensimque fit, ut dum hisce toti sunt intenti, dediscant ea, quæ olim perceperant, memoriæque mandaverant. Postquam tempus tyrocinii elapsum est, ad Exteros proficiscitur Adolescens, artis suæ uberiorem sibi paraturus notitiam. Hic vero sibi soli relictus homo noster, incurius plane est rerum ad religionem, ad quam rectius cognoscendam nulla ratione se teneri existimat, spectantium. Pro lege habet persica, Diem Dominicum computationibus, cæteros, si non deficiat pecunia, corporis exercitatione & servitio esse transigendos. Idem sæpe per plures annos iis degit in locis, in quibus publice castæ Religionis præcepta, quod tamen ipsum minime urit, audire non potest. Quocunque autem in loco degat, vitam vivit, quantum potest solutam, custodibus omnibus, qui Eum rectiora docere & monere possent, utplurimum remotis. Quod si iis in locis commoretur, in quibus floret Religio, ab ea, in qua educatus est diversa, sæpe audit de Religione utramque in partem disputari, & suæ sectæ dogmata impugnari: cum vero tantum absit, ut quid a Religione sua dissidentes sentiant, cognoscat, ut ne quidem satis ipsemet recte intelligat Decreta, quæ a sua, cui nomen dedit, Ecclesia defenduntur, incipit sæpe de veritate articulorum, quos obscure

Plerique Parentes accuratiore Religionis cognitione sunt destituti, neque adeo Liberis suis, quod tamen necesse esset, rite præcepta Religionis tradere possunt.

hactenus percepit, vel dubitare, vel saltem existimare, Ea quæ ad Religionem spectant, ad se non pertinere, sed ad eos, qui ab ipsa Adolescentia Sacro Ministerio sint consecrati. Cumque viderit ubique locorum homines, diversa licet Religionis Decreta sectantes, iisdem tamen utplurimum vitiis esse addictos, Religionem pro locorum diversitate, & Imperantium voluntate mutari sine ullo detrimento posse, colligit. Et utinam ejusmodi homines non sæpius interessent colloquiis hominum Religionem omnem albis dentibus ridentium, atque asserentium, vel falsa esse omnia, quæ de futuræ vitæ statu dicuntur, vel saltem inter ea, quæ dubia & incerta sint, referenda. Ab Exteris redux in patriam, ante omnia jam solicitus est, qua ratione victum opera manuum tolerare, seque suosque alere possit. Eum in finem uxorem ducit, procreat Liberos & rei familiari sedulam navat operam. Cura hujus rei eum posthac occupat totum, adeo ut de aliis negotiis, nedum de Religione rectius cognoscenda, vel Liberis tradenda, possit esse solicitus. Interea ut homo tamen religiosus videatur, cultui externo juxta leges civitatis vacat, & utplurimum iis abstinet vitiis, quibus publica inuri solet nota. Ita educari, & vitam degere plurimos cives, nemo inficias iverit. Quis autem credat ejusmodi homines, vel de Religionis præstantia & genuina ejus indole recte sensuros, vel singulari cura in id incubituros, ut Liberis suis religionis præcepta mature omni studio & cura inculcent, & commendent? Neque putandum tamen, Eos duntaxat, qui de pane lucrando potissimum per vitam debent esse soliciti, in hoc negotio peccare; latius sane dominatur eheu! hoc vitium, eosque etiam cepit, qui facultatibus instructi sunt, majori otio abundant, & utplurimum a pueritia divinarum pariter & humanarum disciplinarum præceptis imbuti fuerunt. Hi existimant, se dignitati suæ minus recte consulturos, si suis Infantibus prima Religionis Elementa tradere, & cum iis de rebus omnium gravissimis, divinis nempe, confabulari solerent. Aliis hoc negotium relinquunt. Curæ hujus Seculi eos occupant totos, adeo ut potius de splendore familiæ augendo, divitiis corradendis, vel omnis generis deliciis degustandis, quam vero de recta Liberorum educatione, Religione inprimis, sine cujus cognitione & amore nunquam tamen felices esse poterunt homines, instillanda, ipsimet sint solliciti. Quibus sane illud *Cratetis* apud *Plutarchum* ingeminandum esset. Ὦ ἀνθρωποι ποι φέρεσθε; οἱτινες χρημάτων μεν κτησεως περι πασαν ποιεισθε σπεδην, των δ' υἱεων, οἱς ταυτα καταλειψετε, μικρα φροντιζετε, i. e. *O homines quo ferimini? qui*

cui quidem ad opes possidendas omnem curam adhibetis, filiorum vero, quibus has relinquitis, nullam curam geritis. Neque tantum iidem hoc officium infra suam dignitatem positum esse credunt, sed & vitia ipsa specie virtutis commendare sæpe solent. Ita ubi vident pueros suos vel puellas, alios falsè perstringere, mendacium extemplo excogitare, in congressu nescio quam auctoritatem in alios exercere posse, nonsolum in sinu gaudent, sed & præsentibus Liberis, verbis applaudunt. Unde aliter evenire non potest, quam ut Liberi mature præposteris de virtutibus & vitiis imbuantur opinionibus, Religionisque semina tantum non suffocentur. Cumque passim eos quibus in Juventute familiariter utuntur, iisdem opinionibus imbutos & similibus studiis addictos esse videant & animadvertant, vix ac ne vix quidem aliis meliora poștea suadentibus, vacivas aures præbent; sed morosos nimis eos esse putant, qui severioris disciplinæ legibus ipsos adstringere, & tam frequenter atque gnaviter, Religionis præcepta cultumve commendare volunt.

VI. Diffitendum interim non est, dari etiam Parentes, Religionis amore ita incensos, ut non exiguam curam adhibeant ipsi, ad præcepta Religionis Liberis inculcanda, & commendanda. In quo quin laudandi sint, nemo sanus facile dubitaverit. Interim tamen multa sunt quæ prohibent, quo minus munere hoc dextre fungantur, finemque, quem intendunt, obtineant. *Primo* enim tradere solent Religionis dogmata, atque præcepta, ad eum modum, quo ipsimet olim de iis edocti fuerant, nulla interea temporis adhibita cura, ut accuratiorem rerum olim auditarum adipiscerentur notitiam. Hinc plerumque Loca S. Literarum ad hoc vel illud dogma probandum afferri solita, infantibus ediscenda injungunt, licet nihil minus sæpe quam hoc, ad quod confirmandum adducta fuere, probent. Quod ipsum adultiore ætate haud parum turbare eorum mentes potest. Unde optandum esset, ut in omnibus Catecheticis institutionibus, nonnisi numero pauca S. Literarum loca, sed clarissima, atque ad probandum efficacissima, adhiberentur. Ita enim sentirent, dum crescente ætate S. Literas evolvunt, religionemque expendunt, firmis præsidiis superstructos esse religionis articulos, quos memoriæ, mentique, juvenes valde infixerant. II. Non sunt plerique Parentes iis mentis facultatibus instructi, eoque judicio præditi, ut ea, quæ ad religionem pertinent, perspicue animis instillare, itaque ea tradere possint, ut Liberi non possint non ea capere: artis est hoc munere defungi, quæ ab iis duntaxat

Multi Parentes religionis cognitione non destituti, artem tamen dextre eam tradendi & explicandi non callent.

potest exerceri, qui nonsolum accuratam rerum ad religionem facientium habent notitiam, sed & qui methodo facili & plana religionis præcepta instillare sciunt. Hinc ut plurimum contenti sunt Parentes, si Liberi iisdem fere verbis repetere possunt ea, quæ auribus acceperunt vel memoriæ mandarunt, parum curantes, utrum sensum, vimque rerum propositarum intelligant nec ne: *Socratem* imitari deberent Parentes, qui obstetricis officio se defungi ajebat, dum discipulos ipsos non tam ipse multis verbis docebat, quam vero vel invitos cogebat, ut suam de iis quæ animo versarent, sententiam expromerent. III. Peccant plerique Parentes in Eo, quod de memoria potius exercenda, quam vero de simplicissimis religionis capitibus rite inculcandis sint soliciti. Unde & communiter fieri solet, ut Infantes suos felices prædicent, si prolixissimas precum formulas licet non intellectas, vel psalmos memoriæ cito mandare, & recitare audiant. Imo felix hæc memoria sæpissime unica causa est, quod Parentes puerum ad alia munera longe aptiorem futurum, sacro Ministerio consecrandum esse mature censeant. Verum quidem est, necesse esse, ut pueri in tenera ætate religionis præcepta, preces, gnomasque morales ediscant; at ea numero debent esse pauca & perspicua; reliquorum vero respectu exspectandum, dum major est mentis capacitas ad res plures & difficiliores rite capiendas, animoque pariter & cordi infigendas. Si ullibi, certe in Religionis principiis rite tradendis maxima opus est circumspectione. Cultus enim Numinis vel falsæ vel confusæ cognitioni superstructus, pietatem solidam parere nunquam poterit. IV. Ad Religionis Elementa rite tradenda, necesse est, ut Parentes, Liberis articulorum religionis cognitionem accuratam tradituri, verbis & sermone utantur perspicuis, & ab omni ambiguitate remotis; præterquam enim quod aut debilitate ingenii, aut pigritia, plurimi verbis potius quam rebus intenti sint; fieri aliter non potest, quam ut hoc neglecto, res attentione dignissimas obscure intelligant. At quam pauci eheu Parentum ad hoc attendunt! quam pauci, qui res ad religionem spectantes ita proponere didicerunt, ut infantes non possint non sensum earum capere! Vulgus hominum nil minus curat quam perspicuitatem sermonis, obscurissimisque vocibus & phrasibus sæpe nescio quam potestatem subesse putat. Imo dantur Parentes, qui vehementer sibi ipsis plaudunt, quando phrases aliquas in speciem sublimes & affectum pietatis, uti videtur, spirantes, ex libris asceticis vel mysticis depromtos, Infantibus tradere possunt, cum tamen neque ipsi

Paren-

Parentes, nedum infantes rem ipsam verbis prolatam intelligant satis. Multos Catechismos phrasibus ejusmodi repletos esse dolet Cl. *Saurinus in præfatione Catecheticis suis institutionibus præmissa.* V. Peccant porro Parentes in eo, quod nimio cum rigore in prima ætate religionis præcepta tradant, atque respectu *temporis* quo sunt instituendi, *pensi* quod exigitur, *lapsuum* quos forte commiserunt, nimium sint sæpe severi, atque morosi. Ita enim sensim sensimque fieri solet, ut ea omnia, quæ ad Religionis negotium pertinent, aversari incipiant Liberi, Nota sunt quæ Philosophi de *Idearum Consociatione* tradunt, & quæ experientia satis superque confirmantur. Nimirum ita cum hominibus natura comparatum est, ut quoties res, quæ vehementem dolorem olim excitarunt, præsentes rursus mentibus sistant, nonsolum memores sint circumstantiarum fere omnium, quæ cum molestia & tædio erant conjunctæ; sed quod inprimis ad causam excitati doloris attendant, eamque procul a se per omnem vitam remotam velint. Ita fieri sæpe solet, ut adolescentes progressu ætatis non sine reluctantia pietatis officiis defungantur atque incumbant meditationi rerum divinarum, quia nonnisi coacti in tenera ætate ad ediscenda prima Religionis Elementa animos adjunxerant. (*) Ita notum est, multos Infantes & pueros, *tempori* ita esse adstrictos, ut ad sonitum horæ ad preces fundendas, vel recitanda religionis præcepta, adigantur, manifestum licet sit, animos eorum in crepundiis & juvenilibus exercitiis, a quibus non sine molestia & tædio abstracti sunt, adhuc totos esse defixos; Idem dicendum de *penso*, quod absolvere tenentur: Bene quidam Parentes se officio suo defunctos putant, si singulis diebus Liberi

(*) Eandem malam consuetudinem taxat *Reverendiss. in Christo Pater Tillotson. Serm. Sac. Vol. VI. pag. m. 309. Une grande* (inquit) *Severité produit souvent un effet tout contraire à celui qu'on se propose. Combien souvent n'arrive-t-il pas, que ceux qui ont été elevés par des Maîtres rudes, haissent l'Etude toute leur vie à cause des traitements cruels dont on a usé envers d'eux pour les y contraindre? De même quand on veut porter les Enfans à la Pieté & à la vertu par une rigeur deraisonable & une exactitude outrée on leur inspire souvent & pour long-tems un degoût de la Religion & des violens prejugés contre elle. On leur enseigne, comme le disoit Erasme,* virtutem simul odisse & nosse. *Car on leur peint ainsi la vertu sous une forme hideuse, on leur fait sentir le bien & le mal trop près l'un de l'autre. De sorte que quand les idées de la Religion & de la vertu se presentent à leur Esprit, ils y rappellent aussi-tôt le souvenir de la severité dont on avoit coutume d'accompagner les leçons qu'on leur donnoit là-dessus; & la repugnance naturelle que les hommes ont pour le chatiment se repand alors sur la Religion elle-même. Au fond, peut-on esperer que les Enfans aiment leur devoir, quand ils n'en ont jamais entendu parler, qu'en voyant la verge toute prête à fondre sur eux.* Confer. acutissimi Lokii cap. III. tractatus de Educatione Liberorum.

beri omnia illa, quæ de universis Religionis partibus, memoriæ mandarunt, recitent: quum autem in fluxa hac ætate infantes longioris moræ sint impatientes, vehementer festinant, ut ad finem præscripti pensi veniant. Qua ratione aliter fieri non potest, quam ut cum tædio Sacra tractent, parumque vel nihil ad ea quæ recitarunt, attendant. Eadem ingeminari possunt si ad *loca*, in quibus Religioni vacare debent domi, attendamus. Tenentur recitare psalmos & fundere preces, præsente sæpe tota familia, euntibus & redeuntibus domesticis, matre interea sæpe cum ancilla de negotiis variis vel sermocinante vel rixante. Hinc ab una parte animus infantis distrahitur; ab altera vero opinatur, probe se officio functum, modo *numerus* rerum recitandarum absolutus & ad finem perductus sit; credit porro res ad Religionem spectantes inter eas esse referendas, quæ inter mille curas atque distractiones pertractari possint; Quin hæc omnia progressu temporis casto Religionis amori, cultuique officiant, pravosque fructus proferant, nemo sanus facile dubitaverit. Gravitate contra, & summa circumspectione opus est, quando Parentes Infantibus prima Religionis Elementa tradere volunt. Efficiendum quantum fieri potest, ut pueri mature sentiant, Religionem rem esse momentosissimam & attentione hominum dignissimam. VI. Denique impediunt Parentes, quo minus Liberi mature magnifice & reverenter de Religione sentiant, quando dum prima illius Elementa pro captu tradunt, aut ut precibus vacent, injungunt, non satis ante omnia, & quidem frequentissime, ingeminant, quem usum Religio in hac & futura vita habeat; qualem & quantam tranquillitatem animi in omni vitæ statu secum ferat bona conscientia; quanta præmia reposita sint piis; quam Venerabile & amore dignum sit Numen quod colimus, &c.: Cum animus infantis ab omnibus, quæcunque aliquam requirunt attentionem abhorreat; simul vero tamen argumentis ab *utili petitis* potissimum commoveri soleat, ostendendum est mature, reverentiam Numinis, devotas preces, cognitionem rectam & solidam præceptorum Domini cum singulari utilitate esse conjuncta, omniumque mortalium felicissimos esse, qui ab ipsa Juventute præcepta Dei custodire incipiant, &c. Hæc autem passim a Parentibus negligi, tristis eheu docet experientia. De cultus externi necessitate plurimum; de interna vero animi puritate, reverentia & amore Numinis raro cum liberis verba faciunt. De potentia Dei multa aliquando differunt occasione ingruentis tempestatis; de Ejusdem vero bonitate & singulari erga mortales cura ut plurimum altum silent.

De-

Deprehendunt Liberi insuper, Parentes, v. gr. diebus festis, nescio quam præ se ferre austeritatem, cibo & potu parcius uti, librosque evolvere, quos manibus terere aliis occasionibus raro solent, diebus autem illis elapsis hilariores esse, genio indulgere, pristinosque mores induere: Ex quibus colligunt, Numen facile placari posse, Religionem certorum rituum observatione absolvi, & sine singulari mentis mutatione officia pietatis præstari posse.

VII. Hæc, & plura alia (potiora enim duntaxat rectæ Educationis impedimenta adducere volumus) efficiunt, ut Liberi religionis naturam & indolem minus recte habeant perspectam, multisque sinistris de vero Cultu Numinis sint imbuti opinionbus. Duo tamen potissimum sunt, quæ multum valent, cum ad præposteram Educationem promovendam; tum ad religionis neglectum confirmandum. *Prius* est; quod Parentes plerique vel nullam vel exiguam valde *culturæ rationis* habeant curam; *Posterius*; quod non satis mature Liberis inculcent, ut ad universam vitam feliciter transigendam, ita ad officia cum primis Numini præstanda requiri, ut homines appetitus tranquillitati nostræ adversantes, pravosque affectus, mature edoment, voluntatique Numinis submittant. Quod ad *prius* spectat, nemo, qui rectum ferre potest de rebus judicium, negaverit, ad negotia hujus vitæ rite peragenda, & ad cultum verum Deo præstandum, plurimum conferre, si Parentes omnem adferant curam & diligentiam, ut Liberi mature rite *rationem*, qua excellentius mortalibus in vita hac datum est nil, excolant. Hoc neglecto, veluti in tenebris versantur per omnem vitam, sinistre res maximi momenti tractant, euntque quo itur, non quo eundum est. Inprimis autem neglectus culturæ rationis officit Religioni, de qua tamen teneris animis instillanda, potissimum soliciti debent esse Parentes. Quo magis persuasa mens est de veritate, præcellentia, & utilitate Religionis christianæ, eo magis etiam ad cultum rectum Deo præstandum apta est. At quomodo tandem de hac veritate persuasus erit infantis animus, nisi ostendatur, in eum potissimum finem nobis datum esse *usum rationis*, ut Deum cognoscamus, & colamus; ut virtuti operam navemus, nostramque & aliorum felicitatem promoveamus; Qua ratione obtinebunt hunc finem Parentes, nisi perspicue iis monstrent, religionem rationis principiis esse congruam; pietatem cum vera nostra felicitate esse conjunctissimam; veram pietatem in recto sensu de Numine, ejus cultu, perpetuoque illi placendi studio consistere &c.: Ut autem hæc vim suam in animos

Augentur hæc mala, partim quod Parentes plerique in educandis liberis exiguam culturæ rationis curam habeant, partim quod non mature Eos assuescant, appetitus sentitivos subjicere rationis, & Revelationis præceptis.

eorum exerant ante omnia edocendi sunt, nil temere ut in universa vita, sic in Religionis negotio potissimum esse agendum; cultum Deo non placere si animus colentis absit; non perinde esse quid de Deo sentiamus & qua ratione Eum colamus & ita deinceps. Quando vero hæc plerique Parentes inculcare negligunt, mirum non est, Liberos posthac vel in superstitionem incidere, vel temere omnibus fere subscribere, quæ ab aliis traduntur, vel nunquam magnifice de Religione sentire. Huic certe neglectui Parentum tribuendum, quod plerique homines sine examine per omnem vitam in iis adquiescant opinionibus, quas cum lacte veluti materno hauserant. Et utinam deessent Parentes, male sanis olim Præceptoribus seducti, qui mature satis illud *credendum*, non *examinandum* Liberis inculcarent, atque ita vel ad stultam credulitatem, vel ad incredulitatis vitium ipsis viam pararent! at sunt eheu tales qui existimant ratione quidem in cæteris negotiis esse utendum, ubi vero agatur de Religione, hic periculosum valde esse eam in consilium vocare; rationem similem esse ancipiti gladio, quem tangere sine læsione non possis; hinc multa deblatterant de corrupta ratione, quæve mala in Ecclesias, Scholas, & Respublicas per eam invecta sint. Ita fieri aliter non potest, quam ut sine examine, quæcunque a Parentibus & postea a Præceptoribus traduntur, cæco assensu amplectantur, atque vix ac nevix ad serium examen rerum credendarum pertrahantur. Erudite & salse hoc vitium Parentum & Præceptorum perstrinxit Celeb. *Crousaz* in egregio tractatu de *Educatione Liberorum.* Quemadmodum autem Parentes Liberos suos infelices reddunt, quando ea negligunt, quæ ad culturam rationis necessario pertinent, atque in causa sunt, quo minus recte & pie de Religione sentiant; ita pariter turpiter officio suo desunt, quando Liberos, quantum in se est, non assuescunt mature pravos affectus & desideria prava cordis rationis & Revelationis imperio subjicere. Nemo ignorat ad vitam bene feliciterque transigendam necesse esse, ut animus sensim sensimque a rerum terrenarum amore avellatur, affectusque vehementiores, menti pariter & corpori nocivi, edomentur. Verus Dei cultus non in eo potissimum consistit, ut quædam Religionis dogmata & præcepta rite intelligamus; sed ut voluntati sanctissimi Numinis obtemperemus, ad imaginem divinam indies magis atque magis conformemur, pravis animi affectionibus resistamus, atque naturam corruptam ope divinæ gratiæ flectamus. Hoc qui negligit, amplissimam licet rerum divinarum cognitionem habeat, frustra est, quia eo, sine

quo

quo vera Religio & pietas consistere non potest, destitutus est. Cum autem eheu plures Parentes officii hujus immemores passim sint, & aut nihil aut parum conferant, ad compescendos impetus pravarum cupiditatum, quarum signa & vestigia mature satis in Liberis deprehendunt: cum non mature & frequenter ingeminent, nos per omnem vitam totos Deo mancipatos esse, atque hoc unum meditari atque omni virium contentione agere debere, ut gratiæ divinæ auxilio adjuti, actiones nostras ad nutum Numinis optimi componamus; fieri aliter non potest, quam ut successu temporis, in innumera mala erumpat animus pravis studiis captus atque constrictus. Ex eo enim fieri solet, ut Liberi adversam fortunam iniquissimo ferant animo & de administratione divina rerum humanarum sinistras foveant sæpe opiniones: Hinc utilitate omnia, etiam ea quæ ad Religionem spectant metiuntur, & prout præceptum Religionis cum desideriis animi vel convenit, vel pugnat, ita illud vel observandum vel negligendum putant; perinde ipsis est quicquid credant, modo ne Religio frænum injiciat iis animi affectibus & desideriis, quos magni faciunt, & quorum magno flagrant desiderio; Huic malo tribuendum, quod posthac sæpe firmiter credant, ea quæ de piorum vitæ innocentia & vero christianismo in genere dicuntur, inter suavia somnia esse referenda, similia iis, quæ *Plato* de Incolis mundi, quem animo repræsentavit, finxerat olim. Vera esse quæ hic dicuntur, experiundo sæpe Parentes eheu didicerunt. Triste hujus rei exemplum exhibent S. Literæ *1. Sam. cap. II.* in *filiis Eli Sacerdotis*. Vide etiam caput. XXX. *Syracidis*, in quo egregia continentur de mature compescendis moribus pravis Liberorum præcepta. Adde iis quæ dicta sunt, quod plures Parentes negligant divinam gratiam jugiter implorare & pro salute veraque felicitate Liberorum, quæ in virtutis studio potissimum posita est, apud Deum intercedere! cum ipsimet amore rerum terrenarum toti sint capti, optant ante omnia, ut Liberi abundent iis omnibus, quæ ad vitam hanc cum gaudio transigendam facere possunt; simul tamen eheu immemores plane illius aurei præcepti Apostoli *Jacobi*, quod cap. I. v. 17. extat. docentis, *omne nimirum bonum donum, omneque perfectum munus superne esse, descendens a Patre luminum*, omnem duntaxat curam & solicitudinem in eo ponunt, ut dispiciant, qua ratione Liberos suos Bonorum illorum, quibus tamen nunquam sine pietatis & veræ sapientiæ amore rite frui possunt, participes reddant.

VIII. Quemadmodum autem prava educatio multum confert ad

Prava institutio in re-

bus ad Religionem Spectantibus sæpe efficit, ut mentes puerorum mature pravis opinionibus imbuantur Religionique contraria probent,

ad animos Liberorum mature perdendos; ita nemo negaverit prava institutione sæpe fieri, ut iidem siniſtris de rebus divinis opinionibus imbuantur, quæ creſcente ætate aliquando tantam in animos vim exercent, ut vel in Incredulitatis, vel Impietatis barathrum incidant. Oſtendendum igitur paucis, qua ratione ſenſim ſenſimque animi prava inſtitutione corrumpi poſſint. Multum intereſſe a quibus Liberi prima, ut omnium diſciplinarum, ſic Religionis inprimis præcepta audiant, apud omnes cordatos in confeſſo eſt. Hinc prudentiſſimus quisque ſemper operam dedit quammaxime, ut Liberi tradantur in diſciplinam illis, qui vera Literarum pretia norunt, morumque probitate excellunt. Commendat hoc officium Parentibus gnaviter πολυμαθεςατος *Plutarchus*, de *Liberorum Educatione*. *Quintilianus Inſtit. Orat.* Lib. I. cap. II. *præcipuam prudentibus curam eſſe ait præceptorum eligere ſanctiſſimum quemque.* Literatiſſimum & prudentiſſimum Virum, *Plinium* ſecundum Amicorum ſuorum Liberis de præceptoribus doctis & bene moratis etiam non ſine magna cura proſpexiſſe, ex Epiſtolis, quas edidit, paſſim conſtat, vide inter alias Epiſt. III. Lib. IV. ad *Corneliam Hispullam*, in qua his verbis epiſtolam claudit: *Proinde faventibus Diis, trade Eum præceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam diſcat, quæ male ſine moribus diſcitur.* Quod ſi ad diſcendas humaniores Literas, & diſciplinas philoſophicas, plurimum confert Docentis peritia, facile colligent omnes, qui Religionis accuratiorem habent notitiam, plurimum referre, qua ratione Elementa ſanctiſſimæ diſciplinæ tradantur, animisque Juventutis infigantur. Sane felices illi prædicandi quibus Præceptores obtigere rerum divinarum periti, quique ſolide non minus quam perſpicue Religionis chriſtianæ dogmata & præcepta tradiderunt & probarunt; feliciores adhuc qui præter facultatem rite tradendi Religionis articulos, nacti ſunt Magiſtros, qui cum *Paulo* ad *Timotheum* ſuum verba faciente dicere poſſunt: συ δε παρηκολουθηκας *tu autem experiundo didiciſti meam doctrinam, mores, propoſitum, fidem, clementiam, charitatem, patientiam, vexationes, res adverſas* &c. *2. Timoth. III. 10, 11.* (*) Age videamus qua ratione, prava vel præpoſtera

(*) Quam ſingularem vim in animos Juvenum habeant egregia præcepta, mores & Exempla Docentium multis poſſem documentis probare. Sufficiat hic adduxiſſe teſtimonium *Irenæi*, mentionem injicientis eorum, quæ puer in Aſia a Polycarpo audiviſſet & obſervaſſet: locus extat apud *Euſeb. Hiſt. Eccl. Lib. V. cap. XX.* verba ipſius ſecundum verſionem Valeſii ita ſonant: *Ea quæ tunc temporis geſta ſunt, melius memoria teneo, quam illa, quæ nuper acciderunt. Quippe ea quæ pueri didi-*

cimus,

ſtera inſtitutione, in rebus ad Religionem pertinentibus mature ſæpe Liberi corrumpantur. Et I. quidem multi Docentium ſæpe in eo peccant, quod potius ſoliciti ſint, ut diſcipuli multa capita religionis memoriæ tradant, eaque feliciter recitare poſſint, quam vero ut ea, quæ proponuntur, rite intelligant & capiant. Plures ſunt qui exiſtimant, ſe egregie officio ſuo defunctos, & præclara quævis de diſcipulis ſuis exſpectari poſthac poſſe, ſi mature animi promiſcue multarum rerum cognitione ſint inſtructi, in quo tamen vehementer falluntur. Quamvis enim in eo ſint laudandi, quod mature cognitione rerum divinarum imbutos velint ſuos diſcipulos, præpoſtere tamen in eo agunt, quod non tam accuratæ cognitionis, quam vero numeri rerum memoriæ traditarum rationem habeant. Ita enim ſæpe fieri ſolet, ut non ſolum cum tædio aliquo addiſcant & audiant res ad Religionem ſpectantes, quod non ſine moleſtia & labore ad majora penſa ediſcenda coacti fuere, ſed & in iis, quæ didicerunt, licet non intellectis, tanquam in certiſſimis plerumque adquieſcunt. Nihil autem juvenibus magis noxium eſt, quam ſi pſittacorum ritu reddere didicerunt, quæ memoriæ quidem mandata, intellecta autem autem rite minime ſunt. Ab una enim parte impoſſibile eſt, ut pretium Religionis & momentum ejus rite cognoſcant, & illius amore capiantur; ab altera vero parte ab aliis, contraria iis quæ memoriæ mandata ſunt inculcantibus, facillime vincuntur, aut ſaltem de veritate eorum, quæ tradita ſunt, dubitare vehementer incipiunt. Accedit, quod creſcente ætate habitum quendam contrahant quidlibet ſine diſcrimine admittendi; unde facile eſt conjicere, eos, ſi in libros incidant, quibus prima Religionis fundamenta ſuſpecta redduntur vel impugnantur, aut argumentis Adverſariorum ceſſuros, aut vehementer ſaltem de veritate eorum, quæ juvenes didicere quidem ſed non intellexere, dubitaturos. II. Juventutis formatores nullo ſæpe habito delectu articulorum, gravia & difficilia

cimus, ſimul cum animo ipſo coaleſcunt, eique penitus inhærent. Adeo ut & locum ipſum poſſim dicere, in quo beatiſſimus Polycarpus ſedens diſſerebat; proceſſus quoque ejus & ingreſſus, vitæque totius formam & corporis ſpeciem; ſermones denique quos ad populum habebat, & familiarem conſuetudinem, quæ illi cum Joanne, ut narrabat, & cum reliquis, qui Dominum ipſum vidiſſent, interceſſerat; & qualiter dicta illorum commemorabat: & quæcunque de Domino ab iisdem audierat. De miraculis quoque illius ac de doctrina, prout ab iis, qui verbum vitæ ipſi conſpexerant, Polycarpus acceperat, eodem prorſus modo referebat, in omnibus cum Scriptura Sacra conſentiens. Hæc ego divina mihi largiente clementia tunc ſtudioſus audiebam, non in chartam ſed in corde meo audita deſcribens: eademque per Dei gratiam aſſidue repeto ac revolvo. Adde Exemplum *Parentis Origenis* apud eundem *Euſeb. Lib. VI. cap. II.*

lia captu æque ac faciliora promiscue tradunt, neque diu satis iis, quæ principii loco ponenda essent, inhærent, eaque non ita inculcant, ut juvenes non possint non ea rite intelligere. Nemo diffitebitur non tantum in tradendis disciplinis quibusvis, sed in rudimentis potissimum Religionis explicandis & probandis, ut ingenii, capacitatis, & ætatis; sic rerum ipsarum, quæ inculcandæ sunt, rationem potissimum esse habendam. Constat insuper quædam in Religionis negotio fundamenti loco esse ponenda, alia vero illi superstruenda; quædam majoris momenti, alia minoris: quædam scitu absolute necessaria, alia non item. Quod si docens harum rerum nullum habet delectum; si promiscue ardua miscet minus necessariis; Si a difficilioribus captu incipit, leve a momentoso per omnem vitam distinguere, quod accuratiori Religionis cognitioni plurimum officit, & innumera sæpe mala post se trahit, non poterunt. Idem contingit, si ea quæ principii loco ponenda sunt, non frequenter repetantur, animisque ita infigantur, ut perspicuam eorum habeant notitiam. Tenera quidem juventus facile sapientiæ præcepta imbibit & memoriæ infigit; at cum fluxa sit in hac ætate, facillimeque variis rebus distrahatur, in memoriam sunt ea frequenter revocanda. Denique notum est, ea quæ perspicue explicantur, facilius longe intelligi mentique infixa manere, quam quæ obscure & perplexe traduntur. At & hic multi Juventutis formatores sæpissime peccant. Multi alios docere volunt, qui tamen ipsi arduum ac grave a minus momentoso distinguere nesciunt; Quot sunt, qui ipsimet in obscuriore rerum divinarum notitia adquiescunt & repetunt sonos suorum Magistrorum! quot sunt, qui missa perspicua rerum explicatione, discipulos omnia promiscue memoriæ mandare jubent! quot sunt, qui in sinum juventutis effundunt omnia, quæcunque sine examine proprio semel ipsimet admiserunt! Sane quod *Jacobus Apostolus* christianis sui temporis inculcavit epist. cap. III. v. 1. dicens: Μη πολλοι διδασκαλοι γινεσθε ἀδελφοι μου multis eorum, qui instituendæ juventuti animos adjungunt, occentandum esset, nostra cum primis ætate, qua multi hoc officio defungi gestiunt. Ipsimet, qui publice studiosæ Juventuti sanctissima Religionis dogmata tradimus, probamus, & vindicamus, experiundo novimus, quosdam Religionis præcepta aliis explicare velle, qui tamen ipsi nondum instituto examine eadem rite expenderunt, nedum alios de veritate eorum rite & solide convincere possunt. III. Multi Docentium aut prorsus non, aut strictim & aliud agendo, Religionis Naturalis prima & fundamentalia

capita

capita teneræ juventuti tradunt, sed ad articulos varios Religionis revelatæ inculcandos statim in limine institutionis progrediuntur, quod tamen satis feliciter sine cognitione capitum principalium Religionis Naturalis fieri non posse norunt omnes, quicunque accurate naturam Religionis perspectam habent, atque cognoscunt, quid ad demonstrandam veritatem Religionis christianæ necessario requiratur. Ne solus ita sentire videar, ex magna copia duorum saltem Ecclesiæ Reformatæ præstantissimorum Theologorum mecum sentientium judicia adducam. Prior est Jenkin *Thomasius* Anglus, qui brevem Historiam Atheismi scripsit, Eamque *Magnificentissimis Reipublicæ Tigurinæ Proceribus* inscripsit, cujusve libellum de regimine Ecclesiastico III. primorum Ecclesiæ christianæ Seculorum dignis laudibus ornavit ὁ μακαρίτης Cl. Vir. J. Jac. Hottingerus. Hic pag. 8. in causas Atheismi inquirens sequentem in modum pronuntiat. *Adde* (inquit) *huc summam Parentum atque Præceptorum incuriam, qua negligitur præcipuus Religionis articulus coli & juventuti inculcari, ita ut passim invenias Viros ætate graves, articulorum, qui respiciunt Mysteria fidei christianæ apprime gnaros, & cujuscunque officii civilis & religiosi mire peritos, quod si eos tamen rogaveris ut dignentur argumenta aliqua proponere, quibus probetur Dei existentia vel animæ immortalitas* (posset idem dici de reliquis Theologiæ Naturalis capitibus) *plane obstupescant subito seu fulgure aliquo afflati & perculsi, ut nihil habeant (nisi forte maledicta) quod reponant. Unde quæso tanta stupiditas & ignorantia, nisi inde, quod volumus haberi Christiani non Vulgares, cum interea officia hominis nos lateant. Faverunt quidem stupiditati Aristotelici, asserentes, cum negantibus principia non verbis sed verberibus esse disputandum. Longe melius de re christiana merentur Viri egregii nostri temporis, qui de industria Theologiæ Naturali excolendæ operam non inutilem collocarunt, quo conatu nihil efficacius esse possit ad sistendum Atheismi cursum. Utinam omnes qui catecheticas institutiones in usum juventutis christianæ scribendas suscipiunt hoc serio secum reputarent; Hoc enim si facerent, non tam levi brachio, vel ut fieri solet, intactis fundamentis Religionis Naturalis ad alias quæstiones difficiliores properarent.* Posterior est doctissimus P. *Roques*, Ecclesiæ gallicæ, quæ Christo Basileæ colligitur Pastor dignissimus, qui in egregio tractatu de præcellentia Ministerii Evangelici cap. VIII. inter præcipuas causas, quæ impediant, quo minus Ministerii Evangelici opera plures ad virtutis & pietatis studium adducantur, & hanc refert, quod nimirum multi christianorum in juventute fundamentalia capita Religionis Naturalis

turalis & Revelatæ non rite perceperint. Audi verba ipsa præstantissimi Viri: *Comment precautionner la jeunesse contre la corruption du Siecle, le Déisme & le Libertinage, si ce n'est en lui donnant de bonne heure une connoissance exacte des verités de la Religion & des preuves sur lesquelles elles sont apuiées. Il n'est pas surprenant, que des jeunes gens, dont les passions sont vives, se laissent seduire par l'intemperant, & par l'esprit fort, lors qu'ils n'ont aucune connoissance solide de la Religion. Ils ne trouvent rien en eux, qui puisse contrebalancer l'effort de la Seduction. Mais si on leur avoit fait comprendre & sentir la vérité, l'importance, & la sainteté des Maximes de la Religion chrêtienne, ils trouveroient dans cette foi éclaircée un bouclier impénétrable aux traits les plus aigus du mondain & du profane.* Hinc factum ut viri pietate & Eruditione eminentes optarint, ut Systemata quædam Theologiæ Naturalis ad catecheticæ institutionis modum exacta & Juventutis ingenio attemperata, scriberentur; (*) quoniam probe perspexerunt, hac ratione nonsolum vera principia, quibus Revelatio superstrui debet suppeditari, sed mature satis ita optime animos adolescentum contra incredulitatis vitium muniri, atque ad pietatem formari posse. Plurimi vero Juventutis formatores aut exiguam habent cognitionem horum capitum, aut nesciunt, qua ratione solide & ad captum juvenum ea principia sint explicanda & probanda; vel denique rerum haud ignari, leviter & quasi aliud agendo hæc inculcanda esse putant. Hac ratione autem fieri non potest, ut firmas radices in animis juventutis agere possint res scitu cognituve dignissimæ. Fateor artis esse captui teneræ juventutis hæc capita aptare, ea perspicue explicare, Exemplis illustrare, & paucis sed solidis rationibus eadem confirmare. Qui vero hoc præstare nescit, temere Docentis munere defungitur. Ubi vero hæc dextre traduntur animisque teneris mature & frequenter inculcantur, fieri aliter non potest, quam ut magnifice posthac de Deo rebusque divinis sentiant, atque ad Revelationem admittendam, riteque intelligendam & digne æstiman-

(*) Pia Eruditorum quorundam inter Protestantes Theologorum de hoc argumento desideria collegit Reverendus *Bartholomæus* in den fortgesezten nüzlichen Anmerkungen über allerhand Materien aus der Theologie, Kirchen- und Gelehrten Historie, vide pag 73. 144 & p 867. Huic desiderio ex parte satisfecerunt illi, qui ex structura animalium, plantarum &c ad *captum vulgi* Existentiam Numinis optimi, Sapientissimi, ut v. gr. Doctissimi Viri, *Rollinus*, *Fenelon* aliique (ut de illis qui fuse & majori Eruditionis apparatu hoc thema illustrarunt nil dicam) probarunt. Neque officio suo hac in parte defuere Theologi Reformati præstantissimi *Ostervvaldius* & *Saurinus*: optandum tamen ut capita singula Theologiæ Naturalis paulo uberius ad captum tamen juventutis per quæstiones & responsiones proponerentur.

æstimandam evadant aptiores. Sed ut pateat quantum neglectus hujus rei progressui veræ Religionis & pietatis obstet, ad ipsa præcipua Religionis Naturalis provocamus capita. Possunt ea (de Theoreticis duntaxat hic sermo est) commode ad V. referri capita. *Primum* agit de Dei existentia: *II.* De attributis divinis. *III.* De Providentia. *IV.* De legibus naturalibus. *V.* denique de mentis immortalitate. Persuasione certa & infallibili existentiæ Numinis omnem Religionem superstructam esse, notius est quam ut a nobis probetur. Quod si uno alterove argumento perspicue & solide non probatur veritas existentiæ Numinis, a rebus omnibus creatis plane diversi: si non rite persuasi sunt Juvenes de hac veritate, aut si confusam habent de Ente quodam primo notitiam, quis credat, eos per omnem vitam magnifice semper ut oporteret, de eo sensuros & locuturos? Qualis cultus hujus Numinis erit, si umbratilem aliquam habent attributorum divinorum cognitionem. Tres sunt potissimum virtutes Dei, nimirum ejus sapientia, bonitas, & omnipotentia quarum naturam, indolem, atque præcellentiam juventutis formator rite explicare atque commendare debet. Hæ autem ex attenta universi contemplatione, ejus ordine & finibus maxime elucent. Has Deo ineſſe, manibus quasi, ut ita loquar, palpari potest. Quod si vero non altissime virtutum illarum præstantia & veritas animis Juvenum sit infixa, valde debilis erit illa cognitio & admiratio virtutum Dei, & tepidus valde tanti Numinis cultus: cœlum suspicient, arbores frugesque contemplabuntur, solis luce fruentur, cibos quotidie degustabunt, aliisque fruentur in his terris beneficiis; rarius autem & vix serio unquam posthac cogitabunt, nonnisi a Numine optimo Sapientissimo, atque potentissimo hæc tanta bona oriri posse. Idem eveniet, si de Providentia singula administrante, curante & in generis humani usus distribuente, animus non sit probe persuasus. Ut enim homines frequenter Numinis laudes celebrent; ut ardentissimas ad Deum fundant preces: ut auxilium ipsius rebus in arctis petant: ut fata sinistra æquo animo ferant: necesse est, ut credant, Deum nonsolum universum hoc, hominem præcipue, ad sapientissimos fines condidisse, sed & Eundem singulis momentis omnium rerum curam gerere. Novi quidem doctrinam de Providentia Dei variis esse dubiis expositam, nodosque hic ocurrere ne ab Eruditis quidem facile solvendos; at ea quæ captu difficiliora circa hoc argumentum occurrunt, in aliud tempus sunt rejicienda; neque propterea quæ scitu sunt de hac materia necessaria, negligi debent, sed eo magis teneris

animis inculcanda, & contra unam alteramve objectionem, quæ facile animis obrepere potest, munienda. Ut Legum Naturalium notitiam aliquam habeant juvenes, necesse est. Inprimis præceptum illud generale quod tibi fieri non vis alteri ne feceris, altissime animis Juvenum est infigendum. Quod si enim his principiis imbuti plane non sunt, sensim sensimque discent utilitate cuncta metiri, omnia ad se referent, & necessitate potius, quam legibus divinis nos ad officia mutua præstanda teneri, putabunt, ut de aliis malis, quæ ex ignorantia hujus articuli oriri solent, jam quidem nihil dicam. Atque hæc eo magis inculcari necesse est, quod eheu quotidie deprehendamus, vel ab iis ipsis, qui se disciplinæ sanctissimæ sectatores esse jactitant, communia humanitatis officia pedibus conculcari. Denique nisi probe edocti sint juvenes & persuasi, non vitæ hujus terminis includi Religionem, sed cultoribus Dei proposita esse post hanc vitam præmia certissima, præstantissima, & æternum duratura, exiguam vim in animos habebunt omnia quæ de cultu, legibusque divinis dicuntur. Ex quo ipso sequitur, mature eos satis esse edocendos quid sit mens, qualis ejus præstantia & dignitas; quem in finem conditi simus: quam sit Religio res seria sed & jucunda; quam beneficum sit Numen erga pios: quam sint cætera omnia præ pietatis & virtutis studio flocci habenda &c. &c. Ex paucis hisce manifestum est, non tantum neminem de veritate & divina origine Revelationis persuasum esse sine cognitione horum articulorum posse, sed & fieri non posse, ut Religio altas radices in animis agat, hominesque ad rationabilem cultum Deo præstandum inducat, nisi de principiis illis sint convicti plane atque persuasi. (*)

IV. Quem-

(*) Probe hoc perspexerunt viri divinis pariter & humanis disciplinis exculti. Illustris *Leibnitius* in *Leibnitianis* pag. 18. mentionem injiciens utilitatis, quam seria contemplatio operum divinorum hominibus afferre solet, inter alia sic loquitur: *Excitati Naturæ contemplatione, intusque adjuti ex alto, eum supra omnia amare possunt quem supra omnia pulchrum perfectumque esse intelligunt, donec præparata mente etiam fidei lumen ipsis infundatur. Itaque conandum est, ut amor divinus interim excitetur, quem maxime Christus urget, & ratio ipsa commendat. Certum autem est neminem amari posse, cujus non est cognita pulchritudo, nec divinam sapientiam & potestatem in quibus supremæ intelligentiæ speciositas consistit, quantum à nobis illa capi potest, melius nosci quam cognitione rerum quas fecit.* De Nobilissimo *Boyleo*, sagacissimo Naturæ Scrutatore refert Reverendiss. Episcopus *Burnetus* in Oratione funebri Excellentissimo Viro habita, Eum tanta Numinis veneratione fuisse tactum, ut *nunquam voce Dei, nisi interposita brevi aliqua pausa vel mora usus sit in loquendo. Celeb. Schultensius* Academiæ Lugduno-Batavæ singulare hodie Ornamentum, jam vero cœlitum choro dum hæc scribo adjunctus, in Oratione funebri, quam recitavit in obitu Excellentissimi Physici & Medici H. *Boerhavii* multis speciminibus ostendit, quam *alte infixa fuerint Doctissimo Viro*

Theo-

IV. Quemadmodum vero multi qui juventuti instituendæ animos adjungunt, aut Religionis Naturalis Capita oscitanter tradunt, & leviter transmittunt, aut non iis argumentis probant, quæ capacitati ingenii & ætati huic attemperata sunt; ita pariter aut nesciunt rite probare veritatem Religionis christianæ, aut si in argumento hoc non male versati sunt, non diu tamen, neque satis huic argumento, sine quo tamen cætera omnia stare firmiter non possunt, inhærent. Ex quo aliter fieri non potest, quam ut in obscura Religionis cognitione adquiescant Juvenes. Nemo qui unquam serio Religionem expendit, diffitebitur, persuasionem de certis quibusdam Religionis christianæ articulis solidam & veram esse non posse, nisi animus de veritate & divina origine Religionis christianæ probe sit persuasus. Hoc tamen non obstante plurimi rem maxime arduam turpiter negligunt. Quidam docentium rite de gravissimo capite persuasi ipsimet non sunt. Alii oscitanter satis hoc argumentum tractant; rursus alii non imperite quidem hoc negotium aggrediuntur, sed nimis cito ad speciales articulos inculcandos progrediuntur. Multi denique antequam historicis argumentis ad captum Auditorum accomodatis probarunt, primos Religionis christianæ Sectatores verum dicere & *potuisse* & *voluisse*, ad loca quædam Scripturæ provocant, atque adeo præpostere valde ratiocinantur. Unde nisi melior lux mentibus posthac affulgeat, per omnem vitam in confusa gravissimi argumenti cognitione adquiescunt; & si in librum incidant vel homines, qui parum ponderosis etiam argumentationibus veritatem Religionis christianæ impugnant, incipiunt de iis, quæ olim tradita sunt dubitare, imo aliquando accedentibus pessimis judicibus, pravis nempe animi affectibus, in ipsum Incredulitatis vitium incidunt. Atque hanc ego præcipuam crescentis indies Incredulitatis & Impietatis causam esse existimo, cui nisi rectius, quam quidem vulgo fieri solet, occurratur; nisi summa cum diligentia, studio, atque contentione hoc argumentum juventuti tradatur, repetatur, mentique ita infigatur, ut de ea possit esse persuasa, concipi nulla ratione potest, quomodo vera pietas radices in animis juvenum possit agere, & credulitati pariter & Incredulitati obices poni. Et unde quæso

Theologiæ Naturalis & Revelatæ primaria capita, quodve inter dolores etiam exquisitos, quos durante ultimo, cui succubuit morbo, expertus est, *ex eorum attenta & pia contemplatione singularem senserit voluptatem.* Compendium hujus Orationis *Celeb. Schultensii* exhibet Auctor Diarii Literarii cui titulus: *Nouvelle Bibliotheque ou Histoire Litteraire des principaux Ecrits qui se publient. Janvier 1739. Tom. II.*

est, quod tot orationes sacræ, quæ passim habentur, tam exiguam tamen vim exerant in animos hominum? novi plures dari causas, quas hic non in medium proferam. Inter præcipuas tamen ego refero, quod pauciſſimi Auditorum in juventute de veritatibus illis capitalibus rite fuerint imbuti. V. At non solum aut negligenter satis, aut minus accurate multi docentium Religionis Naturalis & Revelatæ præcipua Capita Juventuti tradunt atque inculcant, sed & Ethicæ præcepta aut jejune explicant, aut non satis pro dignitate rei eadem probant, atque origines officiorum, usumque ostendunt. Quidam vel pravis opinionibus turpiter capti vel ignorantia inducti, non magnam præceptorum moralium curam esse habendam existimant, putantes, sufficere, si articulos quosdam Religionis firmiter teneant Juvenes, iisque omnibus, graviſſimis pariter & cognitu minus necessariis sine hæsitatione subscribant. Ita vero aliter fieri non potest, quam ut umbratilem duntaxat pietatis veræ consequantur cognitionem: Ita nesciunt quem in finem sanctiſſima Religio mortalibus sit data; ita Religionem veram a pietate sejunctam esse posse aliquando sibi persuadent, & cognitione quorundam Religionis articulorum absolvi verum Numinis cultum opinantur. Perversis autem hisce opinionibus imbuti non solum studio pietatis magnopere non vacabunt, sed & recte de Religione christiana, quæ cognitio veritatis secundum pietatem, sentire non poterunt. Quidam docentium juvenibus quidem præcepta Ethicæ tradunt, sed negligunt adducere *rationes*, quas in scholis *motiva* vel *Incentiva* ad agendum appellamus, quibus tamen solis mentes hominum ad præstanda pietatis officia moveri solent. Sane nemo facile concipere poterit, qua ratione homines ad omnis generis officia inducantur, nisi iisdem rationes, cur iis defungi teneantur, jugiter sint ante oculos positæ. Ex rationibus enim adductis non solum ipsa obligatio patescit, sed & Religionis & singulorum articulorum necessitas atque utilitas. Atque hoc eo magis in juventutis institutione tenendum, quod ad ea duntaxat juvenes peragenda sint proni, quæ cum utilitate conjuncta esse vel putant, vel veré existimant. Quidam porro Juventutis formatores in eo peccant, quod Ethicæ præcepta quidem tradere non negligant, sed tamen in generalioribus præceptis subsistant, neque uno alterove exemplo vel casu singillatim monstrent, quam late pateant officia hominis christiani, quam ea sint strictim observanda, quam facile homines circa hæc vel illa officia sibi imponant, quam nihil sit unquam præstandum vel omittendum reluctante conscientia &c. Hinc mirum

non

non est passim non tantum Juvenes & promiscuam turbam, sed & Viros disciplinis variis excultos & doctos, addo quinetiam sæpe V. D. Ministros doctrinæ de moribus exiguam valde & obscuram habere cognitionem. Unde pariter mirum non est, multos sanctissima officia quotidie pedibus conculcare, gravia peccata pro erroribus habere quos parum cavet natura humana; imo vel ea præcepta passim negligere, quæ legibus humanitatis & strictis juris Naturæ præceptis sunt nobis injuncta. Sume v. gr. vel solam materiam de *Restitutione*, & de singulis officii hujus partibus quemvis e media turba examina, & patebit, quam sit eorum de hoc argumento cognitio tenuis & valde manca. Alii virtutis & pietatis studium commendaturi, veræ pietatis Exercitium tanquam rem molestissimam, innumeris cum doloribus conjunctam, tetricam, quæve non sine solitudinis amore, licitarum etiam voluptatum, quas Benignissimum tamen Numen mortalibus concessit, fuga & perpetua quadam tristitia peragi non possit, describunt. Quo ipso animos juniorum, omnia quæ dolorem excitare solent & molestiam fugientium, contra Religionem obfirmant potius, quam ad eam amandam & colendam inducunt; aut si aliquid lucrantur, nonnisi homines tetricos & superstitiosos non vere pios efficiunt. Verum quidem est adultioribus, quive habitum in vitiis contraxerunt & renati nondum sunt, singulosque in dies opus conversionis differunt, monstrandum, quam parum recte sibi hac ratione consulant: quantas vires successu temporis adquisitura sint vitia: quam difficile sibimetipsis reddant procrastinatione conversionis opus, & quod vera μετανοια non sine altissimo sensu peccati, dolore & luctu maxima peragatur. At nobis hic sermo est de institutione puerorum, qui nondum habitus in his vel illis vitiis contraxerunt, & inter virtutis & impietatis confinia quasi positi sunt. *His* inquam Religio ut res non solum attentione digna, sed & amabilis valde atque expetenda proponenda. *His* ostendendum, virtutem rem esse tam arduam & excellentem, ut nemo qui sapiat, eam non expetere & possit & debeat. *His* frequenter inculcandum, præcipuam hominis felicitatem in bona conscientia sitam esse; Eam virtute parari; Hac si instructi sint, non defuturam in omni vitæ casu & statu veram tranquillitatem: Eos qui mature pietatis veræ studio vacent, justissimas semper gaudendi habere causas; sola vitia & sanctissimarum rerum ignorantiam homines reddere miseros, &c. &c. Contraria autem hisce cum aliquando inculcentur, & religio tanquam res onerosa valde & tetrica depingatur, mirum non est mature sæpe

Juvenum animos ab amore virtutis retrahi. Neque dubito ego quin huc etiam multum contulerit, quod ad officia cultus externi præstanda mature satis minis pariter atque verberibus sæpe fuerint adacti, cum tamen hactenus illis satis monstratum nondum fuerit, quis finis atque scopus sit ejusmodi cultus. Alii in contrarium plane huic vitium incidunt, quando nimirum recte vivendi præcepta tradunt nimis vaga & principia nimis laxa, id est talia, quæ civem potius bonum, si modo hoc præstare possint, quam vero potius veri nominis christianum & sanctissimorum præceptorum cultorem efficere possunt. Ipsi Ethnici agnovere, plura longe sapienti & virtutis amanti præstanda, quam quæ legibus civilibus præscripta sunt. Quam *angusta* inquit *Seneca* Lib. II. de ira cap. XXVII. *innocentia est ad legem bonum esse? quanto latius patet officiorum quam juris Regula? quam multa pietas, humanitas, justitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas sunt?* Nemo quidem negat virtutem cum ad universæ Societatis, tum ad singulorum commoda promovenda multum conferre, eandemque reddere bonos Imperantes, cives, patres familias &c. At simul cavendum est, ne juvenes existiment, in hisce veram pietatem unice positam esse. Secus si fiat, fieri nulla ratione potest, ut disciplinæ christianæ præcepta sincere observent. Vel unde quæso est, quod tot homines ingenio non destituti & in aliis acutum valde cernentes, sibi firmiter persuadeant, sese bellos esse Christianos, quando officiis quæ a cive præstanda sunt, & sine interna mentis mutatione facile custodiri possunt, defunguntur, cultuique publico intersunt, quam ab eo inter alia etiam, quod præceptorum Ethicæ christianæ valde exiguam habeant notitiam, quodve in generalibus tantum capitibus officiorum hominis christiani fuerint imbuti? Neque desunt etiam aliquando malesani Juventutis formatores, qui sæpe vitia ipsa specie virtutis commendent, quales sunt qui in catecheticis duntaxat institutionibus occupati, pueris omnium controversiarum ignaris, odium contra quosvis dissentientes instillare volunt, existimantes, se egregie officio suo defunctos, si sentiant, pueros existimare, fas esse odisse homines a suis sententiis alienos, eosque olim optimos evasuros esse Religionis æstimatores & statores: quo tamen nihil magis a vero rectoque disjunctum est. Ita enim nonsolum, ubi ad Examen opinionum, quas alii de Religione fovent aliquando deventum, præpostere, falsis quippe opinionibus & mente cæca delusi, judicant: sed & habitum aliquem adquirunt serram disputationum cum quibuslibet & de quibuslibet reciprocandi, aliis insul-

insultandi, minimos errores in majus extollendi, sanctissimaque sæpe amoris proximi officia ob levem dissensum pedibus conculcandi; Quo nihil magis Tranquillitati publicæ officere potest. Ne quis putet me solum ita sentire, infra testimonia adducam Virorum præstantissimorum & doctissimorum. (*) Rursus alii, bono quidem animo ut puto, impediunt, quo minus Ethicæ Christianæ præcepta mature vim suam in animos hominum exerceant. Et hi sunt, qui vel virtutis in genere vel christianæ in specie, imaginem exhibent adeo bellam, adeo accuratam numerisque omnibus absolutam, ut ne quidem vel species alicujus defectus illi insit, non cogitantes, hanc esse ideam virtutis *abstractam* duntaxat, & necesse esse, ut simul doceatur, homines optimos, virtutisque amantissimos, qui imaginem veræ virtutis constanter in oculis habent, variis tamen in his terris esse obnoxios infirmitatibus, adversus quas pro viribus a Deo datis per omnem vitam imo ad extremum vitæ halitum sit pugnandum; Hæc nisi inculcent Juventutis formatores, tantum abest, ut virtutis imago adeo perfecta, eos ad recte vivendum sit inductura, ut potius crescente ætate animos ab ejus amore sit avocatura. Deprehendunt enim quocunque oculos conjiciunt, &

(*) Reverendiss. Archiepiscopus Cantuariensis *Tillotsonius* Serm. S. Vol. VI pag. m. 305. ita de prava hac consuetudine loquitur: *Les Enfans qui sont elevés dans des forts préjugés pour ou contre certaines pratiques ou opinions, deviennent pour l'ordinaire avec l'age des gens d'un genie borné, chagrins, de mauvaise humeur, peu charitables, & souvent des grands Bigots, des Zelateurs ou de la superstition, ou d'un parti, selon que les principes qu'on leur a inspirés, les portent ou à l'un ou à l'autre. Rarement arrive-t-il qu'ils se depouillent assés de leurs préjugés pour devenir des Chrêtiens sages, paisibles, & attachés au solide. En un mot, si l'on y prend bien garde on trouvera, que quand les Enfans ont été elevés d'une manière si peu judicieuse, il y a autant de difference entre leur pieté & celles d'un Chrêtien moderé & de bon sens, qu'il en a dans le commerce du monde entre les manieres des gens qui ont eû des Maitres ignorans & entêtés, & celles des personnes qui ont eu une belle éducation.* Doctissimus *Laufferus ὁ νυν ἐν Αγιοις* Illustris quondam Gymnasii Bernensis Professor in dissertat. de *recta Liberorum Educatione* ita de hoc argumento loquitur: *Caveant præcipue quibus puerorum cura demandata est, ne* persecutionis principiis *in Religionis negotio animos eorum imbuant: Cum contra rationem & ipsam Religionem quæ patientiæ Salvatoris omnibus numeris absolutæ exemplo initiata, Apostolorum deinde & tot Martyrum morte corroborata nil nisi mansuetudinem, humanitatem & patientiam spirat, directe insurgant hæc principia, funestosque producant effectus. Ex quo enim v. gr. Pontificiis falsum hoc principium in opprobrium christiani nominis persuasum est, omnes a se dissentientes, vi, ferro, flammis ad idem secum sentiendum jure cogi posse; pax & tranquillitas humanæ Societatis turbata, fides & quæ homines sanctissima habent, violata, impune inhumana quævis & detestanda scelera, cædes, rapinæ, parricidia, specioso religionis prætextu patrata, charitas, humanitas, mansuetudo cum reliquis virtutibus ab orbe Christiano exulare jussæ sunt.* Confer. Celeb. *Crousaz Nouvelles maximes sur l'éducation des Enfans* Cap. 11. ut alios silentio transmittam.

& quibuscum tandem conversantur, in Viris probis etiam & omnium judicio virtutis amantibus, nævos aliquos, ex quo colligunt, bellam quidem virtutis olim exhibitam sibi fuisse imaginem, at illam in cerebris duntaxat Doctorum, non alibi locum habere, neque adeo necesse esse, ut tanta virium contentione virtuti operam dent & pietati; verbo: dictata præceptorum suorum similia esse iis, quæ stoici olim de suo sapiente finxerant, existimabunt, quo nihil magis studio veræ pietatis officit. Neque absolvendi sunt illi, qui ut vim corruptionis humanæ, gravitatemque miseriæ nostræ demonstrent, nullo plane habito delectu, plerasque actiones humanas, nulla vitii labe, si externa spectes, contaminatas, pravis tamen adscribunt causis atque animi motibus. In eo peccasse videtur ingeniosus *Gallus*, scripto libello: cui titulus: *de la fausseté des vertus humaines.* Displicuit ille Illustri *Leibnitio*, qui *Essais de Theodicée* pag. m. 79. ita de Eo judicat: *J'approuve encore moins les Livres tels, que celui de l'Abbé Esprit de la fausseté des vertus humaines, dont on nous a donné dernierement un abregé: un tel livre servant à tourner tout du mauvais coté, & à rendre les hommes tels, qu'il les represente.* Denique, ut multa alia transmittam silentio, Docentes etiam sæpe in eo peccant, quod dogmata & præcepta Religionis christianæ juventuti explicaturi, obscurioribus, mysticis, & nimis metaphoricis sæpe utantur verbis. Non malo id fieri animo facile crediderim: persuasus sum ejusmodi homines frequenti lectione librorum asceticorum habitum contraxisse hoc non alio stylo utendi, quanquam etiam ex iis quosdam esse credam, qui non exiguam pietatis partem in certo quodam verborum, quibus uti solent, quos præ cæteris pietate excellere putant, delectu, positam esse credant. Sed cogitandum fuerat Viris cordatis, non posse docentem satis perspicuis uti verbis; neque voces, phrases & nescio quem verborum strepitum, sed argumenta & sensum sub sermone latentem, vim duntaxat habere in animos: cogitandum juvenes per se torpore quodam præpeditos, de verborum significationibus non adeo solicitos esse solere, sed in verbis a Docente auditis facile adquiescere, & Orationem flosculis ejusmodi refertam, animum quidem per tempus in admirationem & stuporem quendam conjicere, eandem vero, nisi recte intelligatur, ad ita vel aliter sentiendum vel agendum impellere non posse. Quis vero jure postulabit a juvene, ut figuratam Orationem in simplicem convertat, si rerum ipsarum quæ sub figuris latent, aut nullam aut debilem plane habet cognitionem? Novi quidem ejusmodi Juventutis formatores

tores dicere in scriptura S. etiam plures ejusmodi metaphoricas locutiones ubi de statu interno mentis agitur, reperiri; quod nemo inficiatur: At docentis est, ad captum juvenum verba phrasesque accommodare, & prius id omnibus viribus agere, ut juvenes distinctam præceptorum moralium habeant notitiam; hoc facto demum licebit crescente ætate ostendere, quibus verbis scriptores sacri V. & N. Testamenti hunc vel illum statum mentis describere soleant.

Occurritur quibusdam objectionibus, quæ contra ea, quæ in superioribus dicta sunt, moveri possent

IX. Antequam vero ad alia progredior, occurrendum esse video quibusdam objectionibus, quæ contra ea, quæ de necessitate inculcandorum dogmatum Theologiæ Naturalis, veritatis Religionis & Ethicæ christianæ, a quibusdam in medium afferri solent. Sunt enim qui dicant fieri non posse, aut saltem difficulter, ut juvenes argumenta, quibus Theologiæ Naturalis capita & Religionis Christianæ veritas probantur, intelligant. II. Vivere nos inter christianos, neque adeo tantopere necessarium esse, ut Religionis Naturalis, & Revelatæ veritates, de quibus aut nulli, aut pauciſſimi dubitent, juventuti tanto studio inculcentur: III. Experientiam testari, multos, lectis demum iis, quæ de primarum illarum veritatum certitudine & generalibus objectionibus dicta sunt, dubitare de iisdem cepisse. IV. Denique non adeo necesse esse, ut juventuti præcepta Ethicæ christianæ inculcentur, quandoquidem ex singulis Religionis christianæ articulis officia pietatis facile colligi possint. Ad singula hæc breviter respondebimus: Et (1) quidem notamus, nos, ubi contendimus, juventuti mature & probe esse inculcanda prima Religionis Naturalis & Revelatæ capita, minime postulare, ut ad hæc capita probanda adhibeantur subtilia Metaphysicorum argumenta, aut adducantur objectiones, nonnisi ab Eruditis solvendæ. Insipidum plane esset, si quis hanc viam vellet ingredi, quoniam ejusmodi instituendi methodus capacitati juventutis non plane est attemperata. Sed hoc unum volumus, ut nimirum præceptor hæc dogmata, quantum natura rei & juvenum capacitas patitur, perspicue proponat, uno alterove argumento sed solido & captu facili probet, atque unam vel alteram objectionem, quæ facile animum discentis turbare posset, solvat. Quæ de methodo probandi capita Theologiæ Naturalis hic monemus, de ratione veritatem Religionis christianæ demonstrandi, intellecta etiam volumus. Sed videntur, qui talia nobis objiciunt, longius progredi, atque existimare, non adeo necesse esse, ut principia Theologiæ Naturalis juventuti inculcentur, quandoquidem ipsimet argumenta illa aut digito tantum tangunt, aut non satis ex-

plicant & probant: At forte hi ipsi hæc capita per vitam nunquam rite expenderunt & examinarunt; forte methodum teneris animis ea instillandi nesciunt; forte nunquam experimento facto, quid in hoc arduo negotio præstari possit, tentarunt. Quod si ita esset, uti quidem videtur, causam non habent de imbecillitate ingenii juvenum conquerendi; Quicquid autem de eo sit, hoc certum, Religione Naturali superstructam esse veritatem Religionis christianæ, & sine illa hanc rite demonstrari non posse. Aut igitur dicendum, capita hæc Theologiæ Naturalis adeo esse captu difficilia, adeo intricata & obscura, ut nonnisi a doctissimis & quidem difficulter intelligi & probari possint; aut ea ita esse comparata, ut quilibet mediocri adhibita attentione ea intelligere & addiscere possit: Si *prius* asserunt nonsolum experientiæ refragantur, sed & injurii sunt in ipsum Auctorem naturæ humanæ. Aut quid magis bonitati, sapientiæ & æquitati Numinis repugnaret quam hoc, nimirum homines facultate ratiocinandi instruere eum potissimum in finem, ut vera sui cognitione imbuantur; simul tamen eosdem obligare admittendi principia, quæ a subtilissimi ingenii hominibus vix capi possent? Annon ita Deus plerosque mortalium ad impossibile obligaret? Annon illi, qui hæc principia ignorarent, ἀπολογητοι essent? an non ita in os contradiceretur Paulo qui το γνωστον τε Θεε promiscue omnibus manifestum esse asserit? Certe idem, si vera esset hominum illorum oratio, de primis & principalibus Religionis capitibus dicendum esset, quod Ecclesiæ christianæ primi doctores de Philosophorum subtilibus de rebus divinis Decretis merito conquerebantur: ita nempe ea esse comparata, ut a vulgo plane intelligi non possint, neque adeo longe maximæ parti generis humani quicquam prodesse. Ita enim *Lactantius Institut. div.* Lib. III. cap. XXV. impugnat Philosophorum de rebus divinis Decreta: *Summus ille* (inquit) *noster Platonis imitator existimavit Philosophiam non esse vulgarem, quod eam nonnisi docti homines assequi possent: Est inquit Philosophia paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsam fugiens. Non est ergo Sapientia, si ab hominum cœtu abhorret: quoniam sapientia homini data est sine ullo discrimine; omnibus data est, ut nemo sit prorsus, qui eam capere non possit. At illi virtutem humano generi datam sic amplexantur, ut soli omnium publico bono frui velle videantur, tam invidi quam si velint deligare oculos aut effodere cœteris ne solem videant. Nam quid est aliud hominibus negare sapientiam, quam mentibus eorum verum ac divinum lumen aufferre? Quod si natura hominis sapientiæ capax est,* opor-

oportuit artifices & ruſticos & mulieres & omnes denique qui humanam formam gerunt, doceri ut ſapiant, populumque ex omni lingua, & conditione, & ſexu & ætate conflari. Maximum itaque argumentum eſt, Philoſophiam neque ad ſapientiam tendere, neque ipſam eſſe ſapientiam, quod myſterium ejus barba tantum celebratur & pallio. Cum igitur repugnet plane virtutibus divinis talia de Religione ſentire, neceſſe eſt dicamus, principia, quibus nititur Religio chriſtiana, eſſe perſpicua ſatis & omnium ingeniis attemperata. Si vero hoc eſt, cur non poſſent ea ad captum Juvenum explicari & probari? imo vero cur non omni adhibita diligentia ea inculcarentur? Idem de veritate Religionis Revelatæ dictum velim. Quemadmodum veritas Religionis Chriſtianæ rite probari ſine principiis Religionis Naturalis non poteſt, ita nemo firmo animi adſenſu particularibus Revelationis articulis ſubſcribere poterit; niſi de divina origine Religionis Chriſtianæ in genere ſit probe perſuaſus. Qui ergo aſſerit, juvenes non poſſe capere argumenta, quibus Religionis chriſtianæ veritas probari ſolet, affirmare tenetur, neceſſe eſſe, ut Juvenes ſubſcribant Articulis Religionis, quos tamen divinos eſſe vel certos ſcire hactenus non potuerunt; quo nil magis a ratione alienum defendi poteſt. Sed facile & ad captum Juvenum hoc argumentum tractari poſſe, norunt qui unquam juventuti inſtituendæ operam navarunt. Notum eſt v. gr. in compendio probari poſſe veritatem Religionis chriſtianæ, demonſtrando nimirum, Jeſum e morte in vitam fuiſſe revocatum; ſumat igitur Juventutis formator in manus, v. gr. primum Sermonum Sacrorum a *Celeb. Werenfelſio* conſcriptorum, in quo veritatem reſurrectionis Chriſti argumentis omnium captui accommodatis mira ſimplicitate & perſpicuitate probavit: ſingulas propoſitiones ſingillatim expendat, hocque facto eas juveni exponat, & patebit ſi modo præceptor noſter non plane artis ratiocinandi rudis eſt, hæc argumenta captum Juvenum non ſuperare. Non magis 2) ponderoſa eſt *ſecunda* objectio. Ponamus plerosque Chriſtianorum, inter quos vivimus, de veritate Religionis non dubitare, multo minus eam impugnare; num inde ergo ulla cum veri ſpecie colligi poteſt, ergo capitalia Religionis naturalis & Revelatæ capita, teneræ juventuti non ſunt inculcanda? Annon quilibet ſcire tenetur, & quid ſit Religio, & quibus ea ſit ſuperſtructa fundamentis? num quod alii perſuaſi ſunt, ſecuri nos rerum divinarum eſſe debemus? Quid ſi vero dicamus falſum eſſe, longe maximam Chriſtianorum partem de Religionis veritate perſuaſos eſſe? quid ſi dicamus, plerosque nunquam examinaſſe prin-

principia, quibus nititur Religio sed iis, quæ in juventute tradita fuerant, sine hæsitatione adhæresçere? Rari sunt, ais inter Christianos Increduli qui Religionem impugnent. Utinam hoc tam certum esset, ut tu tam confidenter affirmas: forte nondum satis qui ita ratiocinaris intelligis, quinam in catalogum Incredulorum sint referendi. Certe ut quis nomen Increduli obtineat, necesse non est, ut is subtili sit instructus ingenio, multisque disciplinis excultus: ut omnes objectiones, quibus impugnari solet Religio in numerato habeat; utque docte & non sine specie aliqua veri errores suos incrustare, vel publice editis scriptis Religionis dogmata capitalia impugnare possit. Sufficit si homo ille quavis data occasione dubitanter de religione in genere loquatur; si utramque in partem de ea secure disputari posse credat; si scurrarum ritu sanctissima Religionis dogmata vel præcepta arrodat; si perinde esse quid credatur, confidenter perhibeat; si Religionem ad continendos in officio homines inventam putet; si nulla vel exigua Religionis cura sese tangi, quavis ratione ostendat; si Religionem pro temporum & locorum diversitate vel Imperantium voluntate, mutari posse contendat. &c. &c. Si his aliisque est imbutus opinionibus & sententiis, easque palam tuetur, inter Incredulos referendus est. Tales autem eheu plures inter mares & fœminas, nobiles & ignobiles, cives & rusticos, doctos & indoctos reperiri, quotidiana docet experientia. Ne igitur juvenes horum hominum dictis & Exemplis corrumpantur, mature iis sunt inculcanda & rite tradenda Religionis Naturalis & Revelatæ capita. 3.) Verum est quosdam lectione librorum, in quibus veritates capitales impugnantur, nonsolum in varia dubia, sed sæpe etiam in ipsum Deismum, vel Atheismum incidisse. Sed nos minime asserimus Juventuti tales libros commendari debere, imo asserimus contra, lectionem ejusmodi librorum Juventuti valde noxiam esse, de quo in sequentibus occasione librorum, ab Incredulis scriptorum, plura monebimus. Hoc igitur tantum volumus, nimirum Juvenibus prima Religionis fundamenta rite esse explicanda & probanda, unamve vel alteram objectionem quæ facile in animos irrepere possit in medium proponendam & solide solvendam esse. Tantum vero abest, ut hac ratione Juvenes audita forte, vel lecta una alterave objectione, Religioni oppositæ, victas statim daturi sint manus, ut potius principiis, quibus imbuti fuere, usuri sint, ad objectiones illas refellendas, vel saltem ad accuratius examen rerum semel admissarum instituendum. Vel unde quæso est, quod multi homines adeo facile,

levissi-

leviſſimis etiam Incredulorum objectionibus confundantur, quam quod in juventute fundamentalia Religionis capita non rite perceperint, ſed his leviter deguſtatis, hos illosve articulos illius memoriæ duntaxat mandarint? Qui fit ut homines etiam non indocti, vel ad ſolum nomen Increduli exhorreſcant & putent, tantum non de Religione actum fore, ſi objectiones illius propalentur, niſi quod ſolida Religionis chriſtianæ cognitione ſunt deſtituti, ingeniumque in examinandis veritatibus primariis non exercuerunt? Certe his malis, quæ quotidie incrementa capiunt, occurri rectius mea opinione non poteſt, quam ſi juvenes pariter, & adoleſcentes primaria Religionis capita rite cognoſcant, expendant, animisque penitus infigant. Denique 4.) fatemur Religionem chriſtianam nativa ſua ſimplicitate ſeſe commendantem, eſſe doctrinam veritatis quæ ſecundum pietatem eſt; & ex ſingulis articulis illius rite & dextre propoſitis, multa conſectaria ad pie vivendum elici poſſe. Sed inde nondum ſequitur, recte vivendi præcepta ſingillatim juventuti tradenda non eſſe; vel ad varias vitæ circumſtantias eadem non eſſe revocanda. Nemo neſcit, neceſſe eſſe, ut quis non virtutis tantum in genere, ſed omnium in ſpecie accuratam habeat notitiam. Hoc fieri non poteſt, niſi mature, exactæ, quantum fieri poteſt, illarum exhibeantur definitiones. Has autem non ubique ſuppeditant S. Literæ. Præterea eædem generalia aliquando hujus vel illius virtutis tradunt principia, cujus tamen partes & conſectaria nonniſi ope genuinæ inſtitutionis cognoſcimus: Quis neſcit inſuper quam facile homines juvenes præſertim, ad corruptæ mentis decempedam officia a S. noſtro Sotere præſcripta exigere eaque ita interpretari velint, ut ne quid detrimenti patiantur mali, quibus dediti ſunt, affectus? Denique neceſſe eſt, ut rationes quibus ad officia noſtra præſtanda impellimur probe habeamus perſpectas; quo magis enim de iis omnibus ſumus perſuaſi, eo majorem etiam in animos vim habebunt. Ex quibus colligimus, neceſſe eſſe, ut mature juvenes pie vivendi præcepta rite cognoſcant. Mitto alia, quæ vanitatem hujus objectionis oſtendere clare poſſent, & huic meditationi hic finem impono.

ἘΠΙΜΕΤΡΟΝ
THESIUM THEOLOGICARUM.

I. Cum Deus qui Revelationis Auctor est, sit etiam Auctor rationis, fieri nequit, ut Deus per revelationem talia hominibus credenda injungat, quæ manifestissimis rationis principiis adversentur.

II. Licet quot præcise numero sint articuli fundamentales definiri non possit, vera tamen manet illa Theologorum in articulos fundamentales & non fundamentales distinctio, multumque facit ad distinguendum ea, quæ in controversiis Theologicis vel magis vel minus momentosa sunt.

III. Præter Scripturam nullam aliam fidei regulam admittunt Protestantes. Itaque & Scripta Patrum, & Conciliorum Acta, & alios omnes libros cum publicos tum privatos a quibuscunque scriptos, ad unius Scripturæ normam expendendos existimant.

IV. Cum ex S. Literis manifestum sit, S. Soterem nostrum Jesum Christum Θεανθρωπον pro nobis peccatoribus mortem oppetiisse, operose nihil agunt, qui solicite disquirunt, utrum non alia quam hac ratione Deus generi humano consulere potuisset.

V. Quamvis Protestantes Justificationem a Sanctificatione distinguant, hominesque fide, non operibus justificari contendant, non tamen inde colligendum est, eos asserere, posse quemquam remissionem peccatorum consequi, & de salute sua certum esse sine sanctimoniæ perpetuo studio. Fassi hoc sunt Illustres Ecclesiarum Protestantium doctores initio secessionis nostræ ab Ecclesia Romana. M. *Calvinus Antidot. ad Concil. Trident.* Acta ad Sess. VI. cap. 6. de hoc argumento ita loquitur: *Non negandum est, quin perpetuo conjunctæ sint & cohæreant duæ istæ res, sanctificatio & justificatio: sed perperam inde infertur unam & eandem esse. Fatemur, simul ac justificatur quispiam, necessario innovationem quoque sequi. Neque vero ambigitur, an sanctificet Christus nec ne, quoscunque justificat. Hoc enim esset lacerare Evangelium, adeoque Christum ipsum decerpere, si quis justitiam, quam fide consequimur, separare velit a pœnitentia.*

VI. Qui viam Examinis in rebus ad Religionem spectantibus proscriptam vellent, & in rationem invehuntur, non Religionis & pietatis, sed fanaticismi & scepticismi causam tuentur.

VII.

VII. Liberum arbitrium nativis viribus & humana institutione valet aliquid ad res vitæ temporalis

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Sed ejusmodi innocentia nulla habet promissa vitæ cœlestis:

Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Servus, habes pretium, loris non uteris ajo:
Non hominem occidi, non pasces in cruce corvos.

Ad vitam vero christiano homine dignam vivendam, & ad opera vere bona præstanda, opus est nova genitura, quæ contingit per verbum Evangelii, & auxilium Spiritus S. internum.

VIII. Si vel miraculum aliquod ederetur in gratiam Transsubstantiationis illam tamen admittere non possemus: ut enim miraculo fidem habeam, opus est sensibus; si vero sensibus fidem habeo, actum est de Transsubstantiatione.

IX. Qui dicunt perinde esse quamcunque tueamur Religionem, nunquam per vitam serio Religionem sive Naturalem sive Revelatam expenderunt.

X. Quicquid boni est in nobis, Deo, quantum quantum est, debetur. Is enim initii, progressus, & consummationis salutis nostræ Auctor est. Quicquid vero mali nobis inest, nobis solis tribuendum.

XI. Cum agitur de nobis ipsis, tutius est vel minimos errores, quasi pestiferi essent, vitare. At cum de aliis judicandum est, tutius est, & christiano homine dignius, in mitiorem partem propendere. Judicii hujus æquitatem agnovit *Plinius* S. Homo gentilis, quando Epist. Lib. VIII. epist. XXII. hunc in modum pronuntiat: *Ego optimum & emendatissimum existimo, qui cæteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet: ita peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitæ genere teneamus, ut nobis implacabiles simus, exorabiles istis etiam, qui dare veniam nisi sibi nesciunt.*

MEDITATIONIS DE CAUSIS MAGIS MAGISQUE INVALESCENTIS INCREDULITATIS, ET MEDELA HUIC MALO ADHIBENDA.

PARS VI.

Sect. I.

Nexus hujus Dissertationis cum Antecedentibus,

IN Dissertatione proxime antecedente, incepimus enarrare *causas externas*, quæ homines sensim sensimque in vitium Incredulitatis conjicere possunt. Retulimus autem merito inter præcipuas, *pravam Liberorum Educationem, & Institutionem.* Per hoc enim sæpe fieri solet, ut Juvenes aut nulla, aut exigua religionis cura tangantur, sed ut juvenilibus affectibus, pravisque, quæ eheu ubique sese offerunt, exemplis abrepti, omnem reverentiam Numinis excutiant. De his pro instituti ratione dicto loco satis egimus. Pergendum itaque, atque videndum, qua ratione adultiores, ii præsertim, qui divinarum & humanarum disciplinarum cultores dici volunt, sæpissime cum propria culpa, a vero rectoque recedant & Incredulitati patrocinentur; tum vero vitiis atque exemplis eorum, qui ipsos solida rerum divinarum cognitione imbuere & ardentissimum pietatis studium commendare deberent, contra castæ Religionis cultum & amorem obfirmentur. Dum autem post multorum eorumque celeberrimorum & optimorum virorum ante me effusas de abusibus quibusdam quærelas, etiam ego hæc ulcera tangere debeo, facile video & sentio, circumspecte & prudenter mihi esse loquen-

loquendum, ne aut id, quod bonum & laudabile est, vituperare, aut studio quodam pravo, viris de Ecclesiis & Scholis bene meritis, insultandi quicquam in medium protulisse videar. Eum in finem in sequentibus non tam meis, quam præstantissimorum potius Theologorum verbis utar; quia experientia sum edoctus, ea quæ post alios a memetipso optimo fine prolata fuerunt, sæpe æquo animo accepta non fuisse.

Academiæ utiles quidem sunt ad provehenda Literarum studia, sed eædem etiam plurimum sæpe contulerunt ad Incredulitatem alendam, & promovendam.

II. Dum in eo sum, ut ostendam, non tantum eos, qui Literis vacant, sed & artium & disciplinarum Professores in causa esse, quo minus religio, pietasque altas in animis hominum radices agere possint, facile sentio, de Academiis, & vivendi ratione eorum, qui eas frequentare solent, aliquid in antecessum esse dicendum. Atque hic fatemur ante omnia, maximis laudibus extollendos esse principes viros, qui ejusmodi optimarum artium ac disciplinarum officinas condiderunt, & in iis viros doctissimos vario Eruditionis apparatu instructos, constituerunt. Cum enim plurimi eorum, qui Literis severioribus operam dare volunt, domi occasione eas addiscendi destituantur, bene sine dubio de Eruditione & Religione merentur, qui aliis viam monstrant, qua ad rerum saluberrimarum cognitionem facile perveniri potest.

Fatemur ex Academiis plurima bona in publicam, privatamque redundare utilitatem, quod singulari Oratione *Temp. Helvet. Tom. I. Sect. III.* inserta ostendit Vir *Celeb. Christoph. Iselius* ὁ νυν ἐν Ἁγιοις, *grande quondam Academiæ Basileensis Ornamentum.* Ad eam Lectorem remittimus. Ex quo patet, nos eorum sententiæ minime subscribere, qui ejusmodi optimarum artium officinas, ob incommoda quædam, quæ non tam ex instituto harum Societatum, quam vero ex circumstantiis quibusdam locorum & personarum oriri solent, omnes sublatas esse vellent; quod facere aliquando solent illi, qui quidem pio quodam desiderio compulsi, degeneri Christianismo consultum vellent, sed ad id præstandum remedia afferunt non satis ad rationis & prudentiæ regulas attemperata. Omnium etiam præstantissimarum rerum abusus est, propter quem si tollendus est usus, valedicendum esset communi omnium Patriæ, id est terræ. Neque etiam, siquidem quædam mala ex Societatibus illis emanare solent, promiscue hoc optimarum artium Doctoribus tribuendum est. Quamvis enim omni virium contentione id unum agerent, ut Auditores suos redderent non tantum doctos, sed & quantum in ipsis situm est, pios & virtutis amantes,

impedire tamen in hac rerum fragilitate non possent, quo minus votis suis laudatissimis sæpe destituerentur, & exciderent. Etiam hic locum habet illud Poëtæ ; *rari nantes in gurgite vasto* : Pauci sunt studiosi, quorum præcordia ardens quoddam virtutis studium tetigit : vera pietas nonnisi in excelsis & gratiæ divinæ collustratis animis, quorum tamen numerus exiguus est, radices agere potest. Quamvis autem ea, quæ hactenus dicta sunt, satis probent, me verum suum Academiis ponere pretium, nemo tamen simul, cui pietas & veri studium curæ cordique est, inficias ire poterit, plurima in Academiis, iis præsertim, in quibus magnus est studiosorum confluxus, plurima contingere, quæ ad alendum & promovendum *Incredulitatis vitium* plurimum conferre possint. Hoc autem patebit, si cum ad vitam multorum, qui inibi Literis vacant, tum vero ad cives ipsos & incolas, quibus vivendi horum hominum ratio cottidie ante oculos versatur, animos convertemus. Quod ad studiosos Literarum spectat, notum est, plurimos ad Academias ablegari ea ætate, qua nondum solida rerum divinarum sunt instructi cognitione, neque iis præsidiis muniti, quæ ad coercendos impotentes animorum motus multum valent. Tales autem facile in omne nefas ruunt. Dantur non pauci, qui eo fine Academias frequentant, ut fæna laxare possint pravis, quibus jam agitantur, affectibus, utque limine paterno relicto, custodibusque omnibus remotis, ad lubitum vitam instituere, facultatesque suas, non sine sudore sæpe a Parentibus collectas, dilapidare possint. Hi facile in ejusmodi locis inveniunt Socios. Ita fieri aliter non potest, quam ut animi dudum amore vitiorum correpti constrictique, magis magisque ab amore virtutis & cultu Numinis retrahantur. Ubi vero semel voluntas pravis cupidinibus capta est, facile intellectum in assensum rapit, sibique id verum & laudabile, saltem non adeo pernicioſum esse persuadet, quod gratum, atque acceptum est. Accedit quod homines illi, vitiorum prætextum quæsituri, ad nescio quam *Libertatem Academicam* provocent, quo nomine nihil aliud, uti videtur, intelligunt, quam effrenem quandam quidlibet sentiendi & agendi licentiam; quasi vero optimarum artium & disciplinarum officinæ eum potissimum in finem fuissent constitutæ, ut nimirum hic discerent, qua ratione virtus, legumque reverentia tolli possint. Si quis putet minus vera esse, quæ de Licentia, quam sibi arrogant plurimi studiosi, dicuntur, licet quotidiana experientia eheu confirmentur, testem adducam insignem aliquem Theologum, qui in Illustri Academia per plures annos Doctoris

ctoris publici officio defunctus fuerat & Academicorum mores probe perspectos habuit. Is est ὁ Μακαριτης Celeb. *Wernsdorfius*, qui in Oratione *de vera studiosorum Academicorum Libertate* novæ editioni operum aureorum inserta, sequentem in modum pronunciat. *Quod de Pace dictum est*, nomen ejus dulce esse, rem vero ipsam salutarem: *Idem sane de Libertate merito affirmari potest, cujus amorem incredibilem non in hominibus tantum ratione præditis, sed in brutis etiam animantibus, quotidie conspicimus. Itaque, si liberalium artium studiosi, nulla in hac nostra Academia libertate gauderent, mirum non esset, si illa velut immite ergastulum & pistrinum feraque Cyclopum officina, ab omnibus desereretur, nosque in posterum nobis ipsis nostrisque Musis, cantare juberemur. Sed nescio quomodo idem hac in re, quod ipsi Ecclesiæ Christianæ, idque statim in ejus incunabilis, contigit. Cum enim primi Christianismi Doctores discipulos suos a jugo legis Mosaicæ immunes pronuntiarent, atque* ad Libertatem Christianam *vocarent: statim sunt inventi pravi homines, qui Christianis, velut omni lege solutis, quidlibet audendi licentiam concessam dicerent. Quod in Ecclesia crescens lolium venenatum tam late postea sparsum fuit, tamque altas radices egit, ut nunquam ex ea evelli potuerit, & quod non vane timemus, nunquam dum stabit mundus, evelletur. Eadem prorsus ratione, cum primum auditum esset, Reges & Principes, aliosque bonarum Literarum Mecænates, cum ad has promovendas publicas instituissent Academias, magnis eas* Libertatibus atque Immunitatibus *dotasse: vitiis dediti homines, qui nullam aliam norunt libertatem, quam libertatem peccandi, ita statim id interpretati sunt; Academicis hominibus per istud licita facta esse, quæ alias reliquis hominibus sunt prohibita. Sicque paulatim res eo deducta est, ut studiosi passim considerentur tanquam homines prorsus exleges, atque ab omni cujuscunque disciplinæ jugo immunes; hocque potissimum privilegio putentur a pueris distingui, qui sub pædagogis, eorumque ferula, detinentur: Eas vero solum Academias, Scholasque* Universitatum *nomen mereri, in quibus effrenis hæc licentia regnet, reliquas omnes, ubi aliquid strictioris disciplinæ reliquum est, in classem* Scholarum Trivialium, *Magistrosque in iis docentes, in censum* Pædagogorum & Ludimagistrorum *esse referendos. Talium Orbilionum munus esse, discipulos hortationibus seriis, severisque vitiorum exprobrationibus & pœnis in officio continere. Doctores vitæ Academicæ assuetos, melius nosse, quid ferat mos Academiarum, quamque indulgenter, & liberaliter sint tractandi studiosi, in iis viventes. Tales* Universitatibus *Magistros convenire, qui quæcunque ad ipsos de studiosorum licentia deferantur, non magis irascan-*

tur, quam *Micio* ille Terentianus: Fores effregerunt. *Quid tum? Studiosi Academici sunt*, restituantur. Vestes disciderunt. *Haud magnum illud malum est. Studiosi fecerunt*, resarciantur *vestes. Hos sane si audimus Ludimagister & Pædagogus fuit* David, *cum jussit*, *ut* Adolescens semitas suas purificet observando verbum Domini. *Pædagogus* Salomon, *cum præcipit*, *ut* Adolescentes jam in juventute Creatoris sui recordentur. *Pædagogus* Johannes *Apostolus*, qui laudat adolescentes, *quod* validi sint, *nempe in bono*, *quod* Verbum Dei in iis habitet; *quod* Improbum vicerint; *qui adolescentes etiam hortatur* mundum ne diligant, & ea quæ in mundo sunt, cupiditatem carnis oculorumque & superbiam vitæ. *Pædagogi inquam hi fuerunt*, *aut hæc cum præcipiunt Adolescentibus*, *præcipiunt omnibus*, *præterquam Studiosis Academicis.* Hactenus Insignis ille Theologus. Non autem est dubium, eos, qui de Libertate illa Academica adeo impie, & stulte sentiunt, in omne nefas ruituros, atque pravis animorum affectibus fræna laxaturos esse; dantur præterea multi in ejusmodi locis, qui ambitione & inclarescendi studio inflammati, in frequentioribus illis congressibus paradoxas & Religioni infestas, ad ostentandum ingenium, in medium proferunt, & promiscue spargunt opiniones; unde, quemadmodum hiante uno hiat & alter, sæpe fieri solet, ut juvenes, nondum satis de capitibus Religionis christianæ persuasi neque severioribus disciplinis satis exculti, animorum accedente levitate, pestiferis opinionibus mature subscribant, inprimis si audiunt, eos, qui quidlibet impudenter effutiunt, & veritates gravissimas impugnant, aut saltem impugnare videri volunt, *Eruditorum Studiosorum* famam obtinuisse. Nunquam homines doctiores sibi esse videntur, quam ea ætate, qua nondum cognoscunt, in quo vera Eruditio posita sit. Ubi vero ad ambitionem accedit animi quædam insignis levitas, pravique affectus; sæpe bellum indicunt Religioni ipsi, atque voce & scriptis impudentem suam audaciam commonstrare annituntur. Neque diffitendum, leges adversus omnis generis excessus, in quibusdam Academiis nimis esse laxas, de quo extant hinc inde virorum præstantissimorum querelæ. Certe, quo magis ætas horum hominum ad omnis generis vitia proclivis est, eo magis civitatum Rectoribus, & publicis Doctoribus annitendum esset, ut pœnis severioribus delinquentes punirentur; cavendum inprimis, ne detrimenti quid patiatur pietas, frænumque legum impune solvat Licentia. Qui honestis legibus sese subjicere nolunt, indigni sunt, qui pro optimarum artium & disciplinarum studiosis, &

sapien-

sapientiæ alumnis habeantur. Neque putandum est, mala hæc in florentissimis Europæ Academiis duntaxat obtinere ; hæc pestis enim minora etiam Gymnasia invasit. Crescit etiam in his hortis infelix hoc lolium, & steriles hæ avenæ etiam hic dominantur. Ubique reperias, qui ita vivunt, ut facile colligas, eos parum de Religione persuasos esse & exigua Numinis reverentia tangi. Utinam & nobis nulla unquam de hoc conquerendi daretur occasio ! Qua ratione vero, rebus ita comparatis, cives, qui vitam horum hominum, moresque perspectos habent, in vitium Incredulitatis incidere possint, vel me tacente quilibet videt. Qui rudi quadam divinarum rerum cognitione sunt instructi, exemplis potius, quam rationibus ad ita vel aliter sentiendum & agendum impelli solent. Hi vero ubi animadvertunt quotidie, ipsos illos, qui profunda quadam rerum divinarum cognitione sese instructos esse jactitant, in omni vitiorum genere volutari, pietatem ridere, sanctissima Religionis capita posito pudore impugnare, ad omne nefas peragendum promtissimos paratissimosque esse, facile inducuntur ut credant, ejusmodi homines in rebus ad Religionem spectantibus meros esse histriones, eos in sinu sanctissima quæque albis dentibus ridere, atque Literis duntaxat vacare, ad ingenium exercendum, panemque lucrandum. Hoc posito insuper colligunt, homines illos adeo abjecte de Religione judicaturos non fore, neque posito pudore omnis generis vitia perpetraturos, si certa esset, & extra dubitationis aleam posita, Religionis christianæ veritas. Non quæritur, utrum hi homines recte ratiocinentur nec ne; sed de eo duntaxat quæstio est, utrum homines exigua rerum divinarum cognitione instructi, & vitiorum quorundam amore capti, non facile ita in vitium Incredulitatis incidere possint, de quo forte nemo sanæ mentis dubitaverit ; utinam quotidiana huic nostræ sententiæ contradiceret experientia ! Augetur hoc malum, si iidem audiant aliquando pro cathedra tales studiosos, tanquam de cœlo lapsos nuper de pietatis necessitate & indole differentes, & in vitia passim grassantia severissime invehentes : qui tamen, cum primum domum reversi, ad nugas suas, commessationes, & ad omnis generis excessus, animos applicant. An non ita in Auditoribus multis facile pietatis studium deprimitur, animique eorum adversus omnem Religionem obfirmantur ? Ne quis vero existimet nimis severum esse meum de Academicorum quorundam moribus, & vitiis judicium, adducam in medium Virorum quorundam Celeberrimorum & præstantissimorum testimonia, & quærelas, ex quibus constabit, nos

veritatis leges non migrasse; Hic vero non provocabo ad ea testimonia, quæ G. *Arnoldus* in sua Hist. Ecclesiastica adduxit, quia novi, hominem hunc esse suspectum multis, & fidem illi exiguam, ubi etiam vera dicit, haberi. Sed testes tales producam, quos boni omnes magnificiunt & venerantur. Inter eos primus est ὁ Μακαριτης S. *Werenfelsius*, Theologus excellentissimus, cujus verba antea de Licentia Academica adduxi. Hic vero in Dissert. de *Scopo Doctoris Theologi* pag. 397. Edit. pr. in hæc erupit verba: *Amaris lachrymis deflenda est horribilis illa licentia, quæ in Academiis plerisque regnat, idque non minus inter S. Theologiæ, quam aliarum artium & Literarum Studiosos. Qualis, ô Deus! qualis hæc est præparatio ad S. Ministerium, a quo salus æterna tot animarum pendet? Quale tandem miraculum requiritur, ut, qui in talibus Academiis juventutem transegerunt, fiant aliquando, quod esse debent, Episcopi irreprehensibiles, & omnium virtutum exemplaria?* Succedat huic *Excellentissimus Pfaffius*, Academiæ Tübingensis dignissimus *Cancellarius*. Hic vero in Dissert. de *Vitiis eorum, qui sacris operantur*, &c. pag. 4. sequentem in modum pronuntiat: *Quod mores conversationemque, quæ apud S. Literarum Studiosos hodie communiter obtinet, concernit, præjudicium quoddam, errorque practicus primum nostro se sistit obtutui, ante omnia nobis forti, quantum possumus, manu jugulandus. Pravum est oppidoque perniciosum, apud eos, qui Sacris Literis operam dant præjudicium, quod arbitrantur, se vocationi suæ satis quod est facere, si animum saltem ideis theologicis, quæ vulgo orthodoxæ nuncupantur, donent, nec adeo necessarium esse, ut mutata in melius voluntate, & abnegatis quibuscunque voluptatibus, divina virtute imbuti, sinceræ ad Deum conversionis, sanctificationisque exempla existant.* Quibus paucis interjectis hæc addit: *Quid itaque de iis sentiendum sit, qui sacra dum tractant, & animi, & linguæ, & gulæ vitiis, & quibusvis voluptatibus indulgent*, Liberrimamque NB. illam conversationem Academicam, indomitamque, atque immodestam vivendi rationem *sequuntur quivis facile colligit, non quippe dignos eos esse, qui Theologiæ Studiosorum titulo ornentur, sed Eorum in diptycha esse referendos*, qui Religionem Incredulorum, Impiorumque contemtui risuique *exponunt*, *Ecclesiamque*, *mala sua perversaque vivendi ratione, plurimum vastent.* Idem Vir Celeb. in *Oratione* de *Universitatibus Scholasticis emendandis* pag. 24. corruptionem in his locis regnantem candide, & graviter fatetur & reprehendit dicens: *Quæ Officinæ Sapientiæ, quæ officinæ virtutis esse debebant, ab hac dignitate sua plurimum ubique abire conspiciuntur. Si enim in rem præsentem descen-*

descendamus, si Universitatum statum hodiernum recte ponderemus, atque contemplemur, facile perspiciemus, & insignem morum corruptionem, & pædantismum literarium in iisdem utramque fere paginam facere. Et vero quod prius attinet nemo est, qui rem ipsam proh dolor! experientia teste satis conspicuam, negare ausit. Videmus, Videmus gentem Academicam ubique in omne genus licentiæ atque vitiorum effusam; videmus & deploramus præjudicia illa practica, quæ mentes hominum occupant; Videmus mores a modestia, a decoro, a genuina & nobili vivendi & conversandi ratione declinantes, eamque ubique vitiis consuetudinem effusam, ut qua ratione hæc mala emendari queant, vix pateat. De eodem malo conqueritur Vir *pietate & meritis gravis.* J. F. *Ostervaldius Source de la Corruption* &c. Tom. II. Cap. III. ut pientissimi jam *Speneri*, aliorumque justissimas, de corruptione hac, quærelas mittam.

III. Ab Academiis progredimur ad Doctores publicos, in iis divinas pariter & humanas disciplinas tradentes. Hi sæpe incuria, negligentia, & exemplo vitæ, multum conferunt, ad Impietatem & Incredulitatem promovendam. Quoniam vero Theologiæ Professorum potissimum, & V. D. M. officium est, capitalia Religionis capita explicare, eadem tueri, virtutisque studium nonsolum Auditoribus inculcare, sed & luculenter demonstrare, qua ratione aliis suo tempore hæc probare & insinuare possint; Hic vero per partes ostendemus, multos eheu! officio suo deesse, multaque vel agere vel omittere, quæ studium pietatis, & religionis cultum sufflaminare possunt. In quo argumento ita sum versaturus, ut sperem, Theologos veri rectique amantes, nil in iis, quæ prolaturus sum, desideraturos. Dicam de vitiis, parcam personis. Quicquid de his vel illis aberrationibus dixero, luculentissimis testimoniis Theologorum Protestantium, eorumque optimorum & præstantissimorum confirmabo. Neque ea, quæ prolaturus sum, obstabunt, quo minus bonus quisquam, qui verum rebus & personis pretium ponere solet, de Sacrorum Ministris, eorumque munere recte sentiat. Ad me quod spectat, agnosco lubens, hinc inde inter Doctores publicos & Theologos, reperiri plures, nonsolum Eruditione solida rerum dinarum & humanarum instructos, sed & sincero amore divino & virtutis studio incensos. Injurii essemus nonsolum contra præstantissimos illos viros, sed & contra Deum ipsum, qui ut boni omnis Auctor est, ita etiam ad Ecclesiæ suæ commoda promovenda iis facultatibus & donis multos exornat, quæ ad promovendam Eruditionem & pietatem plurimum conferre possunt, si immemo-

Theologi & V. D. M., sæpe vel incuria & negligentia, vel vitæ Exemplo Incredulitati patrocinantur. Ostenditur hoc per partes. Et primo quidem in eo multi peccant, quod, quæ ad praxin pietatis, & officia V. D. M. pertinent, vel plane non inculcent, vel satis ofcitanter tradant.

memores essemus utilissimorum laborum, quos ad Religionis, pietatisque cultum, Auditoribus suis commendandum, impendere solent. Nonsolum nihil horum virtutibus & Eruditioni detractum volumus, sed eos potius magnificiendos, atque laudandos esse publice profitemur. Hoc tamen non obstante, licebit, & quidem sine cujusquam infectatione ostendere, qua ratione fiat, ut multorum, qui officio publicorum Theologiæ Professorum, & V. D. M. muneribus defunguntur, incuria, negligentia, præpostera institutione, vitæ Exemplo &c. animi, ab amore Religionis & pietatis retrahantur & sæpissime in ipsum Incredulitatis barathrum præcipitentur: Juvat hoc per partes ostendere: Et (1) quidem dantur multi Doctores in Academiis & Gymnasiis, qui id unice negotii sibi datum esse existimant, ut Auditores suos reddant *doctos*, varia rerum utilium, sæpe etiam parum profuturarum, cognitione instructos, interim ea, quæ ad *praxin virtutum*, in primis vero ad officia futuro V. D. M. perquam cognitu necessaria pertinent, aut plane negligunt, aut oscitanter satis tradere solent. Quo ipso innumera mala in Ecclesiam redundant, inter quæ sine dubio etiam Incredulitas & Religionis contemtus referenda sunt. Quam necessaria sit Studioso & futuro V. D. M. Ethicæ Christianæ accuratior cognitio ad vitam suam ad præcepta Jesu Christi conformandam, ad vitia passim in cætibus grassantia debellanda, ad causas fontesque degeneris Christianismi detegendas, ad saluberrima, tantis malis occurendi consilia suppeditanda, &c. nemo ignorat. Notum insuper, fieri non posse, ut Pastor officio suo rite defungatur, nisi ipsemet nonsolum ardenti pietatis studio ardeat, sed & perspecta cognitave habeat omnia, quæcunque ad munera pastoralia rite obeunda requiruntur; Ita scire debet, qua ratione rite Infantibus veræ Religionis & pietatis præcepta sint tradenda; quid potissimum publice & privatim urgendum; qua ratione tractandi securi, hypocritæ, ærumnis pressi, in fide debiles, de salute anxii &c. Hæc & plura alia pro circumstantiarum, & personarum ratione, cum sint dirigenda & moderanda, nemo non videt, necesse esse, ut futurus V. D. M. accuratissimam habeat omnium partium officii sui cognitionem. Plures autem dari Doctores publicos, qui aut negligant hæc omnia prorsus, aut oscitanter tractent, experientia eheu! notum est. Sunt qui infra Doctoris Theologi dignitatem positum esse putant, facilia illa, uti putant, Ethicæ Christianæ præcepta tradere; existimant discipulos suos ea, quæ ad officia Ministrorum pertinent, sua sponte, duce experientia, suo tempore animadversuros; urgenda

jam

jam quidem esse studia dogmatica, exegetica, propherica, typica, &c. armandosque contra omnis generis Hæreticos etiam eos de quibus Auditores sui nil quicquam audiverunt, discipulos suos: Quod si in his studiis satis versati sint Auditores, existimant sese officio suo ex asse satisfeciisse: Alii sibi persuadent, hoc potissimum agere debere Doctorem Theologum, ut famam suam longe lateque extendat. Eum in finem nulli labori, operæ, vigiliis, & sumptibus esse parcendum, ut ad optatum perveniat finem. Tales vero ut plurimum ea, quæ ad officia sua præstanda requiruntur, non sine tædio defunguntur, aut oscitanter tractant, *practica* vero *studia* prorsus nauseant, abjectioribus ingeniis hæc curanda esse putantes; quasi vero ex nova quadam horum vel illorum locorum scripturæ explicatione: harum vel illarum hypothesium novarum inventione, ex victoria vera vel imaginaria de hoc vel illo Adversario, cujus ineptas & stultas opiniones sæpe ne centesimus quidem perspectas habet, nedum ut periculum sit, multos, albos calculos iis adjecturos, reportata &c. quasi inquam major ex hisce ad Ecclesiam Dei sit redundatura utilitas, quam vero ex accurata institutione eorum, quæ ad veram pietatem, in cætibus Christianorum promovendam facere possunt. Quantum autem malorum ex hac negligentia oriantur, vix verbis satis potest exprimi. Ita enim multi studiosi, discendi & inclarescendi studio incensi, exemplo suorum Præceptorum compulsi & inducti, nonnisi iis incumbunt studiis, quæ ad consequendam Eruditionis famam facere possunt: ut vero ipsimet sint pii, suoque tempore virtutis studium potissimum urgeant, exiguam impendent curam. Hinc cum his vel illis cætibus præesse debent, in alium quasi orbem sibi delati videntur: sentiunt ex omnigeno illo Eruditionis variæ apparatu pauca depromi posse, quæ ad statum Auditorum suorum faciant, quæve ad omnis generis vitia rite debellenda, veramque pietatem promovendam, plurimum conferre possint. Ita fieri aliter non potest, quam ut impietas & Incredulitas passim capita tollant, quia ea, quæ ad hæc mala extirpanda adhiberi deberent media, aut prorsus negliguntur, aut parum sapienter, aut minus frequenter, inculcantur. Atque hæc mala eo magis sunt deploranda, quod Doctores publici haud ignorent, plerosque suorum Auditorum suo tempore in pagis officiis V. D. Ministrorum defuncturos esse. Certe non tantum impium, sed & ridiculum & ineptum est, ea sine quibus officia sua rite præstare non possunt futuri V. D. Ministri oscitanter pertractare, aut prorsus negligere; alia vero omnia, quæ tantum pondus ad hunc finem obtinendum adferre

non possunt, incredibili studio ac diligentia urgere. Nollem autem quenquam hæc, quæ a me dicta sunt, ita interpretari, ac si hoc unum a Doctoribus publicis præstari vellem, ut nimirum neglectis iis disciplinis & artibus, quæ ad Theologiæ accuratioris cognitionem necessario requiruntur, in veritatibus moralibus, & officiis Ministrorum explicandis, tantum sint occupati. Alienissimus sum ab hac sententia, probe sciens, culturam nobilissimarum disciplinarum, non tantum nihil officere pietatis studio, sed eas rite excultas, & suis locis & temporibus accommodatas plurima eaque excellentissima adferre adminicula & præsidia, ad veram pietatem promovendam. Hoc unum igitur volumus, non minus praxin pietatis in Academiis & Gymnasiis, eaque, quæ ad officia Ministrorum pertinent, esse tradenda & urgenda, quam docenda ea, quæ ad accuratam studiorum theologicorum notitiam obtinendam requiruntur. Et profecto quisquis, ad præsentem Ecclesiarum statum, ad grassantia passim vitia, ad degenerem Christianismum, ad crescentem semper indies & pestis ad instar serpentem Incredulitatem, oculos mentis convertit, deprehendet facile, neglectum eorum officiorum, quorum jamjam mentionem fecimus, tantorum malorum non postremam causam esse. Atque hoc agnoverunt inter Theologos Protestantes præstantissimi, quorum testimonia & justissimas quærelas hic ut adducam necessitas postulat. Et jam suo tempore (ut de iis incipiam, quæ ex neglectu & ignorantia officiorum, quæ a Ministris requiruntur, oriuntur) conquestus est *Erasmus*, quam male agant illi, qui cœtibus Christianorum tales præficiunt Doctores, qui ea, quæ ad hoc munus rite obeundum necessario postulantur, ignorant. De *ratione concionandi* p. 66. sequentem in modum pronuntiat: *Annon* (inquit) *præposterum est, explorare fidem ac peritiam ejus, cui destinasti boves aut equos tuos committere, & nihil habere pensi, cui committas animas hominum, pro quibus mortuus est Christus? Submoves colonum negligenter, aut imperite colentem arva tua, & non submoves Pastorem, malum semen jacientem in bonam Domini segetem? Annon præposterum est, in navigatione non cuivis committere remos, non quemlibet admovere clavo, sed eum, qui gubernandi sit peritus, & Ecclesiæ curam nullo delectu cuivis committere? Si quis tibi dicat, hic assideat gubernaculo, bene natus est, prædives est & habet quod det, & dat liberaliter, gratiosus est apud Principem, denique tibi cognatione propinquus est & amicus, nonne protinus proclamares, quid mea refert, qualis sit in cæteris, hæc tempestas peritum ac strenuum nauclerum requirit alioqui periclitan-*

clitantur omnes: Et ista nulli veniunt in mentem, ubi longe gravius est periculum? In naufragio periclitantur merces, periclitantur corpora, quanquam fracta nave multi enatant incolumes, & ipsum mare multas merces in littus ejicit. In hoc naufragio in extremum periculum veniunt animæ, merx Christi charissima.

G. *Amesius*, superioris Seculi Theologus præstantissimus, in sua *Paræneſi ad Studiosos* gnaviter etiam hoc ulcus tangit, dicens: *Tentavi ego anno præcedente, qui rem necessariam videbam omissam, an Theologiam aliqua ex parte avocare possim a quæstionibus & controversiis quibusdam spinosis, perplexis & minus necessariis, & ad vitam & ad praxin eam adducere, ut de conscientia & ejus cura incipiant studiosi serio cogitare. Consilium illud meum ab optimo quoque probari scio. Hoc enim est, quod pii omnes in Academiis nostris diu jam, & nimis certe diu, desiderarunt. Hoc ipsum quod omnium est gravissimum, miserandæ Dei Ecclesiæ, quasi jure suo ab omnibus Academiis flagitant, quæ prodi se, & plane perdi clamitant, dum conscientiæ hominum iis curandæ & ex officio tractandæ mandantur, qui nullam hujusce rei artem ulla ex parte didicerunt: qui an talis doctrina necessaria sit, vel omnino sit, videntur nescire; qui vix unum præceptum, non omnibus notum, quod eo directe spectat, aut sibimetipsis eligerunt unquam sedulo meditandum, aut ab aliis audiverunt diligenter inculcatum, Primus & maxime capitalis error, cui cæteri fere omnes originem suam debent, in eo versatur, quod de Theologiæ proprio fine, raro & parum ab iis cogitatur, qui inter ejus alumnos nomina sua profitentur. Quid enim est miri, si scopum illi nunquam attingant, qui nunquam ad eum intentis oculis collimarunt. Scopus autem Theologi quis esse debet?* Apostolus paucis docet 1. Tim. IV. 16. ut semetipsum nempe servet, & eos qui ipsum audierint, *id est, vivens ipse Deo, alios etiam ad Deum adducat: vel, ut Dei gloriæ & Ecclesiæ ædificationi addicat & devoveat sese totum.* Et paucis interjectis: *Illi vero, qui principia, & omnia fere practica negligunt, tanquam vulgaria, pervia, ac omnibus exposita, & languent interim circa quæstiones quasdam subtiliores & controversias implexas, cum postea ad concionandum accedunt, sibimetipsis quidem nimis placent, sed prudentioribus omnibus alias risum & alias misericordiam solent movere. Risum, quando vel minima arrepta ansa, de controversia aliqua non necessaria plura proferunt, quam oneraria navi possint contineri: misericordiam, cum de practicis verba facere coacti, in alium mundum videntur translati, & magis frigent, quam multi ex plebe facerent, in eorum loco constituti. Si vero praxis una cum peritia harum rerum absit,*

pudor est cogitare, quale spectaculum sese præbeat hujusmodi Magister controversiarum. Contendit acerrime Sanctos & Angelos non esse invocandos; cum ipse interim, Deum O. M. vel nescit, vel negligit invocare. *Christi corpus neque in pane sacramentali, neque sub ejus specie latere, arcte defendit;* communionem tamen Christi, tanquam speciem, aut larvam aliquam indignissime tractat. *Omnia peccata mortalia esse solicite probat:* Sic autem vivit, quasi nullum scelus opus haberet venia. *Operibus hominem non justificari multis testimoniis & argumentis demonstrat:* fidem tamen suam vivam & veram nullis operibus unquam ostendit. *Annon præclare populum suis controversiis exædificabit?* De malis hisce etiam valde conquestus est ὁ Μακαριτης Celeb. *Werenfelsius* passim hinc inde in suis operibus theologicis; cumprimis vero de eo agit præclare & solide uti semper, in Dissertatione de *Scopo Theologi*, quæ frequentissime a Professoribus Theologiæ omnibus, & S. Literarum Studiosis, esset legenda & perpendenda. Quædam duntaxat ex ea excerpemus, quæ ad scopum hunc nostrum potissimum faciunt. Pag. 395. Edit. prior. ita pronuntiat ὁ Μακαριτης: *Necessaria Pastori instruendo ii omittunt Doctores, qui discipulos suos tantum docent credenda non docent facienda; totum tempus impendunt tradendis dogmatibus, quæ in speculatione consistunt, partem Theologiæ practicæ negligunt. Omittunt sane isti partem Ministris Ecclesiæ maxime necessariam. Quomodo poterunt hi aliorum mores corrigere, qui doctrinam de moribus nunquam attigerunt? Quomodo poterunt quemlibet Auditorum suorum ad Officium hortari, qui in quo cujuslibet officium consistat, nesciunt: quomodo poterunt aliorum conscientias dirigere, qui, quid conscientia in quolibet casu poscat, definire nesciunt? Quomodo poterunt animi morbis mederi qui originem naturam, & symptomata horum morborum ignorant; quibus corda hominum, quæ curanda sunt, penitus sunt ignota? Mirum non est semel atque iterum non modo homines privatos, sed integras etiam Synodos enixe flagitasse, ut in Academiis reformatis peculiares Theologiæ practicæ Professores constituerentur, quemadmodum id fit in Ecclesia Romana Academiis. Ego sane nescio, annon aliquo jure Doctores Pontificii hunc nobis defectum exprobare possint, atque exinde non sine quadam verisimilitudine concludere; verum esse quod toties nobis objiciunt, bona opera parvi a nobis fieri, saltem non tanti, quanti fiant in sua Ecclesia, ubi tanta cura & solicitudine docentur. Necessaria Pastori instruendo illi quoque Doctores negligunt, qui dogmata quidem Religionis tradunt, theoretica, practica, eorumque simul moribus invigilant; sed eos non instruunt ad munus, quo fungi debent, saltem non instruunt,*

instruunt, quantum necesse est. *Quod quidem perinde est*, ac si Sutor discipulum suum multa quidem Sutori non inutilia doceret, sed non doceret facere calceos. *Tales sunt Doctores, qui discipulis suis multa quidem non contemnenda tradunt, sed Eos minime instruunt ad ea, quæ olim, cum Sacro Ministerio defungentur, quotidie facere debent.* *Non instruunt eos ad functiones Ministri rite peragendas, ad cultum Dei publicum dirigendum & moderandum; ad preces omnis generis fundendas; ad concliones sacras cum Auditorii ædificatione habendas; ad exercitia catechetica ad puerilem captum accomodanda; ad Ecclesiam, cui aliquando præerunt regendam, Consistoria moderanda, usum clavium exercendum: ad peccatores omnis generis convertendos; ad tentatos erigendos, ægrotos consolandos, moribundos corroborandos; & sexcenta alia, quæ Pastori animarum singulis diebus & horis peragenda occurrunt.* *De Oratoribus, qui ex Rhetorum Scholis in forum prodeunt, dixit olim Satyricus; Hos in alium sibi orbem videri delatos.* *Majori id jure dici potest, de Studiosis Academicis, cum ad Ecclesiam aliquam pascendam vocantur.* *In novum orbem sibi delati videntur.* *In Scholis audiverunt Doctores suos de variis rebus subtiliter disputantes.* *Nunc in Ecclesia, cui præfecti sunt, minime de disputando agitur: modo conciones sunt habendæ, modo preces sunt fundendæ, mox catecheticis exercitationibus vacandum, modo peccatores corripiendi, modo afflicti consolandi, modo ægroti visitandi, aliaque hujus generis peragenda; quorum omnium nihil unquam in Scholis didicerunt.* *In Scholis* audiverunt, quomodo Hæretici refutandi, & Heterodoxi refellendi. *Hic nulli illis vel Hæretici neque Heterodoxi occurrunt, quos coarguant: sed occurrunt identidem peccatores obstinati, quos corripiant disciplinæque severitate coerceant.* In Scholis nihil aliud laudari audivere, quam bene de rebus variis disserentes, bene judicantes, bene ratiocinantes. *Hic parum est bene disserere, bene judicare, bene ratiocinari: Agendum est quotidie, atque ad bene agendum, nunc sapientia & prudentia, nunc mansuetudine & moderatione, nunc patientia, fortitudine & constantia opus est, quas virtutes exercendi nullam in Scholis occasionem habuerunt.* *Scio multa a Pastore, cum munere suo defungitur, ipso usu disci; & fabrum, ut est in proverbio, fabricando fieri: Pastorem, functiones pastorales quotidie obeundo, ad eas ipsas obeundas aptiorem, & in his indies consummatiorem reddi.* *Sed homini, qui ne quidem distincte cognoscit, quænam sint Pastoris functiones, quidque ad eas rite exercendas requiratur, imo qui de his in Scholis vix quicquam audivit, curam animarum committere, nescio cujus temeritatis, ne dicam impietatis est.* *De Medicis, qui*

novitii ad medicinam faciendam accedunt, vulgo dicitur, novum iis cœmeterium esse exstruendum. Quid vero de novitio tali Pastore dicemus? Novusne ei infernus extruendus est, in quo torqueantur illi, cum quorum æterna pernicie artis suæ rudimenta deponit? Extruendus sane foret, nisi is, quem Deus suppliciis damnatorum destinavit, satis ad hos quoque capiendos spatiosus esset. Hactenus eximius ille Theologus. Conf. Ejusdem Examen quæstionis, *utrum habitus Theologiæ, qui debet esse in Ministro Ecclesiæ, an qui esse debet in Doctore Academico plura requirat*, novæ op. Editioni pag. 298. Tom II. insertum.

Easdem quærelas movent alii. Inter eos etiam est, Excell. *Pfaffius*, qui passim in scriptis suis de neglectu horum studiorum loquitur. Orat. supra cit. de vitiis Eorum qui sacris operantur p. 15. ait: *In Academiis Theologia Moralis vel plane negligitur, vel theoretica utplurimum ratione, & ad formam Systematis tractatur. Et prout in Philosophia Morali instillanda non id agitur, ut rectæ conversationis, affectuumque bene dirigendorum præcepta Auditoribus instillentur, animique discentium vitiorum odio, virtutis amore impleantur, emendenturque, id quod tamen præcipuum est, ita nec idem in tractatione Theologiæ Moralis Academica conspicere est, ubi theoriæ nimium indulgeri, asceticamque rerum evolutionem perperam negligi, curiosisque subinde & eruditis quæstiunculis præter rem operam dari videas, cum pravi vitiorum recessus ante omnia investigandi, malorum fons & copia, virusque ad convictionem uniuscujusque detegendum, virtutis vera indoles summaque præstantia ostendenda, interioresque, quibus ad penitiorem cum Deo unionem ducimur, peccatumque penitus sub jugum mittimus, viæ hic ostendendæ essent.* Et paucis interjectis: *Dolendum est, ea, quæ ad pastoralem Theologiam spectant, communiter negligi.* Plura non adducam: legantur insuper quæ viri in Theologia Morali Exercitatissimi, de malis hactenus recensitis scripsere, nimirum Ven. *Osterwaldius Source de la Corruption Cap. III.* integro, Cl. *Roques* tractatu de *dignitate Minist. Ecclesiast. Cap. VIII.* & Celeb. *Hottingerus* Theologus Heidelbergensis in Præfat. Typi vitæ christianæ, & passim in aliis opusculis practicis.

Doctores publici sæpe Capitalia Religionis Naturalis & Revelatæ capita jejune tractant, in

IV. Ad mala autem hæc augenda, & Incredulitatem promovendam, non parum mihi conferre videntur illi Doctores publici, qui in Academiis & Gymnasiis capitalia Religionis Naturalis & Revelatæ capita satis oscitanter tradunt; in explicandis vero & tuendis veritatibus particularibus, vel novis hypothesibus, ad summam Religionis parum, aut nihil facientibus, aut controversiis minoris momenti, singularem

larem curam atque diligentiam impendunt. Notum est in Academiis collegia uti vocantur haberi homiletica, exegetica, prophetica, polemica, &c. Hæc quin insignem usum habere possint, infitiatur nemo. At dolendum, sæpe negligi ea, aut saltem minus pro dignitate rerum tractari, quæ omnium sunt præstantissima, cognituque quammaxime necessaria. Mea opinione, antequam Systemata, uti vocantur, dogmatica, studiosis explicarentur, necesse esset, ut singillatim capita Theologiæ Naturalis & Revelatæ magna cum cura traderentur, Incredulorum objectiones sincere repræsentarentur, & solide convellerentur. Hoc demum facto, ad Systemata esset progrediendum. Cur ita sentiam, obscurum non est. Primo enim omnibus, qui quidem vel mediocriter in disciplinis sanctioribus versati sunt, constat, particulares veritates evidenter demonstrari non posse, nisi capitalia Religionis capita, quibus illæ innituntur, solide sint probata, atque extra dubitationis aleam posita. Necesse igitur est, ut singulari industria argumenta hæc tractentur. De his autem, si vere persuasi non sunt S. Literarum studiosi, qua ratione per omnem vitam S. Ministerio admoti, serio & alacriter Religionis causam tuebuntur; quis Zelus erit pro Gloria Dei? quo ardore tandem publice & privatim pietatis studio promovendo incumbent? quo animo omnes adversitates, in hoc officio occurrentes, excipient? qua ratione poterunt homines male de primis veritatibus Religionis sentientes, aut dubitantes, errorum suorum convincere, atque meliora docere? testor cujusvis conscientiam, annon defectus hujus convictionis ipsos, & qui eos audiunt, sæpe impediturus sit, quo minus suis officiis faciant satis. Accedit quod hodie librorum, quibus sanctissima Religionis capita impugnantur, magnus sit numerus; Hi multorum, qui Religionis naturam & indolem perspectam non habent, teruntur manibus. Hæc non ignorant Doctores publici, sed sciunt, eoque nomine valde conqueruntur. Loco igitur quærelarum, quas data quavis occasione effundunt, optime facerent, si Studiosos Sacrarum Literarum, adversus publicos Religionis hostes communirent, armaque illis suppeditarent, quibus errores illos solide possent convellere, veritatesque maximi momenti in tuto collocare. Ea sunt ætate plerique, qui Academias & Gymnasia frequentant, ut vim argumentorum probe possint sentire. Doctores vero sæpissime hoc facere negligunt, quod norunt illi, qui Academias frequentarunt; Hi profecto officio suo nonsolum rite non defunguntur, sed & in causa sunt, ut multi Auditorum suorum, officiis publicis admoti, causam religio-

tradendis vero particularibus veritatibus aut hypothesibus, nimis sunt operosi.

ligionis infeliciter tueantur. (*) Iidem autem, quod dolendum, qui in eo peccant, contra tanto sæpe fervore particulares veritates, & novas hypotheses, vel impugnant, vel defendunt, ut putares summam Religionis in his vel illis articulis positam esse, ex quo denuo multa mala in Ecclesiam redundant. Quamprimum Professor aliquis novam aliquam opinionem, vel hypothesin defendit, fieri solet, ut alii in ejus sententiam concedant, & Præceptori huic placituri, strenue causam illius tueantur; alii vero in contraria ruunt, eumque Doctorem sequi volunt, qui acriter novam hypothesin impugnat: Hinc nonsolum inter fratres lites sæpe oriuntur acerbissimæ, sed & studiosi, dum aliis omnibus incumbere deberent, resque majoris momenti potius addiscere & expendere, in novis illis hypothesibus rite cognoscendis, defendendis, vel impugnandis, maximam vitæ Academicæ partem transigunt. Neque hoc contenti, in Patriam reduces, easdem firmiter retinent, in iis commendandis satis sunt seduli, eoque potissimum nomine suam in studio theologico peritiam demonstrare omnibus volunt. His novis opinionibus per vitam utplurimum acriter adhærent, & sicubi publice verba sunt facienda, non eos eligunt textus, in quibus capitalia religionis capita cognitu omnibus necessaria, aut virtutes omnibus christianis inculcandæ, continentur, sed tales, quæ materiem præbeant de pondere novarum hypothesium differendi. Quod si in Patria fautores novarum opinionum nanciscantur, his sese adjungunt, hos in cœlum tollunt laudibus; hi soli quid in Theologia sit grave, & momentosum intelligunt, cæteri ut umbræ volitant, ignari scilicet tam pretiosarum veritatum. Has opiniones & hypotheses insuper cum articulis in Ecclesia receptis conjungunt, atque in earum strenua defensione veram Orthodoxiam positam esse sibi persuadent. Hinc litium & contentionum in Ecclesia sæpe nova sparguntur semina. Nemo, qui fata rerum, inter Theologos gestarum, perspecta habet, ea, quæ sincere

(*) Ingenue & cordate hanc quorundam Theologorum circa hoc argumentum negligentiam taxat Vir pl Reverendus atque Doctissimus Joh. Fridericus Stapferus V. D. M. Bern. in opere egregio & bonæ frugis plenissimo, nimirum in Institut. Theolog. Polem Tom. II. cap. X. pag 906. ita loquitur Vir Doctus: *Dantur Theologi, qui magnam rerum divinarum Eruditionem possident, qui veritates Religionis particulares ad unguem tenent, qui propterea non contemnendi sed æstimandi sunt; si vero ad prima Religionis principia, si ad veritates illas generales deducerentur, si distinctas earum notiones alius tradere tenerentur, si S. Sanctam Religionem contra Deistarum, Epicureorum, Naturalistarum strophas, si contra Socinianorum objectiones eam defendere obligarentur, dum cum his ex primis principiis, ex notionibus universalibus disputandum sit, quoad maximam controversiæ illius partem, forsan obmutescerent.*

cere a me hic, optimoque fine, in medium prolata sunt, inficiabitur. Juvabit tamen auctoritate Virorum Theologorum, eorumque præstantissimorum, (quod me facturum initio dissertationis promiseram) sententiam nostram confirmasse: Excellentiss. *Pfaffius* inter Principes Theologorum Protestantium merito referendus, reprehensurus singularem illam curam quorundam Theologorum, noviter receptas opiniones tuendi ita loquitur *Orat. de Vitiis eorum, qui Sacris operantur* &c. p. m. 10. *Deploramus, esse, qui egregio præstantissimoque* Orthodoxiæ *vocabulo donent subinde opiniones Doctorum privatas, usu tandem ubique receptas, ad exagitandas aliorum sententias, eorumque mentes sub jugum mittendas, quæ saltem sæpe confictæ duntaxat sunt & in nudis argutiis scholasticis, & τροπω παιδειας academico, ad lites serendas apprime faciente consistunt. Jam & cum diversæ in quavis fere Academia vigeant Orthodoxiæ, ubi unaquæque schola existimat se ad apicem puritatis dogmaticæ pervenisse, maleque fert, si hoc in dubium quisquam revocaverit, eandemque etiam de se opinionem filiis suis instillat, non potest non Sectæ studium, quod inter opera carnis præcipuo quodam jure suo Apostolus Paulus refert, Galat. 5. v. 20. utramque eheu paginam facere, & quid veritatis loco habendum sit, præscribere. Qua ratione, cum ordo rerum rumpatur, veritasque ad hominum auctoritatem judiciumque, non judicium hominum ad veritatis normam exigatur, quæ absque partium studio investigari amat, quivis videt, quanta hinc mala in Ecclesiam profluant, quantaque dissidia, quantæ lites, cum odio theologico, quo infestius nullum est, conjunctæ hinc oriantur.* Idem præstantissimus Vir, in Orat. *de signis temporum præsentium spiritualibus* sequentem in modum pronuntiat: *Viam ad praxin illam, quam tantopere commendamus, parare debet Orthodoxia fidei, quæ veræ pietatis, quæ virtutis veræ & masculæ mater est, tamque egregios fructus sola producit. Jejunum est & insulsum oppido, quod faciunt homines nasuti & increduli, Orthodoxiam carpere, quæ alio verbo nihil aliud, quam veritas divina est. Quis vero veritatem divinam, quis fidei veræ principia haud exosculetur, dimidiæque animæ suæ loco haud habeat, nobilissimam illam articulorum doctrinæ christianæ catenam, quæ in S. Literis clare satis, perspicueque effertur? Et sane dudum eam in sententiam nos descendimus, ut dixerimus, veram pietatem sine orthodoxia esse non posse, certe ex perversis principiis & superstitione illam nunquam manare. Id unicum notandum, Orthodoxiam veram a putatitia recte distinguendam separandamque esse, ne nubem pro Junone, ne Orthodoxiæ spectrum pro Orthodoxia ipsa adprehendamus. Scilicet ita subinde comparata*

sunt hominum ingenia, ut perversos ingenii sui fœtus, ut altas & subtiles de rebus divinis sententias, ut præjudicia, quæ cum lacte materno imbiberunt, ut communes de rebus sacris conceptus, eo ipso quia communes sunt, pro Orthodoxia venditent. *Mihi vero in longe majori pretio Orthodoxia est, quam exosculari, nostramque facere debemus: paucis in articulis consistit, in Scripturis sanctioribus clarissime evidentissimeque revelatis, & cum magna fidei simplicitate, cum magna humilitate, modestia, & sinceritate ejus, qui ea gaudet, & vel maxime cum lumine divino conjuncta est. Nemo, qui Orthodoxus mihi est, altum sapit, jejunisque ex quæstionibus scholasticis illis, & quæ vel tandem ad lites de vocibus abeunt, litem fundamentalem efficit, vel ea, quæ in S. Literis definita haud sunt, decisione philosophica determinat, eosque, qui eandem secum viam ingredi nolunt, damnat.* Hactenus Celeb. *Pfaffius.* Huic succedat denuo ὁ Μακαριτης Celeb. *Werenfelsius*, cujus verba, prolixiora licet, dignissima tamen sunt, quæ omnes Doctores publici & S. Literarum Studiosi serio perpendant; Hic in eadem dissertat: de *Scopo Doctoris Theologi* ita disserit: *Tempus pastori instruendo destinatum male impendunt omnes illi Theologi* polemici & Eristici, *uti vocantur*, quorum manus adversus omnes sunt armatæ, & contra quos vicissim omnium manus armatæ cernuntur, *qui totam ætatem transigunt in perpetuis rixis & pugnis, de nulla alia re cogitant, nisi de Adversariis, quos habent, & plerumque sibi ipsis suscitarunt, exagitandis, deprimendis, prosternendis, anathematizandis; de omnibus dictis suis acerrime defendendis; de fama ab Adversariis utcunque læsa, de auctoritate vel levissime imminuta, strenue vindicanda, & in tuto collocanda.*

Tempus Pastori instruendo destinatum male collocant ii quoque Doctores, *qui magnam ejus partem impendunt ad discipulos armandos adversus eos hæreticos, & heterodoxos, quos postea in oppidis, vicis & pagis, in quos ad Evangelium prædicandum vocantur, nusquam conspiciunt: qui sane* Doctores perinde faciunt, atque ii, qui in regionibus, ubi nulli sunt leones, pardi, aut crocodili, pastores ovium magno labore docerent, qua ratione terribilia ista animalia a gregibus & ovilibus sint abigenda. *Enim vero cogitandum nobis est tempus, quod in Academiis Pastoribus instruendis impenditur, breve nimis: artem vero, quam hi discere a nobis debent, longissimam esse; resectis non modo frivolis, sed iis etiam, quæ levem tantum utilitatem habent, quæ supersunt ad hoc munus rite obeundum, omni ex parte necessaria, satis ipsa per se multa esse & magna: Gravem igitur ab iis rationem Deo reddendam esse, qui discipulos in iis detinent,*

detinent, quæ aliquando obliviſci & dediſcere debent, quando cura animarum rite volunt defungi. Si multum ſupereſſet temporis, verbis utor Senecæ, tamen id parce diſpenſandum foret, ut tot rebus neceſſariis ſufficeret; nunc quæ dementia eſt, ſupervacua docere, in tanta temporis egeſtate.

Cogitandum nobis eſt, non eam plerorumque diſcipulorum diligentiam, non eam ingenii felicitatem eſſe, ut una cum neceſſariis, plurimis quoque ſuperfluis diſcendis ſufficiant. Multum egimus ſi tales, quales plerumque habemus diſcipulos, tali ingenio, tali diligentia, tam brevi tempore, ea rite docemus, ſine quibus Miniſter Evangelicus munere ſuo cum Eccleſiæ ædificatione defungi nequit. Quod ſi inſuper eos farragine rerum inutilium obruere velimus, id ſolum impetramus, ut quidlibet diſcere volentes, nil diſcant: aut ſaltem non aliam ex Scholis noſtris ſcientiam reportent, niſi tam vagam ac confuſam, ut craſſiſſima ignorantia pejor ſit, certe haud multo melior. Novi ea vulgo Syſtemata perfectiſſima haberi, quæ brevi ſpatio quamplurima complectantur, nullamque adeo inter Theologos agitatam quæſtiunculam intactam relinquant. Meo vero judicio, illa optima & Studioſis utiliſſima forent Syſtemata, quæ nihil continerent, niſi quæ futuris paſtoribus ſunt omni ex parte neceſſaria; ſed hæc aliquanto plenius & ſolidius, quam vulgo fieri ſolet, pertractata. Satius enim eſt, recte & ſolide ſcire pauca ſcitu neceſſaria, quam multorum, quorum pleraque parum ſunt utilia, levem quandam, confuſam, & ſuperficiariam cognitionem habere. Cogitandum denique eſt, *judicia Adoleſcentum, quos inſtituimus, nondum firma & matura eſſe. Neſciunt plerumque in hac ætate rerum momenta ponderare & dijudicare,*

Quid diſtent æra lupinis.

Quando igitur animadvertunt, nos, Magiſtros ſuos in rebus parum utilibus multum temporis & operæ conſumere; præſertim ſi ea tractamus fronte rugoſa, ſupercilio, & vultu magiſtrali, aſſueſcunt illa conſiderare tanquam res magni momenti, & tanquam dogmata, in quibus cardo Chriſtianiſmi vertitur: bancque opinionem in Scholis hauſtam, poſtea per omne reliquum vitæ tempus retinent. Ex quo NB. unico fonte *manant innumerabiles illæ, de rebus levibus pugnæ, & concertationes ſcandaloſæ, quo vix majus eſt in Eccleſia malum: niſi forte hoc illud ſit ex eodem fonte manans, quod qui tot inutilia in Academiis audiverunt, poſtea ad Eccleſias vocati, his minutiis, ne dicam nugis, & ineptiis quacunque occaſione oves ſuas paſcunt, & ſalutaribus præteritis, hæc in concionibus Auditoribus ſuis, ite-*

rum iterumque inculcant. Quid mirum? Nimirum hæc sunt, quæ olim in Scholis magni fecerunt; hæc sunt, quæ prope sola inde retinuerunt. Nunc vero nolunt hæc omnia frustra audivisse, &

Quæ Juvenes didicere, senes perdenda fateri.

Necessarium in institutione Juvenum sacro Ministerio consecratorum omittunt illi Doctores, *qui tantum laborant, ut discipuli sui dogmata orthodoxa ab heterodoxis qualitercunque distinguere sciant, eaque S. Scripturæ dictis & argumentis, quæ in Systematibus ad hæc probanda afferuntur, memoriter recitare, seque frivolis quibusdam distinctiunculis, in disputationibus defendere; minime vero laborant, saltem non satis serio laborant, ut discipuli sui de veritate salutarium dogmatum in corde plene sint convicti & penitus persuasi: aut si de iis quoque persuadendis soliciti sunt, eos tantum persuadere nituntur de veritate dogmatum, quæ in controversiam veniunt, quæque Reformatos ab aliis Sectis distinguunt: non de veritate Religionis christianæ in genere, de dogmatibus in quibus Christiani consentiunt; de Deo vasti hujus Universi Creatore; de Providentia ejus ad omnia sese extendente; de supremo judice, omnia hominum facta, dicta, & cogitata videnti, bona remunerante, mala puniente; de immortalitate animorum; de æterna piorum post hanc vitam felicitate & æternis cruciatibus Impiorum: de magno illo beneficio Redemtionis per ipsum Dei filium præstitæ; de fidei in ipsum & resipiscentiæ natura, & ad salutem obtinendam necessitate; de necessitate auxilii divini in omnibus nostris actionibus, inprimis quæ æternam nostram salutem spectant; de necessitate piarum precum &c. De his & aliis hujus generis dogmatibus, qui non penitus in corde persuasus est, Christianus non est, quomodo Minister Christi, quomodo Pastor Ecclesiæ christianæ esse possit? Sine hac firma persuasione, quisquis S. Ministerio fungitur, eum omnia ejus munia negligenter, frigide, & dicis tantum causa, obire necesse est. Imo sine hac persuasione Pastor ita dictus,* revera est impius hypocrita, mimus, & histrio mercede conductus, purus putus denique Agyrta: *Cum concionatur, cum preces ad Deum fundit, cum Sacramenta administrat, cum nomine Christi disciplinam exercet, cum ægrotos consolatur, cum moribundos ad meliorem vitam præparare videtur; in his omnibus horribile dictu, nil serio, nil ex animo agit; histrioniam exercet, & personam agit sibi in fabula demandatam.* Hactenus Excellentissimus *Werenfelsius.* Huic denique adjungo præstantissimum P. *Roques,* Pastorem Ecclesiæ gallicæ basileensis dignissimum, qui in tractatu

ſtatu ſuo egregio de *Paſtore Evangelico* in cauſas inter alia inquirens, cur pauci de excellentia & dignitate Miniſterii Eccleſiaſtici ſint perſuaſi, & hanc adducit, quod nimirum in Academiis, de Muneris Eccleſiaſtici natura, indole & præſtantia, vel nihil audiant, vel quod quædam tantum, idque perfunctorie, de hiſce tradantur. Lib. cit. pag. 169. ſq. verba ipſa Auctoris, lingua gallica expreſſa, adducam, ne forte verſione mea ſenſui Auctoris aliquid adjeciſſe, præter intentionem V. D. videar. Ita autem loquitur. *Ne faudra-t-il point, pour s'inſtruire à fonds de l'excellence & de l'étenduë du Miniſtére, écouter ce qu'on a dit dans les Academies? L'on doit préſumer, que les Profeſſeurs établis pour former les jeunes gens, qui ſe deſtinent à ſervir l'Egliſe, leur aprennent en détail combien eſt honorable & ſaint, l'Emploi, auquel ils ſe vouënt. L'on doit, dis-je, préſumer, qu'on les entretient & des fonctions importantes du Miniſtére de l'Evangile, & des vuës ſublimes, qu'il doit ſe propoſer, & des céleſtes recompenſes, qui ſont reſervées pour ceux, qui ſeront ſoigneuſement acquités de leur devoir. Il faut l'avouër, l'on devroit croire, que les choſes ſont ſur ce pié là: mais qui ne ſçait, qu'on n'entend rien de tel dans pluſieurs Academies? Vous demeurerés quatre ou cinq ans dans une Univerſité, ſans qu'on vous diſe un mot ſur ces Articles importans. Lorſqu'on vous conſacrera, peut-être les touchera-t-on ſuperficiellement, & voilà tout ce que vous entendrés. Il y a peu d'endroits où l'on s'inſtruiſe moins des devoirs du Miniſtére, & de l'importance de cette charge, que dans les Academies: Auſſi y a-t-il peu d'Academies & d'Univerſités, dont les Etudians, même ceux, qui étudient en Théologie, ne ſoient autant & plus debauchés, que des Soldats, & des petits maîtres. Si l'on jugeoit du Miniſtére par la maniere, dont on inſtruit ceux qui y aſpirent, l'on croiroit, qu'il conſiſte ſimplement à ſavoir à fonds certaines formules de parler, qu'on appelle Termes de l'Art, & qui forment un jargon inintelligible pour ceux, qui ne ſont pas initiés dans ces Myſtéres. On s'imagineroit, qu'il conſiſte cet Emploi ſacré, à ſavoir expliquer myſterieuſement quelques paſſages de l'Ecriture, aſſés obſcurs, ſur leſquels pourtant on fonde des dogmes, pour leſquels on ſe bat à toute outrance; de même qu'à connoitre nom par nom, les anciens & les nouveaux Hérétiques, leur érreurs, & les reponſes, qu'on doit faire à toutes leurs chicanes. On s'imagineroit, qu'être Miniſtre, c'eſt être chargé de la connoiſſance des langues ſavantes, & des moindres minutiés de la Grammaire; être attaché fortement à certains ſentiments ſpeculatifs, qui tout incertains & inutiles qu'ils ſont, conſtituent, ſuivant pluſieurs, la meilleure parti de l'eſſence de la Religion. Enfin l'on croiroit, qu'il*

qu'il suffit, pour être un bon Ministre de savoir prêcher, c'est-à-dire, de savoir ramasser sur un texte, tout ce qui a de moindre raport, & de parler pendant une heure, sans hésiter & sans demeurer court. De tout cela on concluroit, que le Ministére est un emploi, où l'on se charge d'un plus grand nombre d'inutilités que des vérités importantes & solides, & qu'il est fait plus pour la parade, que pour l'édification. Conclusion, qui n'étant point fausse, lors qu'on s'arrête à considerer, ce qui se passe à cet égard dans plusieurs Academies, tend à inspirer de l'éloignement pour le Ministére, & du mépris pour ceux, qui en sont revêtus. Dantur insuper multi in Academiis, qui spretis severioribus disciplinis, examineque gravissimorum Religionis Naturalis & Revelatæ capitum neglecto, *Historiæ Literariæ* studio unice vacent. Qua ratione nonsolum fit, ut ea, quæ scitu per vitam essent necessaria, negligant, & perperam de iis, quæ legunt, judicent, ob defectum accuratioris cognitionis ipsarum rerum, sed & sæpe hac ratione incipiunt dubitare de capitibus Religionis primariis. Nimirum dum varia Eruditorum Diaria, librosque ad Hist. Literariam pertinentes evolvunt, quantus semper fuerit inter homines de variis Religionis capitibus dissensus, animadvertunt; legunt insuper ea, quæ Increduli contra momentosissimas veritates in medium protulerunt, una cum responsis Virorum Doctorum; non possunt tamen, ob defectum solidæ Eruditionis, litem dijudicare; Hinc fit, accedente inprimis φιλαυτια, ut nonsolum sæpe per vitam omnem de gravissimis religionis capitibus dubitent, sed & aliquando in iis qualitercunque oppugnandis gloriam quærant. Multi sane Studiosi Theologiæ *Historiam Literariam Antediluvianam* perspectam habent, sinceræ vero pœnitentiæ & salutaris fidei characteres ignorant; propter superficiariam tamen illam, variarum rerum cognitionem, mire sibi plaudunt, & ad *summum* (utor verbis Illustris Menkenii) *se Literarum culmen pervenisse putant, si sciverint, quot uxores* Calovius *duxerit, vel quot pocula exhauserit* Baudius, *aut si ad unguem edidicerint, quot baculi ictibus* Scioppius, *jussu Legati Anglici fuerit laceratus, quot annis eodem calamo usus fuerit* Leo Allatius, *vel quot pilos* Fr. Philelphus *grammatica lite superior, è barba* Timothei *adversarii evulserit.*

Theologi, & V. D. M. infirmis argumentis, ad capitalia Religionis Christianæ

V. Neque dubium est, quin illi etiam Theologi, & V. D. Ministri, qui capita Religionis christianæ principalia, vel probaturi, vel adversus Incredulorum objectiones vindicaturi, infirmis ad hoc præstandum utuntur argumentis, mirifice causam Incredulitatis promoveant, præsertim si iidem clamitent, quod multi facere solent, actum esse

esse cum veritatibus illis, & universa Religione, si argumenta, in medium prolata, non admittantur. Nemo non videt, hæc non ita esse sumenda, ac si Theologi illi data opera infirmis uti vellent argumentis; Hoc enim nemo, cui mica bonæ mentis, & cui aliqua Numinis reverentia inest, præstabit unquam. Peccant igitur illi contra mentem suam, dum existimant, argumentis illis, quibus utuntur, solidum inesse robur, ad veritates illas probandas. Hoc, qua ratione fieri facile possit, quilibet videt. Nimirum aut judicii quadam imbecillitate, examinis defectu, amore Præceptorum aliisque ex causis fieri solet, ut hæc vel illa argumenta, tanquam satis firma, admittamus; pro eorum veritate stemus, & pugnemus, licet novo examine instituto postmodum deprehendamus, vim probandi illis revera in esse nullam, nosque specie quadam veri delusos fuisse. Nemo, qui unquam severioribus disciplinis cum cura vacavit, sibi hoc non evenisse testabitur. Quod si deprehendat vir veri amans sese fuisse deceptum, argumenta hæc in posterum missa facit, atque de melioribus & fortioribus in medium adducendis solicitus est. Sunt vero multi, qui omnia argumenta, in juventute audita & accepta admittunt, & defendunt fortiter, imo non sine Zelo contendunt, ea si non admittantur, actum esse cum sanctissimis Religionis capitibus. Hi autem ita agendo, errores non oppugnant, sed invictos sæpe reddunt; non extorquent, sed late spargunt; non tollunt, sed propagant mirum in modum: Quod si enim alii acutius cernentes, clarissime sentiant, vim argumentis illis solidam non inesse, neque tamen vel proprio ingenio, vel aliorum auxilio fortiora in medium possunt proferre, incipiunt de veritate ipsa rerum præstantissimarum dubitare. Quo majore autem Zelo infirma hæc argumenta quidam defendunt, eo magis homines ad Incredulitatem inclinantes, aut vitio hoc dudum correpti, in suis opinionibus confirmantur, asserentes, si adeo immotis hæ veritates inniterentur fundamentis, Theologos, qui ætatem in ejusmodi studiis contriverunt, iis usuros argumentis, quibus cum ratione contradicere nemo posset. Non quæritur, utrum recte ita ratiocinentur Increduli, nec ne. Sed de eo tantum quæstio est, an non ita agendo, facile fieri possit, ut multi in Incredulitatis vitium incidant, quod nemo fortasse harum rerum gnarus, in dubium revocabit. Neque animus est thesin hanc nostram multorum Exemplorum inductione probare. Illis qui in historia Literaria Theologiæ & Philosophiæ versati sunt, hæc satis sunt cognita. Ita notum est, quales lites & certamina orta sint, occasione

capita probanda, utentes, præter intentionem suam, causæ Incredulorum patrocinantur.

sione, cum *Carteſii*, quibusdam argumentis ad demonſtrandam exiſtentiam Dei, incredibilem vim tribuentis; tum Ill. *Wolfii*, quædam argumenta afferri ſolita repudiantis, aliamque demonſtrandi viam monſtrantis: alia Exempla adducere nolo, quia multi in tanta Literarum luce iis inſiſtunt argumentis, quæ imberbes didicerunt, nec eo ſunt incenſi veri amore, ut meliora afferentibus vacivas præbere velint aures. Augetur hoc malum, quod in Syſtematibus Theologicis, ad hos vel illos capitales articulos probandos, illuſtrandos & defendendos, ſæpe adhibentur argumenta, ex hypotheſibus minus certis petita, quæ tamen pro veritatibus certis venditantur. Notum eſt, & quotidiana experientia comprobatum, principia Philoſophiæ, certa pariter & incerta, in Syſtematibus Theologicis, a multis retro Seculis, ad confirmandam Religionem adhibita fuiſſe. Ex hoc multa ſunt orta incommoda, ut de acerbis litibus nil dicam, & innumeris concertationibus: multi inceperunt de gravitate horum vel illorum religionis articulorum dubitare, quando hanc vel illam hypotheſin, aut argumentationem philoſophicam, ab aliis falſi convictam eſſe perſpexerunt. Non is ego ſum, qui Philoſophiam ac rectæ rationis culturam a Religione ſejunctam plane vellem: Imo potius quicquid ex nobiliſſimis illis diſciplinis, ad Religionem probandam & ſtabiliendam peti poteſt, afferendum puto: vellem tamen, ut Viri Docti ea, quæ certa, evidentiaque ſunt, ab iis, quæ meris hypotheſibus ſuperſtructa ſunt, probe diſcernerent. Vellem, ut probata rite veritate Religionis Chriſtianæ & Naturalis Articuli Religionis creditu neceſſarii potius per rectæ Philologiæ principia, adhibitis genuinæ Interpretationis regulis e S. Literis eruerentur, explicarentur, & in clara luce collocarentur, quam vero per incertas quasdam hypotheſes, aut argumenta quædam e ratione petita, ſed nondum ad ſolidum evidentiæ gradum evecta, probarentur. At quis huic morbo medelam afferet? Non certe ego, qui pulchre prævideo, plerosque eadem ſemper docendi, quæ hactenus uſurpata fuit, methodo uſuros. Quod de Theologis dici poteſt, idem etiam, & forte majore jure, quo numero plures ſunt, quam Academici Doctores, V. D. M. applicari poteſt. Oratorum publicorum æque ac Profeſſorum officium eſt, Religionis theoreticæ & practicæ capita ſcitu credituve neceſſaria explicare, atque probare. Ad id præſtandum uti debent argumentis perſpicuis, omniumque ingeniis attemperatis. Atque hoc eo magis obſervandum ipſis, quod plerique Auditores in illis, quæ publice audiverunt argumentis, adquieſcant; ſecus vero ſi

fiat,

fiat, atque ad probandas veritates maximi momenti, afferantur leves & infirmæ rationes, nonsolum in Auditorum animis nulla potest enasci solida persuasio, sed & qui acutius cernunt, atque argumentorum infirmitatem deprehendunt, veritates sæpe ipsas in dubium revocabunt, aut plane eas certas esse negabunt. Diffitendum non est, hocque nomine felicitatem nostri seculi deprædico, quod plures numero hodie in lucem editæ sint orationes sacræ, tanta cum ἀκριβείᾳ elaboratæ, ut illæ lectione etiam virorum doctissimorum sint dignæ. Prostant Doctissimorum *Anglorum*, *Gallorum*, *Germanorum* & *Helvetiorum* sermones sacri, in quibus præcipua capita Religionis Naturalis & Christianæ, nonsolum plano & perspicuo stylo sunt explicata, sed & firmis solidissimisque rationibus probata. Quin ejusmodi Orationes sacræ, non publice tantum ubi habentur, magno cum fructu audiantur, sed & privatim domi legantur, dubium non est. Atque utinam plures lectione ejusmodi librorum delectarentur! Ita enim altiores radices ageret Religio in animis hominum, quam quidem id fieri eheu! videmus. Hoc tamen non obstante, plures dari Ministros, in cætibus Protestantium, qui in probandis cœlestis doctrinæ articulis, exiguam adhibeant curam, nemo forte diffitebitur. Nihil dicam de iis, qui meteoris orationis, similitudinibus & allegoriis, loco argumentorum utuntur, inque eo mire sibi plaudunt. Hanc concionandi methodum superiore seculo multis Anglis arrisisse, adductis plurimis, iisque ridiculis plane exemplis ostendit Eruditus Theologus Anglus, *Easchar*, in libello, de *causis contemti Ministerii* & *Religionis*, quæ vere ab eo prolata esse vel eo magis credimus, quod cognitum nobis sit, *Illustrem Burnetum* in Historia suorum temporum de eadem perversa orationes sacras habendi ratione, fuisse conquestum. De his inquam nil dicam. Sed sunt V. D. M. quibus perinde est, quid dicant; qualiacunque argumenta, satis ipsis ponderosa esse videntur ad probandum quod intendunt: putant in gratiam plebis acri meditationi non esse vacandum, nullam vel exiguam ordinis habent rationem, nullum argumentorum delectum, infirmissimasque sæpe rationes, ad religionis articulos gravissimos comprobandos afferunt. Unde hoc malum oriatur, difficile non est dicere. (*) Multi accuratiore Religionis cognitione sunt de-

 stituti,

(*) Non possum non hac occasione non tantum S. Literarum Studiosis & junioribus V. D. Ministris, sed & publicis Oratoribus, sive in urbibus sive in agro Ministerio sacro defungantur, de meliore nota commendare libellum a Viro Docto de arte Homiletica exaratum, cui titulus: Grundriß einer Lehrart, ordentlich und erbaulich

ſtituti, neque adeo eandem validis rationibus poſſunt comprobare; multi ingenium iis diſciplinis non excoluerunt, quæ ab eo, qui ſanctiſſimas veritates aliis tradere vult, requiruntur: ars ratiocinandi vulgo etiam a S. Literarum Studioſis perfunctorie tractatur; hinc difficulter cogitata ſua perſpicue proponere, & rite connectere poſſunt; alii Eruditione & ingenio non deſtituti, pigritia quadam & turpi torpore, vel negotiis hujus vitæ præpediuntur, quo minus ad rite elaborandas orationes ſacras animos ſerio convertant; In aliis vera pietas & ardens quidam promovendæ gloriæ divinæ Zelus deſideratur. Hic ubi abeſt, perinde eſt ejusmodi hominibus, quales fructus proferant orationes ſacræ. Hac ratione autem fieri aliter non poteſt, quam ut homines perſpicacis ingenii, quique nonniſi rationibus ſolidis ad agendum, itaque vel aliter ſentiendum compelli ſolent, ſæpe de Religione ipſa, graviſſimisque ejus capitibus abjecte ſentiant, exiſtimantes, eam ad legitimæ demonſtrationis leges exigi non poſſe. Hoc inprimis accidere ſolet iis, qui in aliis diſciplinis ſunt quidem verſati, nunquam vero per vitam accuratum Religionis examen inſtituerunt. Gravius autem longe hocce in caſu peccatur a Doctoribus Pontificiis, quam a Proteſtantibus. Pauciſſimi ſunt inter eos docti Oratores Sacri, ſi cum ingenti turba Monachorum & Sacrificulorum, rerum divinarum ignorantiſſimorum, conferantur. Quales ſint pleræque hominum illorum Orationes Sacræ, nemo ignorat. Specimina quædam exhibent *Æmilianus in Itinere ſuo Italico:* Cl. *Roques diſcours hiſtorique ſur la predication:* P. *Jurieu prejugés legitimes contre le Papiſme Tom. I. cap. XXXII.* aliique plures. Et ſane fieri aliter non poteſt, quam ut viris mediocris ingenii tales orationes inſulſæ videantur, in quibus altum eſt de præſtantiſſimis religionis capitibus ſilentium, contra vero multus ſermo de Tranſubſtantiatione, reliquiarum efficacia, miraculis ſanctorum & ſimilibus nugis. Hinc tanta in ejusmodi locis Incredulorum turba. Ab una enim parte multi ſunt vel philoſophicis diſciplinis exculti vel naturali quâdam ingenii bonitate ita inſtructi, ut facile verum a falſo poſſint diſcernere, ſimul vero tam exiguum veræ Religionis a Chriſto & Apoſtolis traditæ, habent guſtum, ut rite eam a ſuperſtitione diſtinguere non poſſint; hinc utplurimum in vitium Incredulitatis

lich zu predigen, nach dem Innhalt der *Königlich-Preuſſiſchen allergnädigſten Cabinets-Ordre* vom 7. Merz 1739. entworffen. Nebſt Herrn *Joh. Guſtav Reinbecks* Vorbericht und kurzen Einleitung, wie eine gute Predig abzufaſſen ſey. Berlin 1740.

tatis incidunt, Religionemque cum ipsa superstitione turpiter confundunt. (*)

VI. Dantur insuper Theologi & V. D. M. qui sæpe, nullo habito respectu, ita abjecte de ratione sentiunt, eamque ubi de rebus ad Religionem spectantibus agitur, cæcam, fatuam & fallacem esse perhibent, existimantes, quo magis eam deprimant, eo paratiores fore homines, ad gravissima Religionis capita recipienda, in quo tamen vehementer illi decipiuntur. Nihil enim magis viro sapienti suspectam reddere potest Religionem, quam si dicatur, eam admitti & pro vera haberi non posse, si ad rectæ rationis decreta eam velis exigere. Imo hoc ipsum est, quod increduli intendunt pedibusque & manibus agunt; ajunt enim, rebus ita comparatis, se Religioni christianæ subscribere non posse. Ita notum, P. *Baylium* liberius quam par est, de multis Religionis capitibus sentientem, inter alia etiam probare voluisse, perpetuum esse inter rationem & Religionem conflictum, putantem, thesi hac semel admissa, actum esse cum veritate Revelationis, paucos saltem, quibus rationis cultura curæ cordique est, de Religione magnifice sensuros. Notarunt hoc omnes, qui datâ opera Eum impugnarunt, *Leibnizius*, *Pfaffius*, *Crousazius*, *Jaquelot*, *Clericus*, aliique plures. Et sane quisquis ad negotium, de quo agitur, serio attendit, facile deprehendet, fieri aliter non posse, quam ut ejusmodi vagæ & ridiculæ, contra rationem factæ declamationes, hominum sapientum animos a religionis amore reddant alienos, & Incredulos in suis opinionibus mirum quantum confirment. (**) Patebit hoc, si modo quid *rationis*

Qui nullo habito respectu in rationem, ubi de examine Religionis agitur, invehuntur, Incredulitati, præter mentem licet suam patrocinantur.

(*) Vide Keysleri Itinerarium Italiæ Epist. XXXI. p. 318.

(**) Unum duntaxat ad sententiam meam confirmandam adducam testimonium, Viri nempe *Gravissimi*, *Tillotsonii*, *Archiepiscopi* olim *Cantuariensis dignissimi*. Verba ipsius ex Anglica Lingua in Gallicum idioma translata, exhibet Cl. *Beausobre*, filius, in Præfat VII. Vol. Serm. Sacrorum, præmissa: audi ea: *Avant* (inquit) *que d'en venir aux preuves, que je me propose d'alleguer pour convaincre les Incredules, je crois qu'il est à propos de dissiper, si cela se peut, un prejugé, que l'on a conçû contre tous ceux qui travaillent à rendre la Religion raisonable. On diroit que* Bellarmin *a eu raison quand il a dit*, Qu'il faudroit mieux definir la foi, une ignorance qu'une connoissance; *ce qui veut dire en bon François, que si les hommes croyent à l'Evangile, c'est faute de bon sens, & que s'ils étoient plus éclairés, on ne verroit point de Chrétiens. Je ne sçai d'où peut venir ce prejugé, si c'est un artifice du parti Papiste*, qui hait la lumiére, parce qu'il craint qu'elle ne condamne, & qu'elle ne le fasse connoitre, *ou s'il a sa source dans l'ignorance d'un grand nombre des Protestans bien intentionnés; Je ne sçai, dis-je, d'où peut venir ce prejugé, mais malheureusement il subsiste, & desqu'on entreprend de rendre raison de sa foi, & d'établir la Religion sur des fondemens solides, aussi-tôt on flétrit un homme par le titre odieux*, de Socinien. *Nous en avons un triste Exemple dans l'incomparable* Chil-

nis nomine Theologi & Philosophi intellectum velint, audiatur. Nimirum per rationem *primo* intelligunt eam facultatem mentis, ope cujus nexum alicujus propositionis intuemur. Hac facultate utimur in examine rerum divinarum & humanarum. Sine hac nullam propositionem probare vel negare possumus. Qui igitur asserit, hanc facultatem plane cæcam esse, ineptamque ad Religionis examen instituendum, hoc ipso concedat necesse est, nonsolum veram religionem a falsa discerni non posse, sed & nobis omnia præsidia, quibus Religionis veritas probari possit, esse ademta. Quid magis autem ineptum, imo quid impium magis est, quam hoc tueri? Cur igitur, si ita se res habet, disputant hi homines, & in Hæreticos & Incredulos invehuntur, si ratio hoc sensu sumta, tam fallax est & incerta? Secundo per rationem intelliguntur axiomata Metaphysica & Theologiæ Naturalis prima capita, quorum ope Religionem christianam probamus, i. e. complexum quarundam veritatum, quas sine Revelatione de Deo rebusque divinis nobis comparare possumus. At quis si hoc sensu rationem sumimus, rursus cum aliqua veri specie probare poterit, eam esse fallacem & cæcam plane? Ita enim si esset, nonsolum omnia recte ratiocinandi tollerentur principia, sed & impossibile esset, demonstrare veritatem Religionis christianæ. Quod si vero hi homines rationis nomine intelligant falsas opiniones ab infantia receptas & perversas ratiocinationes, tum quidem verum est, rationem hoc sensu sumtam cæcam esse & fallacem; sed præterquam quod Theologi perspicaces & Philosophi, quando de usu rationis in rebus ad Religionem spectantibus loquuntur, nunquam eo sensu rationis vocabulum sumant; claris & perspicuis verbis debuissent, quid per rationem intelligerent, definire, antequam tanto cum Zelo, atque animi contentione contra rationem declamassent. Si ullibi, hic certe caute est procedendum, & omnis verbo-

Chillingworth, *la gloire de notre Siecle & de notre Nation: sans autre raison que d'avoir entrepris de rendre la Religion raisonable, & d'en découvrir les solides fondemens (dessein qu'il a executé avec autant de dignité que de succès) on l'a payé du titre flétrissant, dont j'ai parlé, de celui* de Socinien. *Mais il n'y a point de milieu, si c'est être Socinien que d'approfondir les fondemens de la Religion, & de tacher de découvrir des raisons, qui puissent nous convaincre de l'obligation ou nous sommes de la croire, tout ce qu'il y a des gens sensés, accoutumés à reflechir, & qui sont au-dessus de ce qu'on appelle Fanatisme & Enthousiasme doivent être ou Sociniens ou Athées. Je ne vois pas que l'on puisse rendre un plus mauvais service à la Religion Chrétienne, que de detruire les fondemens solides sur lesquels elle est appuyée, en repandant dans le monde, que l'on doit croire sans raison. N'est-ce pas convertir la Foi en Credulité, & mettre la Religion de niveau avec les reveries les plus mepriſables, & les plus deſtituées de bon sens?*

verborum obscuritas & æquivocatio vitanda. Concedunt cordati Theologi & Philosophi multa esse cum in natura, tum in Revelatione, ad quæ rationis vis pertingere non possit; concedunt, plurima esse quæ postquam revelata sunt, imperfecte tamen cognoscantur: fatentur denique solido fundamento, neget licet P. *Baylius*, superstructam esse receptam distinctionem, inter ea quæ supra & ea quæ contra rationem sunt. Sed positis hisce atque concessis, nil derogatur auctoritati rationis, sed potius ejus vis atque utilitas hoc modo in plena luce collocatur. Utinam igitur omnes, quotquot S. Ministerio sunt consecrati, culturæ rationis, quæ ope disciplinarum philosophicarum obtinetur, diligenter vacarent, omnesque rationis vires ad Religionem probandam, explicandam, aliisque commendandam intenderent. Ita enim fieri aliter non posset, quam ut pietate simul animati, & auxilio divino adjuti, singularem nonsolum ipsimet ex hoc studio percepturi essent utilitatem, sed & plures ad religionis amorem & pietatis studium essent adducturi. Solent tamen illi, qui adeo de ratione abjecte sentiunt, provocare ad quædam loca Scripturæ, opinionibus suis præsidium quæsituri. Eminet inter ea locus Pauli Apostoli 2. ad Corinth. X. 5. ubi inter alia dona, quibus instructus sit ipse & collegæ sui, refert, quod possint ἀιχμαλωτιζειν παν νοημα εἰς την ὑπακοην τε χριςε. At nihil in verbis hisce reperiri, quod ad rationis contemtum facere possit, ad h. l. singulari dissertatione adstruxit ὁ Μακαριτης *Steph. Vitus*, *Vir Doctissimus*, quæ inserta est *Bibl. Brem. Class. II. fasc. III.* contendit ille versionem B. *Lutheri* aliorumque qui eum sequuntur, qua verba illa, παν νοημα transferunt, alle Vernunft, non esse genuinam, nixus cum significatione vocis νοημα, tum vero definitione rationis ipsius. Intelligit ille per rationem idem quod nos, nimirum cum facultatem nexum propositionis alicujus intuendi; tum complexum veritatum, quas ope rationis, de Deo rebusque divinis nobis comparare possumus; uno verbo principia Theologiæ Naturalis theoretica & practica. Hanc Dissertationem, uti ex Cl. *Wolfii curis philolog.* ad h. l. intellexi, impugnavit Rev. *Boernerus*; quo cum succesu, cum eam non viderim & expenderim, dicere non possum, firmiter tamen mihi persuadeo, neque doctissimum *Boernerum*, neque quenquam alium ex S. Literis probaturum, homini salutis cupido & in examine religionis vel in genere, vel quorundam articulorum in specie serio occupato, abjiciendam vel negligendam rationem, eo sensu, quo nos eam definivimus, quia ita omnia præsidia, quibus innititur Religionis christia-

næ veritas, ſubverterentur. In genere de hoc argumento loquendo, dicimus, omnes controverſias de uſu rationis in Theologia, utplurimum in λογομαχιαν converti, quia Eruditi definitionem vocis rationis nunc ampliorem nunc ſtrictiorem faciunt. Omnes tamen in eo inter ſe conveniunt, homines habere facultatem ideas inter ſe conferendi; dari quædam axiomata æternæ veritatis: mentem poſſe ope ratiocinationis plures propoſitiones de Deo rebusque divinis colligere: contradictoria & virtutibus divinis contraria, neque poſſe, neque debere credi. De his inter Chriſtianos plerosque nulla eſt lis & contentio: ubi vero deventum eſt ad hæc vel illa dogmata, incipiunt in diverſa abire, non propter diſſenſum circa hæc principia, ſed propter eorundem, ad certos quosdam articulos applicationem. Aſſerit enim hic, hoc vel illud dogma eſſe contradictorium, negat alter: tum vero cum in partium potius & ſectæ ſtudium invehi deberet alterutra pars ratio culpam ferre debet. Unde miror Celeb. *Wolfium* ad h. l. Reformatis, tanquam *privum quid* tribuere, quando παντος νοηματος nomine non omnem rationem intelligi poſſe contendunt: perſuaſus enim ſum, Doctiſſimum Virum, ſi mentem ſuam explicare & ad definitionem rationis, a *Vito* adhibitam attendere voluiſſet, nobiſcum conſenſurum fuiſſe: colligo hoc ex iis quæ contra Celeb. *Elsnerum* monuit. Hic cum inter alia ſic locutus eſſet ad h. l. *Non eſt ſenſus, ut vulgo putant, nefas eſſe credentibus uti ratione conſiderata & evidenti in rebus fidei, ſed repreſſa, quicquid contrarium doceat, mente atque oculis clauſis interpretationum monſtra admittere & pie credere:* excipit Rev. *Wolfius* dicendo: *Si his verbis noſtratium Theologorum, quod non vane ſuſpicor, ſententiam pungere voluit, vel ignorat eorum mentem*, vel *male interpretatur.* Ex quibus verbis colligi videtur, Eum rationem, eo, quo nos hanc vocem ſumimus ſenſu, non proſcriptam voluiſſe; atque ita cum Cl. *Elsnero* & aliis Reformatis convenire. Ut autem mentem ſuam rite intelligamus, ad *Zeltnerum* & *Boernerum* provocat, ad *Fechtii* item examen theologiæ Indifferentiſtarum. Conſului omnes, at ex iis quæ diſſerunt, colligere non potui, eos exiſtimare, Paulum νοηματος nomine intellexiſſe rationem, ſecundum definitionem ſupra datam. Rev. *Boernerus* per το νοημα intelligit *deſideria vel conſilia carnalia quæ ſe efferunt contra cognitionem Dei:* at nos rationis nomine talia deſideria intellecta non volumus, quamvis rem ipſam in dubium non vocemus. *Ruarus* in epiſtola ad *Calovium* data, pag. 179. Epiſtol. ſuarum ſic mentem ſuam exprimit: *Νοημα non eſt ratio, ſed cogitatio: quæ cum nonnunquam rectæ ratio-*

rationi sint consentanea, nonnunquam tamen & a sensu carnis proficiscitur; hanc vero non illam Apostolus captivam duci vult uti ex antecedentibus apparet: quod cum fit, ratio non in carcerem detruditur, sed in libertatem potius asseritur. Quid ad hæc ὁ Μακαριτης Cl. *Zeltnerus? Ita est* (inquit) *sed quis ille sensus carnis sit Christi nempe fidei rebellis, illud est, de quo hic disquiritur. Neque enim quisquam rationem* NB. *ut sana & recta est, atque intra justos limites suos modeste consistit rejicit.* Nostro vero judicio sana semper est ratio, si datam sequamur definitionem; intra limites enim suos consistit, dum hoc unum agit, ut nexum propositionum expendat: pag. 168. idem *Zeltnerus* de eodem argumento agens ait: *Quocunque te convertas, aut quoque etiam modo vocabulum* νοηματος *reddas, nihil profecto aliud quam rationis per se* NB. *utique sanæ corrupta de rebus fidei judicia denotari fatendum erit.* Fatetur igitur ὁ Μακαριτης rationem per se esse sanam, i. e. facultatem judicandi esse sanam; distinguit illam a corruptis de rebus fidei judiciis, convenit ergo *Zeltnerus* nobiscum. Necesse ergo etiam est Cl. *Wolfium*, qui ad *Zeltnerum* tanquam ὁμοψηφον provocavit, nostræ subscribere sententiæ. Apud *Fechtium* nil reperio, quod majorem lucem huic argumento afferre possit; Inducit ille Indifferentistam, qui per rationem intelligat *disputationes de rebus sacris.* Hanc rejicit interpretationem dicendo: *dicitur ratio sese efferre contra notitiam Dei; adeoque præsupponitur notitia intellectus ex Scriptura Sancta. Huic notitiæ non potest adversa esse disputatio de rebus sacris quippe quæ sese non effert supra notitiam, sed eandem defendit & vindicat.* Si quid ego video, hoc sibi vult *Fectius*, facultatem mentis argumenta de rebus divinis expendentis, per se bonam esse, neque religioni contrariam: Et sane suo jam tempore *Cicero* rationis definitionem ita sumendam esse perspexit, quando Lib. I. de Officiis Cap. IV. ita mentem suam pandens, ait: *Homo, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, & rebus præsentibus adjungit atque annectit futuras.* Ut vero luculentius adhuc constet, nullam esse inter Fratres Lutheranos & Nostros, de usu rationis discrepantiam, provoco ad Cl. *Buddeum*, gratum ipsis non minus quam nobis nomen. Hic vero ita mentem suam de hoc argumento explicat in *Institut. Theolog.* pag. 157. *observandum* (inquit) *duplicem esse hujus vocis* (nimirum rationis) *significationem. Aut enim ipse intellectus hominis hoc nomine denotatur cum facultatibus suis ac operationibus; aut axiomata quædam seu propositiones universales ita evidentes*

ut

ut de illarum nemo possit dubitare veritate; quæ & principia vocari solent. Idem *hoc est, quod alii dicunt, rationem vel* subjective *spectari posse* vel objective. *Priore itaque modo si vox ista accipiatur, simulque, prout re ipsa in hominibus post lapsum est, consideretur, in rebus naturalibus, quo nomine & morales pariter ac civiles comprehendimus, rationem, etsi imbecillitatibus ac infirmitatibus variis laboret, facileque a recto tramite aberret, non omni tamen vi veritatem cognoscendi destitutam lubentes fatemur. Quotidiana enim hoc omnis condocet experientia. In rebus autem divinis, quæ πνευματικως dijudicandæ sunt, ratio sibi relicta cæca est 2. Cor. IV. 4. obscurata tenebrisque involuta Ephes. IV. 18. V. 8. adeo ut homo ψυχικος, nihil eorum quæ sunt Spiritus Dei percipere valeat 1. Cor. II. 14. Quin imo, cum ejusmodi hominum intellectus pravarum cupiditatum obnoxius sit dominio non potest non, quod Spiritus S. de Consilio Dei, homines ad salutem perducendi docet rejicere, damnare, repudiare, adeo ut mera stultitia illi videatur 1. Cor. II. 14. Tantum itaque abest, ut ratio hoc modo accepta principium cognoscendi sit in Theologicis, ut eam potius coercendam atque captivandam ipsæ doceant divinæ Literæ Conf. VIII. 6. 7. 2. Corintb. X. 5. collat. Rom. XVI. 26. Colloss. II. 8. Interim usum rationis hoc etiam modo acceptæ organicum nemo sanæ mentis rejecerit; cum ratio quantumvis cæca & corrupta, maneat tamen ratio, quâ homo cognoscit, judicat, ratiocinatur; cujus & in omnibus, quæ cognosci possunt & debent, ita & in Theologicis usus est; siquidem sine ratione, seu intellectu ejusque facultatibus nihil omnino sciri & cognosci potest. Quod si ergo corrigatur, emendetur, lumineque divino perfundatur, recte etiam quæ sunt Spiritus Dei cognoscit, & dijudicat; quod fidei adeoque & ipsius salutis primum est initium. Si porro per rationem intelligantur principia rationis, primo quidem dispiciendum, an revera etiam hocce nomen tueantur. Subinde enim contingit, præsertim in iis, quæ ad vitæ praxin pertinent, ut homines certas vitæ regulas, pravis eorum cupiditatibus respondentes forment, quas perperam pro principiis rationis venditant. Principia vere talia* aut formalia *sunt, ut in Scholis loqui solent, aut* materialia. *Priora cum ad formam modumque rite argumentandi spectent, non possunt non ut in aliis scientiis, ita & in Theologia quotidie usurpari. Nulla enim sine iis probatio, nulla demonstratio rite procederet. Sed cum objectum, in quo principia vim suam exerunt, aliunde accedere debeat, manifestum est, quod & ista, cum de principio cognoscendi, hoc est, tali quæritur, in quo omnes conclusiones contineantur, in censum non veniant. Materialia principia, pro partium quæ philosophiam constituunt varietate, varia sunt, aliaque ad*

Theo-

Theologiam Naturalem, ad Physicam alia, alia denique ad Philosophiam practicam pertinent. Ex quibus cum prima hic maxime locum inveniant, de omnibus tamen observandum, quod suis circumscribantur limitibus quos excedere nequeunt. Formantur enim ista principia ex ideis claris & perspicuis, quas rerum consideratio nobis suppeditat. Hactenus ὁ Μακαριτης *Buddeus.* Ex iis quæ allata sunt, manifestissimum est, *Buddeum* hæc duo nobis concedere: nimirum post lapsum etiam, homini omni inesse facultatem de rebus divinis pariter & humanis judicandi, eamque illi eripi nulla ratione posse; dari insuper quædam Theologiæ Naturalis certa principia, quibus in demonstratione veritatum theologicarum homines uti oporteat. Atque hoc nos nomine rationis comprehendimus. Quæ addit de ratione pravis opinionibus & affectionibus capta, limitibusque Theologiæ Naturalis non negamus, sed concedimus. Ex quibus omnibus colligimus, inter Fratres Lutheranos & Nostros Theologos de usu rationis nullum esse verum dissensum, sed meram logomachiam. Sequitur etiam, si modo Viri Docti sibi constent, Paulum nomine τε νοηματος intelligere non potuisse rationem, juxta datam a nobis & ab iis concessam rationis definitionem, ut nil dicam eos inter fratres, qui *Illustris Wolfii* philosophandi rationem sequuntur, in definitione rationis nobiscum convenire. Confer. Caput. XII. examinis Theologiæ P. *Baylii* scripti a Cl. *Jaquelot*, in quo Reformatorum Theologorum de usu rationis in Theologia sententias exponit. Quæ diximus applicari debent omnibus locis, quæ ex S. Literis contra rationem adduci a quibusdam solent.

VII. Neque dubium insuper est, quin innumeræ illæ rixæ & contentiones, de rebus sæpe nullius, aut exigui momenti, magno animorum æstu agitatæ, plures adduxerint ad Religionis omnis contemtum. Qui ea duntaxat legit, quæ inde a temporibus Reformationis in ipsis cætibus Protestantium disputata sunt, de variis argumentis, quæ penes historiæ Literariæ Theologicæ Scriptores, v. gr. *Pfaffium*, *Buddeum*, *Walchium* aliosque satis prolixe enarrata reperias, non sine stupore deprehendet, sæpe maximo cum æstu & intolleranda verborum acerbitate, positis omnibus lenitatis & prudentiæ legibus, vel de rebus in logomachias desinentibus, vel de argumentis levioris momenti & minus fundamentalibus, de quibus salva amicitia, quæ inter fratres florere debet, dissentire licuisset, disputatum fuisse. Cum nemo Eruditorum hodie id, quod dicimus ignoret, prolixa Exemplorum inductione opus non est. Quale pondus insit controversiis plerisque,

Multum huc conferunt acerbæ valde Theologorum de rebus minoris momenti concertationes & rixæ.

quæ superiore Seculo, inter Reformatos Theologos, Belgas potissimum agitatæ fuerunt, de variis opinionibus, jam quidem omnibus notum est. Eo tamen tempore, quo in æstu disputationis & fervoris versati erant Theologi, tanta animorum contentione, tanto cum æstu quæstiones illæ agitatæ fuerunt, ut de summa totius Religionis quæstionem esse putares. *Quæ unquam* (verba sunt τε Μακαριτε Celeberrimi *Werenfelsii de logomachiis Eruditorum* pag. m. 483.) *disputationes cum pertinacissima Judæorum Gente, cum impuris Mahumedanis, cum blasphemis, cum Libertinis, cum Atheis, omnisque religionis irrisoribus, tam pugnaces fuerunt, quam nuperæ illæ, sive puræ, sive mixtæ logomachiæ, quarum supra Cap. II. & III. mentionem fecimus, cum in aliis Academiis & Scholis, tum præcipue in Belgio fuerunt? Risit invidia; exultavit livor; objecerunt nobis æmuli non sine magna lætitia* διπλεν καπτα *Belgium infestans; fuerunt qui ex libris de hisce controversiis conscriptis formulas convitiandi, egregios scilicet flosculos excerpserunt. Nimirum quemadmodum rixæ inter fratres vicinosque, sicubi accensæ sunt, ardentissimæ esse consueverunt: ita verissime dixeris, inter eos, qui in sententiis quammaxime vicini sunt, atque adeo qui in solis quandoque verbis dissident, fervidissimas plerumque altercationes intercedere.* Quod inter Belgas Theologos factum esse dolet ὁ Μακαριτης, idem dici posset de pluribus contentionibus & controversiis in Germania agitatis. Vel solæ controversiæ *Spenerianæ*, ut de pluribus aliis nil dicam, hujus rei tristia Exempla præbere possunt. Heu quantis animorum motibus illæ fuerunt agitatæ! quot calumniis impetitus fuerat Vir ille doctus & pius & qui ab ejus partibus steterunt? Et quis nescit, imo quis calidis lachrymis non deplorat, eos, qui in rebus fundamentalibus & ad salutem cognitu necessariis conveniunt, fratres nimirum Lutheranos & Reformatos intelligo, mutuis convitiis frequentissime sese turpiter proscidisse, & in opinionibus, quas erroneas esse putant, refutandis, modum nullum quosdam posuisse? Quantum vero ex male sanis ejusmodi concertationibus malorum in Respublicas, Ecclesias & civilem hominum vitam redundaverint, verbis exprimi non potest. Ita nimirum pugnando læditur amor proximi, qui tamen teste Infallibi Doctore Jesu Christo vexillum, & potissimus character Christianismi est. Joh. Cap. XIII. 35. ait: Εν τετω γνωσονται παντες ὁτι ἐμοι μαθηται ἐσε, ἐαν ἀγαπην ἐχετε ἐν ἀλληλοις: inter amicissimos Viros, fratresque, vinculum fraternitatis, ortis ex dissidiis factionibus, rumpitur

tur & fœdis rixis omnia turbantur, saluberrimaque consilia, quæ ad Ecclesiarum & Scholarum utilitatem unice tendunt, ita repudiantur. Rem ipsam ingenue post alios fatetur, Cordatus, dum vixerat Theologus, J. F. *Buddeus Isag. Hist. Theolog. Tom. II. p. m.* 1424. *Ipsa* (inquit) *Certaminum theologicorum per omnia a Christo nato secula ad nostram usque ætatem, facile aliquem in stuporem conjicere posset. Jam si quis porro consideret, quantis animorum motibus, haud raro de rebus aut nullius aut exigui momenti fuerit dimicatum, quotve acerrimæ contentiones in meras abierint λογομαχιας; si perpendat, eos etiam qui pro veritate steterunt, eam subinde rationibus ineptis & frivolis defendisse, aut pro rationibus, calumniis, convitiis, contumeliis, usos, aut miseris sophismatibus; si cogitet sæpissime alteram partem alteri sententiam adfinxisse, a qua prorsus aliena fuit, aut utramque, quæstionis non recte constituto statu, aërem verberasse, & quæ alia sunt ejusdem generis; miseram merito mortalium sortem, tanto conatu nihil agentium, imo potius gravissimis peccatis se obstringentium, veritatisque, cujus se propugnatores jactitant, fructus impedientium, fœdamque simul & sordidam Ecclesiæ turbis bellisque perpetuis hac ratione involutæ faciem, deplorandi justissimas se habere causas, deprehendet. Enim vero cum per veritatis, a Deo revelatæ, cognitionem ad fidem, hinc & ad vitæ sanctæ studium, pacemque simul ac concordiam cum omnibus colendam excitari homines debeant, bellis istis, ac dimicationibus perpetuis, ira, odio, livore replentur omnia, multorumque animi abripiuntur, ut omnia potius alia cogitent, quam quæ serium salutis consequendæ studium exigit. Cumque isti, qui certaminum ejusmodi minus necessariorum auctores existunt, aut non recte in iis versentur, veritatis causam agere, aut pro aliorum salute vigilare, videri velint; plerumque contingit, ut ipsimet non tantum cum veritate salutem amittant, sed alios etiam secum in perniciem abripiant. Atque ita quod remedium ad errores repellendos, veritatemque conservandam, esse debebat, plurimorum intuitu in venenum, quo iis pereundum est, convertitur.* Vid. Ejusdem *commentatio* de *theologiæ polemicæ studio solide ac sobrie instituendo*, quæ extat. in *Syntagm.* dissertat. theolog. (*)

(*) Quid de litibus illis & parum necessariis fratrum concertationibus senserit Illustris *Tillotsonius*, Theologus, si quis alius, Eruditus & perspicax, exponit Reverend. *Burnetus* in Oratione funebri Magno huic Viro habita pag. 76. I. Vol. Serm. Tillot. *Il éstimoit* (inquit) *que le grand but du Christianisme est de reformer & de redresser la nature humaine, de diriger nos actions, de reprimer nos desirs & nos passions, d'adoucir nos inclinations & nos naturels, de regler nos affections, de detâcher nos esprits des interêts & des folies de ce present siecle, & de les elever à l'esperance & à la recherche d'une felicité éternelle. Le corps de la doctrine chrêtienne lui paroissoit*

Et quod ad controversias, inter ipsos Protestantes eheu! magno animorum æstu agitatas, spectat, ostenderunt Viri Docti, nonsolum eas Pontificiis & Græcis, sed & ipsis *Judæis* & *Mahumedanis* offendiculo fuisse. Testis hujus rei luculentus est Joh. H. *Hottingerus Theologus Tigurinus Celeberrimus.* Hic enim in *Assertione Rationum pacem Ecclesiasticam commendantium* quæ *Heidelbergæ* MDCLVI. edita erat pag. 13. sequentem in modum pronuntiat. *Ecclesiæ Ministri* Εὐαγγελιζομενοι εἰρηνην, *Evangelistæ pacis dicuntur Rom. X: 15. Esaj. LII: 7. Quod si vero jam ipsi lites serant, quanta hinc malorum Ilias? Quis nescit Protestantium schismate totum non modo Occidentem, sed & Orientem fuisse offensum & concussum? Nulla enim res æque deterret homines ab Evangelio, ac nostra discordia, scribit communis Germaniæ Præceptor Ph. Melanchton ad Bucerum. A. C. 1535. Habeo Illustris Philippi, Landgravii Hassiæ Epistolam Anno C. 1529. ad Zwinglium Spira scriptam, ejusdemque Philippi manu subscriptam, in qua præter cætera:* Dann auf diesem Reichstag die *N. N.* zu Erhaltung ihres verkehrlichen Lebens sich nicht zu behelffen vvissen, dann dass vvir, die dem reinen lautern Wort Gottes anhangen, unter einandern selbst nicht eines Verstands seyen: sonst vväre denen Dingen leichtlich zu rahten. *Ad ipsos Græcos, Judæos & Mahumedanos mali hujus pertinacia penetravit. De Græcis consuli possunt Acta Eremiæ Patriarchæ Constantinop. p. 377. De Judæis loquitur Auctor Responsi. ad problemata de pacis Ecclesiasticæ conciliis capessendis. pag. 6. Testor spem nostram in Jesum Christum, objectum hoc mihi ac exprobratum ab hostibus fidei, Judæis, pro argumento, quasi Christus nondum venerit. Arabibus, sive Muhamedanis non ignota esse nostra dissidia, vel binc patet, quod cum Clarissimus Pokokius operam aliquando translationi libri de Veritate Religionis christianæ Hugonis Grotii impendisset, nil conatibus ejus speciosius interceserit, quam mala nostra domestica & intestinæ contentiones, de*

roisoit un Système des principes qui tous tendent-là manifestement. Il regardoit les disputes sur des choses de peu de consequence, ou sur des subtilités qui ont du rapport aux matières de la plus haute importance, comme un des plus grands artifices dont la puissance des tenebres se sert pour ruïner les véritables fins de la venuë du Fils de Dieu dans le monde. Il voyoit bien que des disputes engagent dans des discussions fort seches & accompagnées d'une grande animosité: de sorte que, pendant qu'on s'échauffe à former des cabales & à faire prévaloir ses opinions, on se relâche de plus en plus dans la pratique des grands Devoirs, qui sont le principal but de la Religion chrétienne. Ita Celeb. *Burnetus.* Henricus *Wottonus*, itidem Eruditus Anglus testamento conscripto hoc sibi poni jussit Epitaphium: Hîc jacet hujus sententiæ primus Author: DISPUTANDI PRURITUS, ECCLESIARUM SCABIES. Nomen alias quære, v. Acta Lipsi. Supl. Tom. I. p. 84.

de quibus Mahumedani, ab Apostatis moniti, nobiscum nos habitare jubent. Atque hoc relatum mihi aliquando fuit Parisiis ab ipso H. Grotio. Qui in Arabum historiis versatus est, ignorare non potest, maxima Mahomedismum incrementa habuisse ex Christianorum dissidiis, qua de re aliquid monuimus Hist. Orient. Lib. III. cap. 1. 2. Caveamus igitur, quantum fieri potest, ne illud Væ, quod homini, per quem venit scandalum, a Servatore denuntiatur Matth. XVIII: 7. in caput nostrum recidat. Ita *Hottingerus.* Notabilia etiam sunt B. *Zwinglii* verba ad Luther. Exegesi. Eucharist: *Satis sit* (inquit) *oro dissensum, satis tumultuatum, satis sævitum. Orere gratissime Lucifer protinus, sol Justitiæ emica. Cum enim contenditur, negligitur sanctimonia, quam unice a nobis requiris. Vides ut a contentione nunquam redeamus meliores. Est enim carnis opus, a qua nemo regredi citra maculam potest. Contra qui ab ea sunt alieni nunquam non fuerunt Optimi.* Sed non est hic animus de Infausto Schismate, quod inter nos & fratres Lutheranos eheu! intercedit, totque malis, quæ ex mutuis concertationibus ortæ sunt, data opera agere. Ostendamus potius ex innumeris illis contentionibus, de rebus vel nullius vel minoris momenti excitatis, & singulari fervore, quo illæ fuerunt agitatæ, Incredulitatem quammaxime promoveri. Nimirum homines nec artis ratiocinandi satis periti, aut religionis satis gnari, ex tanto numero disputationum colligunt, fieri non posse, ut Religio certis sit innixa fundamentis, alias Eruditos, qui in veritatibus illis examinandis ætatem contriverint, & singulari ingenii acumine sint præditi, facile consensuros esse. Et cum acutiores paulo videant, eos non minus clamare & paratragædiari, cum de rebus minoris argumenti, quam ubi de Summa Religionis agitur, colligunt, omnes articulos Religionis esse æquales, id est incertos, quia de singulis vehementer dissentiant Theologi: sufficere igitur, si quis generalibus quibusdam Religionis Naturalis articulis sit contentus, cæteraque omnia faciat missa. Ita sane ratiocinatur Auctor *Religionis Essentialis*, *Tyndalus*, pluresque alii, qui Deistarum nomine veniunt. Quod si porro videant, sæpe illos ipsos, qui Religionis christianæ defensores dici volunt, ob dissensum in minutis opinionibus sese mutuo lacerare, omnesque humanitatis & amoris leges pedibus proculcare, fieri haud posse illi existimant, ut homines illi de divina origine præceptorum Christi possint esse persuasi, cum notum sit, quoties, quantisve argumentis amor proximi in S. Literis inculcetur. Pyrrhonii Veteres inter alia argumenta, quibus Sectæ suæ præsidium quærebant, etiam hoc afferebant, quod

nimirum Dogmatici omnes vehementer inter se dissideant, Sceptici vero in sola illa sua ἀκαταλιψια adquiescant. Non quæritur utrum hi homines recte ratiocinentur, & utrum ex dissensionibus illis in rebus minoris momenti colligi possit, fundamentalia propterea Religionis capita quoque esse incerta: sed hoc tantum, utrum non immoderata illa cupido & ardor de rebus minoris momenti disputandi, aliosque anathematizandi, facile homines vel in Incredulitatis vitium præcipitare, vel in ea confirmare possit, de quo neminem facile dubitaturum credideris. Saltem ita ante me judicarunt Theologi Protestantes doctissimi. Audiamus unum atque alterum. *Jenkin Thomasius* Theologus Anglus præstantissimus, in *Historia* sua *Atheismi* pag. 13. de causis ejus agens, ita inter alia loquitur: *Huc accedunt Theologorum digladiationes, & animorum acerbitas, de articulis etiam non raro, qui neque bonos mores respiciunt, neque vitam æternam; attamen si quis a receptis systematibus recesserit vel latum unguem, væ homini! De omni spe amicitiæ conclamatum est, & in papatu pro hæretico habendus & vivicomburio ni palinodiam cecinerit quantocius puniendus, qui procedendi modus procul dubio spectantium animos tepore aliquo, vel potius odio, adversus omnem Religionem imbuit. Neque omnino hac in parte excusandi sunt Protestantes, qui nescio quo malo fato, etiamsi bene inter se conveniant de omnibus, quæ ad salutem sunt necessaria, nihilominus tamen de factitiis fidei articulis primævis Christianis incognitis, de rebus cultum externum spectantibus, de vocabulorum & syllabarum apicibus, aut denique de rebus captum nostrum longe superantibus, omni laterum contentione, & animorum dissensione in se invicem ita acerbe invehuntur, ut facile possis conjicere, ex odio adversarii potius, quam amore veritatis istas infinitas rixas deductas fuisse: Inde homines parum benigne de Religione sentientes consulunt Principibus, ut omnem religionem negligant, affirmantes, quod princeps pacem & concordiam perpetuam sic demum obtinere possit in imperio, si omnes rixas & odiosas quæstiones quas Theologi excitare solent, acriter prohibeat: ex istis enim disputationibus oriri diversas sectas, quibus diversi adhæreant, atque sic mutuis erga se invicem pugnis stimulatos, diversa judicia, odia, convitia & calumnias nasci, quæ intestino bello, nonnunquam haud exiguam præbeant occasionem. Caveas velim existimes, me omnes de rebus divinis disputationes improbare; nequaquam: quia sæpe Ecclesiæ necessitas atque nostra officia hoc postulant, sed & est modus in rebus; nollem homines Christianos se invicem proscindere & lacerare, ne profani quique tripudient, & in contumeliam Religionis conclament, ubi est vester Deus?*

Huic

Huic assentitur ὁ Μακαρίτης Cl. *Buddeus in Thesibus* de *Superstitione* & *Atheismo*. pag. m. 329.

VIII. At malum hoc, id est Incredulitatem, nonsolum promòvet multitudo controversiarum de rebus minoris momenti, sed & illaudabile studium eorum, qui minimos errores in majus extollunt, atque vel leviter errantes cum invisis comparant Hæreticis, existimantes, se ita agendo nonsolum pro egregiis orthodoxiæ fulcris habitum iri, sed & de hostibus suis, id est dissentientibus, facile triumphaturos esse. Non quæritur utrum homines etiam minus graviter errantes sint monendi & ab erroribus liberandi: nemo enim cui veritas curæ est, de hoc dubitaverit; sed de hoc potissimum quæstio est, qua ratione id fieri oporteat. Nulla autem accommodatior errantem convincendi ratio, quam si placide modesteque cum eo agas; si perspicuis argumentis probes, nonsolum eum errare, sed & simul erroris fontem causasque detegas; si asseras, eum non malo animo in eum prolapsum errorem, &c. Ita fiet ut homo ille si ratiocinari possit, verique amore sit captus, errorem cernat, eique valedicat; aut si id propter præjudicatarum opinionum vim, ἀβλεψιαν, aut ambitionem non facit, saltem de te benevole sentiat & ingenuum tuum & homine christiano dignum candorem laudet. Multos vero æquissimam hanc convincendi errantes viam neglexisse & adhuc negligere, tristis eheu! docuit & adhuc docet experientia. Sunt & fuerunt multi Theologi & V. D. M. qui leves valde errores in majus extulerunt, & muscas, ut habet proverbium, in Elephantes mutarunt, eumque in finem innocentissimos sæpe viros, cum invisis hominibus, id est hæreticis, compararunt. Hæc autem errantes tractandi ratio, nonsolum infinita mala post se trahit, sed & Incredulitatem vehementer adauget. Primo enim illi, qui per consequentiarum ambages gravitatem errorum data opera amplificare student, erranti gravem inferunt injuriam, eum furori plebis, & Zelotarum objiciunt & sæpe in maximas conjiciunt calamitates, quo ipso contra amorem proximi gravissime peccant, atque ita longe gravius errant, quam is ipse, qui erroneæ opinioni subscripsit. Deinde hæc ipsa agendi ratio errantem potius in errore confirmat quam emendat, quia pulchre videt, hæc argumenta esse ab invidia duntaxat petita: comparationes insuper errantium cum invisis hæreticis errantem nonsolum ab erroribus non revocant, sed & tales controversiarum tractatores Eruditorum ludibrio exponit. Pone, te hominem in materia de auxiliis gratiæ leviter errantem, Pelagianum vel

His adjungendi, qui controversiarum momenta in majus extollunt, & vel leviter errantes in catalogum Hæreticorum referunt.

vel Semipelagianum vocare, num ideo eum erroris convicisti? minime: respondebit enim ille, quid Pelagius vel Semipelagiani senserint mea parum refert, hoc tu potius age, ut ostendas perspicuis argumentis me errasse. Maxime autem culpandum hoc vitium, quando in orationibus sacris ejusmodi comparationes ad plebem, quæ ad Hæretici nomen tanquam monstri horrendi & ingentis exhorrescit, contra dissentientes proferuntur. Certe doctissimi inter Protestantes Viri semper ejusmodi paralleliſmos cum Hæreticis institutos improbarunt. Unius tantum, sed Celeberrimi & Eruditissimi nimirum Venerandi *Mosheimii* de comparatione illa errantium cum Hæreticis invisis instituta judicium afferam. *Hic vero in Modesta Disquisitione in novam dogmatis de S. S. Trinitate explicationem, quam Vir Cl. Paulus Maty nuper proposuit* pag. 79 sequentem in modum pronunciat: *Nos, quod pace dicimus doctissimorum Virorum, quorum Eruditionem & merita cæteroquin veneramur, tametsi haud negemus, collationem veterum & novarum Sectarum & errorum nonnunquam utilitatis aliquid adferre in disputationibus; plerumque tamen, quum id tantum agitur, ut veritas illustretur & defendatur, plus incommodi quam utilitatis adjunctum habere opinamur. Principio, quæ faciliori negotio dirimi lites poterant, hac ratione protrahuntur & amplificantur. Nec enim amplius, si res ita instituatur, de sola dogmatum vel veritate vel falsitate quæritur, sed aliæ simul nascuntur controversiæ historicæ, valde implicatæ & laboriosæ: veterum scilicet sectarum historia exploranda est, vebementer obscura & variis difficultatibus circumsepta, & quid commune habeant novi errores cum illis antiquis cum cura dijudicandum est: quod non sine longo labore fit. Hoc deinde si quis labore feliciter defunctus sit, & novas sectas antiquis ex toto similes esse ostenderit, nihil inde aut parum fructus capiet ad errantis mentem sanandam, & alios contra vim erroris muniendos. Etenim quum veteres in æstimandis aliorum sententiis errare potuerint, nec semel erraverint, id nondum erroris aliquem convincere poterit, quod idem illud, quod ipse pro vero ducit antiquis quibusdam conciliis falsum visum fuit. Pugnabit ille potius, si ingenio valeat, invidiam & invidiam obstitisse majoribus ne veritatem perspicerent eosque sanos & sapientes fuisse, quibus notam illi hæreseos inusserint. Quanta hæc novarum turbarum materia, quæ non potest non mentes hominum perturbare, atque ab eo quod solum erat necessarium, ad res parum utiles abducere? His accedit, quod veterum Hæreticorum nomina in convitiis hodie & contumeliis ponuntur, isque verbi causa, qui Tritheita, aut Pelagianus aut Sabellianus vocatur, eadem pœne injuria affi-*

citur,

citur, qua is qui monstrum, portentum hominis, caudex, stipes, nebulo, appellatur. Atqui Servator noster a Christianorum disputationibus omnem cavillandi libidinem abesse vult, hominesque satis propter errores suos infelices, novis malis ignominia & injuriis excipi vetat. Conf. Gal. VI. 1. 1. Corinth. XI. 16. 2. Tim. II. 24. Hactenus Vir ille Doctus. Gravissimum vero malum, quod ex istius modi exaggeratione errorum, & collatione cum invisis hominibus, i. e. Hæreticis, oriri potest hæc est, quod nimirum homines paulo acutioris ingenii, sed quibus nec veritas nec pietas satis curæ est, videntes, injuriam his illis esse illatam, colligant, omnes controversias ejusdem esse ponderis i. e. nullius; disputari de lana caprina & nonnisi odio theologico tribuendas omnes illas concertationes &c. ita sæpe sanctissima religio risui exponitur, & quæ gravissima in ea sunt, omnibusque veritatis amantibus scitu credituve necessaria, cum minutis opinionibus confunduntur, omniaque quæ de antiquis Hæresibus dicuntur, pro meris Sacerdotum fraudibus habentur. Et sane facile hoc contingere potest, cum viri orthodoxi etiam & docti, perpensis erroribus, qui innocentissimis viris, suæ, qua vixerunt, ætatis, impacti sunt, incipiant dubitare, utrum omnia, quæ de Antiquis Hæreticis a Patribus dicta sunt, vera sint nec ne. Hoc sibi evenisse testatur B. *Spenerus Consil. Theolog.* Lat. Part. III. p. 187. *Quoties* (inquit) *quæ nostro tempore fiunt, & facta sunt expendo, & varias calumnias in animum revoco, toties valde mihi dubia redduntur, quæ de multis hæreticis antiquitas refert.* Atque eo facilius in eam opinionem descendunt multi, quod paucissima Veterum Hæreticorum monumenta in manus nostras pervenerint, sæpiusque de mente horum hominum nonnisi ex Adversariorum scriptis sit judicandum. Pone v. gr. *Spenerum* de quo hic sermo est, vixisse II. vel III. Seculo post Christum natum: pone omnia ipsius scripta injuria temporum, fraude &c. periisse & nonnisi adversariorum suorum supersse accusationes, quis quæso *Spenerum* non hodie pro insigni Hæretico esset habiturus, præsertim si audias, Eum a fervido aliquo Hæretifice cum Spinoza fuisse collatum? Ostenderunt profecto viri præstantissimi & nullius Heterodoxiæ suspecti, sæpissime antiquis Hæreticis falso multos errores fuisse impactos. (*) Probavit hoc de antiquis *Simonianis* Cl. *Moshemius* (a) de *Mon-*

(*) (a) In Dissertatione de uno Simone Mago (b) in Dissertat. de Hæresiarchis Seculi II. de usu Patrum Lib. III. (c) in luculentissimo opere historia nimirum critica Manicheismi passim. (d) Partim in Historia Christianismi Indici, partim singulari dissertatione Museo Bremensi inserta, Jablonskius vero in Exercitatione singulari

Montaniſtis Ittigius & *Dalleus*: (b) de *Manicheis Beauſobre* (c) de *Neſtorio Veiſſiere La Croze*, *Jablonsky* & *Saligius* (d) & nuper de *Bogomilis* Ludovicus *Oëderus* vir Juvenis doctiſſimus (e) ut plura exempla non adducam. Quam faciles etiam fuerint veteres quidam, imo prodigi, in Hæreticorum numero adaugendo, ex libello brevi *Auguſtini de Hæreſibus patet.* Mentio hic fit *Artotyritarum quibus* (verbis utor Auguſtini) *oblatio eorum hoc nomen dedit; offerunt enim panem & caſeum, dicentes a primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovium fuiſſe celebratas:* Hæretici appellantur *Teſſaresdecatitæ, hinc appellati, quod nonniſi quartadecima luna, Menſe Martio Paſcha celebrant, quilibet ſeptem dierum occurrat dies, & ſi dies dominicus occurrat, ipſo die jejunant & vigilant.* Hæreticorum nomine digni ſunt *Melchiſedeciani, qui Melchiſedek Sacerdotem Dei excelſi, non hominem fuiſſe, ſed virtutem Dei eſſe arbitrantur;* Hæretici ſunt, ſi Auguſtinum audias, *Valeſiani, qui ſeipſos caſtrant, & boſpites ſuos, hoc modo exiſtimantes Deo ſe debere ſervire.* In Hæreticorum numero ſunt habendi *Aſcitæ, ab utre ſic appellati,* ἀσκος *enim græce, latine uter dicitur, quem perhibentur inflatum & opertum circumire bachantes, tanquam ipſi ſint Evangelici utres novi, vino novo repleti.* Denique ut alios mittam, in claſſem Hæreticorum ſunt referendi ſi Auguſtinum audias, *Pattalorinchitæ, qui in tantum ſilentio ſtudent, ut naribus & labiis ſuis digitum opponant, ne vel ipſam taciturnitatem voce præripiant, quando ſibi tacendum eſſe arbitrantur;* ita *Auguſtinus*, quem mirum eſt, non inter Hæreticos retuliſſe eos, qui *caſeum ſine pane comedere* ſolent. Quam parum Eruditi *Epiphanio* & *Philaſtrio* in hoc negotio tribuant, vulgo notum eſt. Quod ſi vero Viri præſtantiſſimi inter Theologos fateri tenentur, multis antiquorum & recentiorum falſos errores fuiſſe impactos, & leves ſæpe opiniones, pro graviſſimis erroribus fuiſſe venditatas, quid mirum eſt, ſi homines, quibus exigua eſt rerum divinarum cognitio, quive veritatem gravem & momentoſam, ab erronea opinione diſcernere non poſſunt, ſimulque, quod non raro fieri ſolet, Cleri odio flagrant, quid mirum, inquam, ſi ejusmodi homines tandem omnes controverſias nullius momenti eſſe aſſerant, atque contendant, de omnibus poſſe utramque in partem diſputari, & perinde eſſe tandem quamcunque tueamur Religionem?

IX. Juvat

Hiſt. Theolog. Berolini 1724. in 8. edita, Saligius denique in Eutychianiſmo ante Eutychem. confer. Hiſtoire de la vie & des ouvrages de Mr. LA CROZE pag. 231. ſq. (e) in prodromo Hiſtoriæ Bogomilorum Criticæ. de Gnoſticis Vide Camp. Vitringam Ob. Sacr. & Basnage Hiſtoire des Juifs, De Adamitis binas diſſertat. τῦ Μακαρίτε Cl. Beauſobre &c.

IX. Juvat autem in causas malorum, de quibus in duabus proxime antecedentibus sectionibus verba fecimus, paulo diligentius inquirere. Causis enim morbi detectis, facilior erit curatio. Et I. quidem notum est, multos, qui controversias tractare & de dissentientium opinionibus judicare solent, animos in juventute non iis disciplinis excoluisse, quæ ad examen solidum sententiarum paulo abstrusiarum requiruntur, unde aliter fieri non potest, quam ut de Eorundem veris sententiis præpostera ferant judicia, & multa iis tribuant, a quibus tamen vehementer sæpe abhorrent. Hinc litium & contentionum multitudo. Ad accuratum certe novi Systematis, aut hypotheseos instituendum examen, plura, quam vulgo putatur, requiruntur. Necesse ante omnia est, ut ad singulas Dissentientium definitiones, probe attendamus, quia sæpe plus vel minus in iis comprehenduntur quam quidem nos iisdem utentes, existimamus; Nisi hoc observetur, logomachiæ & falsa oriuntur consectaria. Deinde omnes partes Systematis inter se sunt conferendæ; videndum utrum opiniones illæ capitalibus veritatibus aliquid detrahant nec ne; quove fine hæ vel illæ propositiones in medium sint prolatæ; ubi obscurius mentem explicuit Auctor, vel judicium suspendendum, vel ex clarioribus lux dictis est accendenda, &c. &c. Insigne hujus prudentiæ & candoris exemplum nobis dedit Præstantissimus Theologus Gallus Ludovicus *le Blanc* in *thesibus suis Theologicis Londini 1683. in fol. editis.* Vide quæ in præfatione de controversiis tractandis ab eo monentur, & confer etiam Joh. *Fabricii* prolegomena ad considerationem controversiarum. Raros vero esse, qui iis, quæ hic desiderantur, ingenii dotibus instructi sint, norunt ii, quorum officium est hæc argumenta excutere. Hinc aliter fieri non potest, quam ut contentiones augeantur, inprimis, si existimationis & ambitionis stimuli accedant. Vident hi homines sæpe, quod ne oculatissimi quidem cernere possunt. At ita ex una controversia sæpe decem, & plures oriuntur.

Inquiritur in mali hujus, de quo in præcedentibus duabus Sectionibus, egimus, causas.

II. Huc multum conferunt præjudicatæ, & a Magistris acceptæ de dissentientibus opiniones. Pauci sunt qui Adversariorum, quos oppugnare volunt, scripta legant; pauciores qui ea ἀθερ παθων evolvant; plerique adquiescunt in judiciis, quæ Præceptores sui de iis tulerunt. Quod si vero Magistri illi dissentientium opiniones aut male ceperunt, aut dissensum non sine supercilio exaggerarunt, fieri aliter non potest, quam ut discipuli idem sentiant, & in novis opinionibus, si quæ sparguntur, debellandis, eadem incedant via. Hinc novarum litium se-

mina, & innumeræ contentiones in Scholis & Eccleſiis oriuntur. Ex quo quilibet prudens facile judicare poteſt, eas Eccleſias & Scholas felices eſſe dicendas, in quibus Viri non tantum eruditi, perſpicaces & ſapientes, ſed moderati potiſſimum mites & pacifici florent. Ita enim diſcipuli nonſolum evadunt doctiores, ſed & modeſtiores, & ad expendendas opiniones, de quibus in Eccleſia chriſtiana controverſiæ moventur, aptiores. Augetur hoc malum, ſi Juvenes mature incidant in libros, in quibus diſſentientium opiniones non ſunt rite repræſentatæ, ſed præcipua Eorum argumenta, aut ſilentio involuta, aut ſiniſtre tradita, ea vero demum oculis Lectoris objecta, quæ offenſioni eſſe poſſunt, ut alias artes, quibus quidam controverſiarum tractatores uti ſolent, ſilentio tranſeam. In vulgus enim jam quidem nota ſunt argumenta theologica ab invidia petita. Qui in ejusmodi libros inciderunt, & vel debilitate ingenii, vel pigritia accuratius res non expendunt, ubique vident opinionum monſtra & ſpectra, ubi alii, veritatis, ſi non plus, æque certe amantes, ne umbram quidem periculi alicujus deprehendere poſſunt.

III. Tertia hujus mali cauſa eſt, quod quidam Doctores publici, id quod in Religione chriſtiana eximium & præcipuum eſt, non ſatis diſtinguant, a ſententiis acceſſoriis, minorisque momenti opinionibus. In tractandis controverſiis, & dijudicandis aliorum de Religione opinionibus ita verſandum, ut inprimis diſpiciamus, utrum Adverſariorum ſententiæ, capitalibus veritatibus aliquid detrahant nec ne; Quod ſi videamus eas ne digito quidem tangere eas veritates, in quibus ſumma Religionis poſita eſt, ad eas refutandas animum non adjungimus, aut, ſi id ob certas quasdam circumſtantias neceſſe ſit, ea modeſtia & circumſpectione id facimus, ut diſſentientes de nobis conquerendi nullam habeant plane cauſam. Hoc qui negligit, eum neceſſe eſt, ſine ratione controverſias multiplicare. At quis neſcit fuiſſe ſemper in Eccleſiis, & adhuc dari tales, qui haud ſatis cognoſcant, quid in Religione chriſtiana præ cæteris ſit eximium & momentoſum? ita vero aliter fieri non poteſt, quam ut pro minutis opinionibus non minus animoſe pugnent, quam pro veritatibus capitalibus, utque quavis data occaſione neceſſitatem ſibi eſſe impoſitam putent, quosvis oppugnandi, & cum quibusvis ferram diſputationis reciprocandi. Multi nullam diligentiam impenderunt in cognoſcendis & rite demonſtrandis iis veritatibus, ſine quibus vera Religio & pietas conſiſtere non poſſunt; in refellendis vero opinionibus minutis, & neminem cœlo

exclu-

excludentibus, potissimam vitæ partem contriverunt. (*) Reperti denique sunt omni tempore, qui omnes quæstiones theologicas, in Systematibus suis ultro citroque motas, ita cum fide salutari connexas esse putant, ut ipsam Religionem in discrimen esse adductam clamitent, si alii de earum pretio vel dubitaverunt, vel minus eas momentosas esse asseruerunt. Mirumne autem est, tales, in controversiis multiplicandis, & litibus protrahendis singularem ponere industriam?

IV. Peccant & illi, qui ubi novas quasdam de his vel illis Religionis partibus repererunt hypotheses, eas, pietati licet & religioni nullam, vel exiguam afferant utilitatem, non tantum statim in publicum protrudunt, sed & earum pretium extollunt, aliosque, qui nova εὑρήματα statim admittere nolunt, alto supercilio contemnunt. Vir sapiens & veri amans persuasum habet, controversiarum inter Christianos plus satis esse, & plus studii esse ponendum in veritatibus utilibus cognoscendis, probandis, & tuendis, affectibusque malis edomandis, quam vero in novis opinionibus effingendis. Novit multa dari, quæ salva pietate & religione ignorari possunt; perspectum insuper habet probe, quam incertus sit vitæ nostræ terminus, arctisque valde limitibus circumscriptus; hinc in exercitationibus utilissimis tempus quammaxime terendum esse putat. Haud ignorat denique plerorumque Eruditorum mores; pauci dissensum æquo animo pos-

(*) Cordati & prudentes Theologi doluerunt, exortis tot novis controversiis, tempus, quod longe melius collocari posset & deberet, in novis opinionibus vel investigandis vel refellendis, terendum esse. Celeb. *Witsius* inter alios in *Prologo ad Theologos Britannos* sic animi sui aperit sensa: *Nunquam melius comparatum fuisse arbitror cum populo Christiano, quam quando sua se involvens credendi Evangelio sanctèque vivendi integritate, procul esse jussis curiosarum quæstionum argutiis in casto Dei Christique amore & certa æternæ vitæ exspectatione deliciabatur. Ita Christum ab Apostolis didicerat prisca gens fidelium, quæ simplici & impolito sermone edocta, sed missorum ad se à Deo oratorum incredibili sanctitate commota, Zelo accensa, prodigiosis operibus persuasa & accedente interna divini spiritus illuminatione efficaciter de veritate convicta, ad Jesum Christum Filium Dei, tanquam unicum salutis auctorem confugiens, ejus se nutui ducendam regendamque tradebant: tam ignara subtilium disputationum quam studiosa pietatis. Tunc fuit quum Christiana fides vim suam omnem in animis mortalium exereret, magisque eos ad mortem pro Christo fortiter oppetendam quam ad contentionem de obscurioribus Religionis articulis acrimoniam animaret. Atque hinc est, quod sæpe mecum animo cogitaverim felicissime fortassis cum iis hominibus agi, qui non cognoscentes nisi Jesum Christum, eumque crucifixum, & ex Evangelii præscripto temperanter, juste, & pie viventes de Theologorum rixis ne fando quidem audiverunt. Et hanc* NB. *non minimam calamitatis nostræ vel certe molestissimam officii partem esse existimo, quod qui rei Christianæ præsites sumus in spinosarum controversiarum difficultatibus enodandis prolixam sæpe operam impendere cogamur. Ita seculum est: litibus perstrepunt omnia. Ne ea quidem ade excepta, quam paci & concordiæ sacravit Deus.*

sunt ferre; ab aliis edoceri nolunt, quia existimationi suæ hac ratione aliquid detrahi existimant. Et hæc ratio est, cur prudentes diu secum perpendant, utrum hanc vel illam opinionem, quam se reperisse putant, publicæ exponant luci. Non quæritur utrum liceat novam aliquam hypothesin de his vel illis Eruditionis etiam theologicæ partibus in medium proferre. Nemo facile id negaverit. Male profecto (verbis utor Celeb. *Witsii* in *Oratione de Theologo Modesto*) *cum liberalibus ageretur ingeniis, si interdicta illis ultra tendendi facultate nihil in publicum proferri liceret, cujus non alium ante se auctorem laudare quirent, pessimeque consultum fuisset rei theologicæ si eadem lege vixissent Majores nostri. O quam multis & præclaris careremus observationibus, quas nunc tanquam sacræ Eruditionis gemmulas quasdam suspicimus. Nondum ita exhaustæ divinarum rerum aurifodinæ sunt, ut non sedulo scrutantibus, novi, quos reperiant thesauri, dignum diligentia sua præmium, superstint. Quam novæ inventionis laudem, cunctis expositam, aspernari, non modesti, sed segnis ingenii, eam autem aliis invidere malevoli animi argumentum est. Uti nec modestiæ imputare velim, quod, quem semel studiorum ducem sive casu nactus sis, sive judicio elegeris, eum ita in omnibus tibi sequendum putes, ut ne latum quidem unguem ab illius recedas placitis. Pulchrum est*, quod Galenum de Posidonio tradidisse memini, MALUISSE EUM SECTAM QUAM VERITATEM DESERERE. *Ast non paucos hodie sic videmus esse animatos, ut in omnia Magistri sui dicta, nullo prævio examine, nulla admissa meliori informatione, jurent, & temere arreptas opiniones præfracte tueantur, pro iis tanquam pro aris & focis dimicent, & quia decretoriis armis non possunt, rudibus sæpe & cæstibus pueriliter batuant, in iis solis omnis sapientiæ proram & puppim collocent, & qui iisdem non pariter cum iis assurgunt, eos tanquam inscios homunciones adunco suspendant naso, vel quod certe nihil melius est, tanquam pravæ novitatis suspectos calumniose traducant:* Hæc vero quæ a Cl. Theologo in medium sunt prolata non obstant; quo minus verum sit, multos qui novas opiniones Religioni parum sæpe aut nihil profuturas non sine supercilio & contemtu aliorum proferunt, contentionum & litium causam esse.

V. Neque dubitaverim ego, quin multum etiam ad mala hæc augenda conferat historiæ Ecclesiasticæ, inprimis illius partis, quæ de Hæresibus antiquis agit, minus accurata & parum diligens cultura. Hanc partem Historiæ nondum satis esse excultam, conqueruntur Viri Doctissimi. Qui diligentissime hoc argumentum tractarunt, fatentur

sæpe,

ſæpe, ubi de ſententiis Veterum agitur, ad ἐποχὴν eſſe recurrendum. At contra plerique, qui ſyſtemata hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcribunt, Anteceſſores ſuos ſequuntur ſine novo examine, eosque Hæreticis vel Schismaticis opinionibus imbutos fuiſſe dicunt, quos communiter apud eos, qui de hoc argumento ſcripſerunt, commemoratos reperiunt. Hinc nonſolum nocentes cum innocentibus miſcentur, & ſæpe portentoſæ opiniones tribuuntur iis, qui ab iis ſunt alieniſſimi, ſed & inſtituto præpoſtero cum antiquis Hæreticis paralleliſmo, multitudo erronearum opinionum nonſolum augetur, ſed & novis litibus & contentionibus materies ſuppeditatur.

VI. Inter omnes vero tantorum malorum cauſas retulerim merito præpoſterum quoddam inclareſcendi ſtudium, falſique nominis pro gloria Dei Zelum. Dantur inter eos, qui ſanctioribus Literis (ut de aliis nil dicam) vacant, non pauci, qui ſingulari quadam inclareſcendi cupiditate ardent. Cum vero non ſemper iis inſtructi ſint Eruditionis copiis, ut famam inter Doctiores conſequi poſſint, inter ſuos tamen cives inclareſcere volunt; Idque ſeſe obtenturos eſſe putant facile, ſi quaslibet minutas ſententias diſſentientium impugnent, cum quibuslibet rixandi occaſiones quærant, inque Heterodoxos coram plebe, iisque, qui controverſiarum momenta ignorant, ſtrenue debachentur. Quando audiunt, ſe ob fervorem illum a quibusdam laudari, exiſtimant ſe Lumina Eccleſiæ, Orthodoxiæ fulcra, & Hæreticorum malleos eſſe. Ignotos vero hac ratione fallunt, notis ſunt deriſui. Nunquam autem deſunt, qui tales homines laudibus celebrent; *Illi ſoli ſancti*, (denuo utor verbis Celeb. *Werenfelſii de logomach. Erud. cap. IV.*) *illi religioſi, illi Zelotæ, illi Orthodoxiæ ſunt columina, qui nihil quicquam remittunt adverſariis, qui omnia eorum dicta in hæreſes transformare, leviſſimas quæque diſſenſiones immane quantum exaggerare ſciunt; qui omnem tolerantiam, omnem manſuetudinem, concordiam, tanquam communionem Chriſti cum Belial execrantur; qui identidem ex cathedra, ex ſuggeſtu, cygneam Didonis virgilianæ repetunt cantionem:*

\- - ſtirpem & genus omne futurum
exercete odiis, cinerique hæc mittito noſtro
Munera, nullus amor populis nec fœdera ſunto.

Hoc plebeculæ placet. Lubentius audiunt declamatores, qui in adverſarios ſuos debachantur; quam pios concionatores, qui chara ſibi oppugnant vitia. Quid tu? audiviſti hodie Noſtrum. Hui quam ſtrenue ſe geſſit? quantopere invectus

invectus est in eos, qui fratres nostri esse vellent? quanto ardore eos in orcum deturbavit? Hic Vir, hic est! Hic adversarios suos debellare novit! Hoc stat Orthodoxia! At nonsolum sibi plaudunt hi homines, sed quod miserrimum est, Zelum hunc suum pro omnibus minutis sententiis defendendis, & quibusvis impugnandis, vocant Zelum pro gloria Dei, & magnitudine hujus Zeli suam metiuntur pietatem, eoque se Deo gratiores futuros esse putant, quo ille est impetuosior. *Hi* (rursus utor verbis *Werenfelsii*) *usque adeo sibi in hoc suo Zelo placent, ut existiment, se illo, quidquid alioquin vitiorum sibi inesse possit, redimere & expiare: his elui omnes maculas suas, his defectus abunde compensari, usque adeo, ut Deus ipse quodammodo obligatus sit, ad multa sibi, tam devotis scilicet & fervidis suis cultoribus condonanda, quæ in aliis tolerare non posset.* pag. 153. op. Nemo hoc ita interpretetur, ac si negaremus, necesse esse, ut V. D. Ministri & Theologi, Zelo armati sint. Nos contra Zelum *veri nominis* inter heroicas theologorum virtutes referimus: veri autem nominis Zelus est, si ad rationem & Evangelium Jesu Christi est exactus; si placidus est & temperatus; si gravitati rei, de qua agitur sit accommodatus; si non minus oppositus sit gravibus, gravibus inquam erroribus, quam vitiis &c. Hunc Zelum nemo non laudat: apertum autem est, nobis de hoc jam sermonem non esse. Mirumne autem est, controversiarum litium & contentionum numerum in Ecclesiis augeri, ubi tales Doctores dominantur, aut in existimatione sunt positi?

VII. Denique, ut alia mittam, plurimum huc confert quorundam singularis cupido, omnia in Religionis negotio determinandi, quod tamen absque temeritate sæpe fieri non posse, ii etiam sentiunt, qui mediocri rerum divinarum sunt cognitione instructi. Impossibile est, ut omnes partes Eruditionis theologicæ ad summum evidentiæ gradum perducantur. In multis prudenti est opus ἐποχῃ. Omnes quidem tenentur sedulo sanctissimas disciplinas excolere, & quantum pro ingenii capacitate licet, felices progressus in iis facere. Interim tamen simul, si modo judicio & ingenio non destituantur, probe vident, aliquando in obscuriore cognitione esse adquiescendum, & rem ipsam vere nobis esse revelatam, modum autem rei nos latere. At hi, de quibus loquimur, omnes scholæ definitiones & explicationes, vel a Majoribus & Præceptoribus suis acceptas, vel proprio ingenio inventas, tanquam amasias suas amplexantur. Nihil his hominibus obscuri, nil incerti; omnia ab his vel illis, quos magni faciunt, &

quos

quos solos in his argumentis sapere putant, jam satis sunt explanata, & determinata. Ferri in eo possent homines illi, & frui hac sua omniscientia theologica, si modo aliis concederent libertatem secus sentiendi, id est judicandi pro gradibus cognitionis. Sed cum hoc facere nolint, aliosque, qui tam felici ingenio, & eruditione adeo accurata & exquisita destituti sunt, vel turpis ignorantiæ, vel Heterodoxiæ reos agant, se ipsos quidem Eruditis ludibrio exponunt, simul tamen litium & contentionum numerum augent; Interim hac ratione ea, quæ ad sananda vulnera Ecclesiæ, ad emendandum degenerem Christianismum, ad fraternam animorum conjunctionem alendam & arctius constringendam facere possent, turpiter negliguntur. Conferantur quæ ad hoc argumentum monuit Excell. *Pfaffius dissertat. de præjudiciis Theologicis Sect. XVII. sq.* Claudamus hanc Sectionem & dissertationem simul, *Illustris Grotii* verbis, quæ extant *collect. Poëmatum.* pag. 285.

Qui curiosus postulat totum suæ
Patere menti, ferre qui non sufficit
Mediocritatis conscientiam suæ
Judex iniquus, æstimator est malus
Sui naturæque; nam rerum parens
Libanda tantum, quæ venit mortalibus
Nos scire pauca, multa mirari jubet.
Hic primus error auctor est pejoribus:
Nam qui fateri nil potest incognitum,
Velo necesse est velet ignorantiam,
Umbrasque inanes captet inter nubila
Imaginosæ adulter Ixion Deæ:
Magis quiescet animus, errabit minus
Contentus eruditione parabili.
Nec quæret illam, si quæ quærentem fugit.
Nescire quædam, magna pars sapientiæ est.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ
THESIUM THEOLOGICARUM.

I. Si ea, quæ a recentioribus Philosophis & Theologis de optimo mundo dicuntur, conferantur cum aliorum præstantissimorum Theologorum de origine mali explicationibus & responsis adversus P. Baylii objectiones in medium prolatis, patebit, dissensum inter eos aut

nullum, aut levem satis esse. Hoc certum, neutram partem, omnia dubia, quæ hic occurrunt, penitus solvere posse.

II. Causam præcipuam Incredulitatis pandit nobis ipse S. Soter noster Joh. Cap. VII. 17. dicens: Si quis volet Dei voluntati parere, cognoscet de doctrina utrum ea sit a Deo, an ego mea sponte loquar.

III. Certissimus & evidentissimus character sinceri amoris Dei, est observantia mandatorum J. Christi: ad eam enim cætera signa amoris divini hinc inde in S. Literis recensita, referuntur. Vide loca Joh. XVI. 15. 21. 23. 24. 1. Joh. II. 4-6. 1. Joh. V. 3. Matth. VI. 24. &c.

IV. Præcipuum Requisitum S. Literarum Studiosorum & V. D. M. est Pietas. Hæc enim omnibus officiis, quibus defungi per vitam debent, verum suum exhibet pretium & Decus. *Si Christum amabitis* (ita discipulos suos alloquitur ὁ Μακαρίτης Celeb. Werenfelsius Dissertat. de Scopo Doctoris Theologi) plurimum hoc faciet ad magnos in studiis profectus faciendos: Amicis enim suis præ aliis Christus arcana sua manifestat. *Si Christum amabitis*, amabitis quoque sincere oves ejus, omnesque labores vestros unice ad salutem earum promovendam dirigetis. *Si Christum amabitis* in omnibus magis quæ Christi sunt quæretis, quam quæ vestra sunt. *Si Christum amabitis*, Christum quoque imitabimini, Eique similes esse studebitis, ut olim cum Paulo quisque vestrum ovibus suis dicere possit: Estote imitatores mei, quemadmodum ego sum Christi. *Si Christum amabitis*, omnes labores, quos in ejus gratiam exantlabitis, faciles vobis videbuntur. Amor enim omnia non tolerabilia modo, sed etiam jucunda reddit. *Si Christum amabitis* pro Christo vestro aliquid & pati non recusabitis; nulla pericula nimis timebitis; mortem ipsam denique optabitis potius, quam metuetis; ut quæ cum Christo vos conjunget, & quam primum Deo placuerit, desiderabitis dissolvi, & perpetuo cum Christo vestro esse.

V. Præter alias Dotes, quæ Erudito S. Literarum Interpreti inesse debent, prudentem merito & circumspectam referimus ἐποχήν. Attentione digna hic sunt Eruditissimi Isaci *Casauboni*, Viri Linguarum & artis Criticæ, si quis alius peritissimi, verba, quæ extant Exercit: adversus Baronium pag. 71. *Esse quædam ἄπορα τῆς θείας γραφῆς ut omnium disciplinarum, non inviti opinor, fatebuntur omnes humanæ infirmitatis Viri intelligentes. Itaque proverbium Rabbinorum in nonnullis necessario usurpandum, & exspectandus Elias, qui duros & hodie inextricabiles scripturæ nodos solvat. Hoc melius quam de omnibus temere pronuntiare, quod illis solenne est, qui aliquid fateri se ignorare turpe ducunt etiam in iis rebus, ad quarum indagationem præter nudas conjecturas, humana industria nihil potest hodie afferre.*

MEDI-

MEDITATIONIS DE CAUSIS MAGIS MAGISQUE INVALESCENTIS INCREDULITATIS, ET MEDELA HUIC MALO ADHIBENDA.

PARS VII.

Sect. I.



Rogredimur jam quidem bono cum Deo ad reliquas Incredulitatis late eheu! inter Christianos grassantis causas detegendas. Et hic quidem inter alias nobis sese offert maxima quæ inter mortales, eos cumprimis qui disciplinæ christianæ nomen dare solent, *morum corruptio*. Quin hæc multos in Incredulitatis barathrum præcipitaverit, vel ad vitia inclinantes confirmaverit, dubium non est. Antequam vero ostendamus, qua ratione homines contemplatione tantorum malorum facile in præceps ruant, de corruptione ipsa, quæ occasionem errori gravissimo suppeditat, quædam sunt monenda. Varia autem sunt de hoc argumento hominum, doctorum pariter & indoctorum Judicia. Quidam ultra modum malum exaggerant; alii vero plus quam veritatis leges permittunt illud minuere volunt: Illi incaute, præter tamen voluntatem suam divinis virtutibus, promissionibus, & providæ Dei, adversus Ecclesiam suam curæ, detrahunt; Hi vero, dum mala in oculos incurrentia vel minuere vel negare volunt, impietati ipsi patrocinari videntur. Dignum igitur est hoc argumentum, quod probe ponderetur. Scopus Auctoris in hac Dissertatione.

Sunt, qui ad certas quasdam hypotheses probandas corruptionem generis humani, & Christianorum cumprimis exaggerare solent.

II. Qui magnitudinem maximæ corruptionis ubique grassantis deplorare solent, non eundem habent scopum, neque una, ad id quod intendunt, probandum, incedunt via. Sunt qui corruptissimos hominum, eorum cumprimis, qui Religioni christianæ nomen dare solent, mores, vivis coloribus describant, ad hypotheses quasdam compro-bandas. Inter eos merito refertur P. Baylius, vir excellentis ingenii & vastissimæ Eruditionis, quibus tamen præstantissimis ingenii dotibus non semel abusus est. Hic inter alias opiniones, quas acerrime contra doctissimos Adversarios tuitus est, etiam hanc defendit: Nimirum nullam dari inter homines Sectam, nec ullas ingenio humano excogitari posse hypotheses, quibus, dubiis, circa originem mali moralis & physici occurrentibus satisfieri possit. Facile quidem, si a priori, ut in scholis loqui solemus, argumentemur, probari posse Systema Manicheorum ineptum & monstrosum esse; ubi vero oculos convertamus ad tot mala, quibus genus hominum obnoxium sit, peccata cumprimis eorum, quibus sanctissima religio, christiana nimirum, concessa sit, necesse esse, ut Manicheis victas demus manus, atque in eorum vel castra transeamus, vel confiteamur, dubia hæc occurrentia solvi non posse, id est, ut is interpretatur, objectiones Manicheorum longe validiores esse responsis Christianorum. Ut autem hanc thesin suam probaret, partim ad quotidianam experientiam, partim vero ad quærelas antiquorum pariter & recentiorum scriptorum de magnitudine corruptionis inter mortales grassantis, motas, provocavit, & in Dictionario suo, aliisque in libellis, de hoc argumento scriptis, non sine magno Eruditionis apparatu, eas repræsentavit, & mirum in modum exaggeravit. Quo fine vero id fecerit Vir doctus, in diversa abeunt Eruditi. Sunt qui putent, Baylium persuasum fuisse, argumenta illa revera esse solutu impossibilia, sed saltem in hac vita. Ita mentem ipsius interpretatur Ill. *Leibnizius Discours de la Conformité de la foi avec la raison* pag. m. 24. *Il semble, qu'il ne prend les objections pour invincibles que par rapport à nos lumiéres presentes, & il ne desperе pas même dans cette Reponse p. 35. que quelqu'un ne puisse un jour trouver un denouëment peu connu jusqu'ici.* Et pag. 67. *Il est a esperer que M. Bayle so trouve maintenant environné de ces lumiéres qui nous manquent ici-bas: puisqu'il y a lieu de supposer, qu'il n'a point manqué de bonne volonté.*

Virg.

Virg. *Candidus insueti miratur limen Olympi*
Sub pedibusque videt nubes & sidera Daphnis
- - illic postquam se lumine vero
Lucan. *implevit, stellasque vagas miratus & astra*
Fixa polis; vidit quanta sub nocte jaceret
nostra dies.

Alii existimant, Eum ingenii sui vim in impugnandis iis, quæ ab aliis pro certissimis haberentur, ostendere voluisse. Denique non desunt qui affirment Baylium data opera Providentiam divinam impugnare voluisse. Ad me quod spectat, hæc Illi dijudicanda relinquo, qui omnes ingeniorum humanorum recessus accurate cognitos & perspectos habet: neque enim illorum sententiæ accedo, qui putant, neminem dubia sua de gravioribus Religionis articulis bono fine cum Eruditis communicare posse. De argumento ipso controversiæ inter Eruditos agitatæ agere hic animus non est. Nota sunt Virorum Eruditissimorum J. *Clerici*, *Jaqueloti*, *Clarkii*, *Leibnizii*, aliorumque scripta. Hoc tantum dicimus, *Baylium* ultra modum corruptionem, quæ inter mortales, locum habet, exaggerasse.

III. Inter eos qui atrocitatem corruptionis inter Christianos grassantis, deplorant, sunt, qui non malo animo id faciunt. Sunt primo tales, qui falsa quadam pietatis specie decepti sunt. Hi servili quodam metu inducti, Christianismi imaginem sibi repræsentant, quæ falsa plane & a ratione pariter & disciplina christiana abhorret. Hi nimirum existimant, Eos demum virtutis amantium nomen mereri, qui mysticis quibusdam contemplationibus immersi plane, vitam agant a Societate aliorum hominum aut remotam plane, vel saltem commercio quodam familiari eorum, qui eodem affectu pietatis tacti sint, constantem. Nonnisi eo fine sese natos putant, ut nimirum corpus variis macerationibus exerceant, & ab omnibus illis sibi temperent, quæ animo lætitiam afferre possunt, existimantes eo sese cœlo propiores esse, quo magis perpetuis lachrymis genas rigent. Cæterorum hominum vitam tanquam pecuinam execrantur, & prudentiæ regulas tantum non pro Diaboli suggestionibus habent, hypochondriacos vero insultus, & insolitas imaginationis turbatæ imagines sæpe pro divinis habent responsis. Hinc Deum semper sibi sistunt iratum, & ad omnem errorem, quem parum cavet natura humana, gravissime vindicandum paratum. Hi dum ad aliorum hominum vitam moresque respiciunt, tragicis clamoribus omnia replent, & fœdissimam imagi-

Sunt qui non malo animo, sed falsa pietatis imagine decepti, corruptionem generis humani ad augere solent.

nem cæterorum mortalium animis repræsentant. Hinc cum veteri Poëta in hæc verba erumpunt:

ἐδε Θεες ἐδεις ἀζεται ἀθανατες
Ἐυσεβεων δ' ἀνδρων γενος ἐφθιτο, ἐδε θεμιςας
ἐκ ἐτι γινωσκεσ' ἐδε μεν ἐυσεβιας.

i. e. *Neque Deos quisquam reveretur immortales religiosorum virorum genus periit, neque jura amplius norunt neque pietatem.*

Ita plures, ut de aliis nil dicam, qui disciplinam Scholæ Jansenianæ sequuntur, sentiunt. Non possum rectius mentem eorum explicare, quam verbis Celeb. *Moshemii.* Qui *Inquisit: in veritatem miraculorum Francisci de Paris Seculi nostri Thaumaturgi Sect. XVI.* ita loquitur: *Ut enim Jansenistæ omnium officiorum christianorum limites multo longius, quam vult divina lex, proferre solent; ita etiam difficilem, severam, & inhumanam suis pœnitentiam præscribunt. Putant nempe vocabulo* Pœnitentiæ *non interiorem animi mutationem, sed pœnas significari, quibus nos ipsi propter peccata afficimus, aut voluntarios cruciatus & tanto plus aliquem miseriarum & laborum suscipere sponte debere, quanto pluribus sese delictis coutaminavit. Quod si ita vellent intelligi, unumquemque, qui se aliquid vitiosi admisisse novit animadvertere quodammodo in semetipsum, & sensus, pro modo peccati, castigare debere leviter a communi Romanæ Ecclesiæ sententia desciscerent. At illi non modo exiguis flagitiis magna & exquisita dictant supplicia, verum etiam tanto quemque sanctiorem & beatiorem esse pronuntiant, quanto minus sibi & corpori suo parcit, tanto gratiorem supremo Numini, quanto laboriosior est in semet excruciando & affligendo. Quod summum est, non vitiosos modo actus expiari hoc modo volunt, sed & connatam nobis vitiositatem & ad peccandum propensionem voluntariis miseriis quotidie luendam esse, præcipiunt. Ex quo consequitur, quum nemo mortalium insitam hanc naturæ labem, dum vivit, exuat, vitam christiani hominis perpetuam esse pœnitentiam, id est, perpetuam calamitatem & miseriam debere, & Deo proximos esse illos, qui negotiis omnibus relictis, consuetudinem hominum deserunt, & procul a turba & libidinum irritamentis corpus sitiendo, esuriendo, vigilando, laborando sensim enecant. Neque illi hoc consectarium aversantur, verum acriter potius defendunt. Qua in re ita modum omnem & rationem excedunt, ut eos, qui tantam sibi molestiarum molem imponunt, ut deficiant & mortem sibimet-*

ipsi

ipsi ante tempus magnitudine pœnarum scientes ac volentes accelerant, in amicorum Dei, sanctorumque numero collocent & magnifico vocabulo VICTIMAS POENITENTIÆ *appellent, aut* AMORIS ÆSTU CONSUMTOS *esse, dicant:* Hi vero tantum abest, ut ad emendationem hominum, vitiis deditorum, aliquid conferant, aliosque de magnitudine horum malorum quibus plures inter mortales immersi sunt, persuadeant, ut potius aliis occasionem suppeditent sæpe abjecte de ipsa sanctissima disciplina Christi sentiendi. Quis enim (inquient) virtutem amabit, si ne ea quidem facere licet, sine quibus vita mortalium socialis esse non potest? Quis officia boni civis & Patris familias præstabit, si in perpetuo quodam silentio, abstrusis meditationibus, perpetuis suspiriis, & abstinentia eorum, quæ Optimum Numen generi humano lubens concessit, vera christiani hominis pietas consistit? Dantur rursus alii, qui veræ pietatis indolem probe habent perspectam, & quantum cernere licet, genuino Zelo compulsi, ad omnis generis vitia profligandа animos adjiciunt. Sæpe tamen, ut id quod intendunt, obtineant, perperam ratiocinantur. Nimirum quando in corruptos Seculi mores invehuntur, vix satis verborum & hyperbolarum reperiunt, ad magnitudinem universalis corruptionis omnium mortalium depingendam, adeo quidem, ut si verborum, quibus utuntur, vim, ad vivum resecare velles, ne unus quidem mortalium existeret, cui hominis pii nomen jure adscribere posses. Hi nostra opinione minus circumspecte bonam causam tuentur, imo sæpe præter voluntatem suam, homines pravis studiis & voluptatibus captos confirmant potius quam ut eos a vitiis revocent. Solent enim mali homines in ipsa multitudine, & ut ita dicam Universalitate errantium, & peccantium, præsidium malæ suæ causæ quærere, atque dicere, se quocunque oculos convertant, deprehendere homines similibus vitiis deditos; omnes nos esse peccatores, diversa licet ratione, & desperato morbo medelam afferre neminem posse. Hinc eo nomine sibi plaudunt, atque ea, quæ de vero christianismo dicuntur, inter suavia somnia referre solent. Sunt denique homines qui fæditatem corrupti generis humani demonstraturi, ad Incentiva, quibus homines omnes ad agendum impelli solent, minus prudenter provocent. Nimirum ita sine restrictione ulla de hominum actionibus internis judicant, ut putes, eos omnes, nonnisi ambitione, utilitate, temperamenti vi, non vero ullo amore Dei ad bene agendum impelli; iidem ultra modum sese ingeniosos, & pios esse putant, si ostendere possunt, hos vel illos

illos homines pietatis laudem sine ratione fuisse adeptos, nec tam virtutis, quam vitiosæ cujusdam inclinationis amore incensos, ad hæc vel illa recte facta præstanda, commotos fuisse. His nonsolum semper in ore est illud *Augustini:* virtutes nempe Gentilium nonnisi esse splendida peccata; sed tam generalibus simul verbis suam sententiam exprimunt, ut merito inde colligas, dubitandum esse, utrum unus aliquis eorum, qui inter Christianos virtutis laude floruerunt, vere pius fuerit. Ita autem ratiocinando, nonsolum sæpe optimis & præstantissimis Viris injuriam inferunt, sed & iniquitatis evadunt Magistri, dum eos, quos boni omnes ob egregias virtutes laudant, nonnisi vano splendore virtutis ornatos fuisse dicunt, atque adeo quantum in se est. Exempla optimorum Virorum, ad quæ sequenda morum formatores imo ipsæ S. Literæ hortantur, reddunt suspecta, & exosa, hominesque ita non tam Jesu Christi, quam vero Machiavelli principia sequi, in actionibus suis, docent. In hoc certe errore fuit Auctor libri, *de la fausseté des vertus humaines*, familiæ Jansenistarum addictus, quod in superioribus de Incredulitatis partibus jam monui, & Illustris *Leibnizii* testimonio confirmavi.

Quid sentiendum de pietate christianorum primorum Seculorum, collata cum moribus christianorum ætatis nostræ.

IV. Sunt plures inter Theologos, qui fædam faciem degeneris, quo vivimus ævo, christianismi, depicturi, ad mores eorum provocent, qui tribus prioribus seculis Religioni christianæ nomen dederunt. Hos si audias, vix nomine Christianorum nostri seculi homines digni sunt collati cum primis illis disciplinæ christianæ alumnis. Hos enim aut omnes, aut plerosque ita depingunt, quasi de cœlo essent delapsi, ad omnem virtutem examussitati, & ab omni scelerum labe immunes plane. Hi vero qui ita ratiocinantur, non tantum sæpe limites veritatis migrant, & iniquiores sunt multis, qui nostra ætate vera pietate nitent, sed simul etiam sine necessitate magnitudinem corruptionis, inter Christianos grassantis, extollunt. Juvat igitur hanc sententiam paulo accuratius excutere, quia plures ob rationes examine digna est. Ita autem de hoc argumento, salva tamen aliorum sententia, agam, ut ab una parte nihil detraham veris virtutibus primorum Christianorum, ab altera vero vitiis, quibus eheu! Seculi nostri homines dediti sunt, nulla ratione patrociner. Dicimus igitur 1) in genere difficillimum esse comparationem æquam instituere inter homines qui educatione, institutione, moribus, legibus &c. inter se quammaxime sunt distincti. Ex diversis enim illis relationibus, & statu, variæ oriuntur inter homines inclinationes & studia, varia item ad hæc vel illa vitio-

rum

rum genera incitamenta. Homines inter persecutiones sævissimas nati & educati, duram fati per vitam miseriam experti, & præsentissimam mortem singulos fere in dies & horas exspectantes, & inter eos, qui florente Reipublicæ statu nati & educati, tranquillam vitam exegerunt, inter tales inquam æqua collatio difficulter instituitur, & decernitur, quantum utrorumque virtus in diversis adeo vitæ conditionibus, valuerit vel non valuerit. Sed mittamus hæc generalia & propius ad propositam quæstionem accedamus. Dicimus igitur 2) Ex indubiis Scriptorum Apostolicorum monumentis constare, vix ullum esse vitiorum genus, quod non taxarint publice Apostoli; unde manifestissimum est, in cœtibus illis primorum disciplinæ christianæ alumnorum plures fuisse, qui variis vitiis fuerint contaminati. Ad hoc probandum legendæ duntaxat Apostolorum ad varios cœtus christianorum datæ epistolæ. Data opera hoc probavit ὁ Μακαρίτης Cl. *Sontagius* in dissertatione de corruptelis Ecclesiarum Apostolicarum Norimbergæ A. 1717. edita. 3) Theologi omnes, quibuscunque tandem de auxiliis gratiæ opinionibus addicti, confitentur, veram & salutarem mentium mutationem non uno momento absolvi, sed eam per gradus magis magisque incrementa capere. Quis ergo credat, homines inter Gentiles vel Judæos natos, & nonsolum pestilentibus opinionibus imbutos sed & variis vitiis deditos, audita statim disciplina sanctiore, totos fuisse mutatos, neque ulla veteris fraudis vestigia in ipsis fuisse relicta? 4) Monumentorum fide dignorum, ex quibus certum judicium de pietate christianorum, primi post Excessum Christi seculi, ferri posset, exigua est copia. Deplorarunt horum monumentorum inopiam Viri in Ecclesiastica Historia versatissimi. Unum duntaxat testimonium, quod multorum loco esse potest, adducam, nimirum Cl. *Dallæi* quod extat cap. 1. libelli egregii de *Usu Patrum*: verba viri præstantissimi sic sonant: *videntur plerique illorum temporum fideles satis habuisse fidem suam fulgore vitæ inculpatæ, & sanguine quem pro Christo constantissime effundebant, in hominum cordibus inscribere, de libris vero scribendis parum laborasse: seu id placeret, quod eleganter docet Origenes, Christianismum vitæ innocentia, morumque honestate potius quam pigmentis oratoriis propagari & retineri debere; sive per continuas, quibus affligebantur calamitates, ipsis non liceret ad id animum appellere; seu quapiam alia de causa a scribendo deterrerentur, vel avocarentur. Utcunque sit, certum est, exceptis Apostolorum sacris voluminibus perpaucos primis istis temporibus libris conscribendis operam dedisse: unde illa Eusebii*

bii initio historiæ sollicitudo, quod exigua, imo nulla lux aliunde affulgeret, quam sequeretur, nullaque vestigia occurrerent, quæ premeret, cum nullis superiorum trita esset ea via quam capessebat. Sed neque ea ipsa quæ tum edidere Christiani, tametsi pauca ad nos omnia pervenere. Pars major intercidit, vel temporis, quod omnia absumit, injuria, vel hominum in abolendis, quæ ad palatum non sapiebant, audacium fraude, ut Exempli causa Papiæ Episcopi Hierapolitani quinque libri; Quadrati Athenienſis & Aristidis Apologiæ, Castoris Agrippæ Opus contra Basilidis Hæretici libros viginti quatuor, Hegesippi quinque libri; Melitonis Sardenſis Episcopi, Dionysii Corinthii, Apolinaris Hierapolitani opera, Pinyti item Cretenſis epistola, Philippi, Musani, Modesti, Bardesanis, Pantæni, Rhodonis, Miltiadis, Apollonii, Serapionis, Bacchyli, Polycratis Episcopi Ephesini, Heraclii, Maximi Hammonii, Tryphonis, Hyppolyti, Julii Africani, Dionysii Alexandrini & aliorum monumenta quorum nuda nobis nomina & tituli apud Eusebium & Hieronymum & alios supersunt. Ita Dallæus.

§) Constat ex Historia Ecclesiastica mature satis post Christi & Apostolorum obitum Ecclesiam ut profanis opinionibus, ita etiam variis vitiis contaminari incepisse. *Eusebius in Hist. Eccles. Lib. III. cap. XXXII.* testimonio *Hegesippi*, gravissimi Scriptoris hoc probat. *Posthæc, idem scriptor,* (sc. *Hegesippus*) ait *Eusebius*, secundum versionem *Valesii*, *res illa ætate gestas commemorans, addit, Ecclesiam ad hæc usque tempora* (i. e. ad Trajani tempora) *instar cujusdam Virginis integram atque incorruptam permansisse; adhuc in obscuro delitescentibus, quicunque rectam prædicationis evangelicæ regulam depravare niterentur. Sed postquam sacer Apostolorum cœtus vario mortis genere extinctus est, effluxeratque jam ætas hominum illorum, qui divinam ipsam sapientiam suis auribus auscultare meruerant; tunc demum exorta est impii erroris conspiratio fraude & malitia falsorum Doctorum. Qui utpote nullo amplius ex Apostolis superstite, post hæc, nudo, quod ajunt, capite, adversus prædicationem veritatis adulterinam doctrinam obtrudere aggressi sunt.* hactenus *Eusebius.* Doctissimus *Valesius* in observat. ad h. l. ea quæ de Ecclesia in genere ait Hegesippus, de Hierosolymitano duntaxat cœtu intellectum vult. Verum si quis Ejusdem *Hegesippi* locum, quem idem *Eusebius* Lib. IV. cap. XXII. adducit, rite perpendit, videbit, verba ipsius non de hac sola sumenda; neque enim tot Hæretici, quorum hic mentionem facit *Hegesippus*, ex sola Ecclesia Hierosolymitana prodierunt. Quæ idem Vir Doctus de puritate Ecclesiæ Catholicæ disserit, sectæ studium sapiunt, solent enim Romanenses nescio quam Platonicam Ecclesiæ Catholicæ

tholicæ ideam sibi fingere, de quo tamen argumento hic dicendi locus non est. Si vero Christiani sublatis e medio tantis Magistris, falsis & perversis opinionibus potuerunt imbui, & ab Hæreticis, uti appellantur, corrumpi, cur fieri non potuisset, ut quidam ex iis fræna vitiis laxare inciperent, cum notum sit, omnium seculorum experientia, homines non tam ad novas & insolitas opiniones excogitandas & defendendas, quam vero ad varia vitia adfectionibus pravis adblandientia, pronos & proclives valde esse. Non ego is sum qui facile testimoniis de Hæreticorum sceleratissimis vitiis subscribam; at, si veterum fides non plane vacillat, vix negari poterit, quosdam sceleribus gravioribus fuisse commaculatos.

Idem argumentum continuatur.

V. 6) Haud ignoro eos, qui magnificentius quam par est, de pietate & virtutibus christianorum trium primorum seculorum sentiunt, ad quædam testimonia Patrum provocare, quæ tamen non id probant, de quo potissimum quæstio est. Ita solent Ecclesiæ christianæ primi Doctores, in suis Apologiis, strenue innocentiam suam tueri, atque probare, sese cum a crimine Atheismi, tum a variis, iisque fœdissimis sceleribus, quorum accusabantur, alienos plane esse. At hoc non sufficere ad probandum, Christianos omnes, paucissimis exceptis, ad virtutis studium fuisse compositos, & ab omni labe peccatorum immunes plane, quilibet facile deprehendit. Moderni Christiani, ii certe, qui purioribus sacris addicti sunt, possunt publice profiteri, quod disciplina, quam sectentur, neque erroribus, neque vitiis patrocinetur, licet eheu! plane multi inter eos sint, qui vitam vivunt, a præceptis Religionis christianæ quammaxime abhorrentem. Sed inspiciamus speciminis loco unum alterumve testimonium, quo inniti solent illi, qui primævos sine discrimine Christianos, omnibus virtutibus exornatos esse, perhibent. Ita v. gr. provocatur ad *Lactantii* verba, quæ extant *Institut. div. Lib. III. cap. 26.* ubi ita inter alia loquitur: *Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus; paucissimis Dei verbis, tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largientem: Da timidum doloris & mortis: jam cruces & ignes & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: Jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem & sanguinis appetentem: Jam in veram clementiam furor ille mutabitur; Da injustum, insipientem, peccatorem; continuo & æquus & prudens & innocens erit. Tanta divinæ sapientiæ vis est, ut in hominis pectus infusa matrem*

delictorum stultitiam uno semel impetu expellat. Hactenus *Lactantius*. Sane si aliunde non constaret, Patrem hunc solitum fuisse rethoricari, ex hoc testimonio id abunde pateret. Quis enim mortalium eam sibi potestatem arrogare possit, ut suis sive argumentis, sive incitamentis, vel increpationibus, homines totos vitiis immersos, in punctulo temporis ad virtutis acerrimum studium inflammet, mentesque sinistris opinionibus captas, & ab omni pietatis amore alienas, prorsus immutet? Quod si hoc duntaxat voluit *Lactantius*, nimirum eam esse Religionis christianæ præstantiam, & præceptorum vim atque efficaciam, ut possit, hominum, qui positis pravorum affectuum studiis eam perpendunt, & amore veritatis, rectique sunt incensi, animos ad bonum flectere, verum hoc est, & dudum ab ipso S. Sotere nostro Joh. Cap. VII: 17. monitum: at hoc non probat, Christianos omnes vel plerosque, ita fuisse animatos. Alii in eandem sententiam euntes, ad Celeberrimam illam *Plinii* Junioris Epistolam, datam ad *Trajanum* provocant. Eam, quia notissima est, non describam. In ea exponitur, qualis fuerit Christianorum de fide & Religione cui adstipulati sunt confessio, qualisve Deum colendi ratio. At exinde non sequitur, omnes illos Christianos ad virtutis studium fuisse exammussitatos, & a sanctissimæ disciplinæ legibus nunquam recessisse. Argumenta quæ contrarium probant, ex hac ipsa epistola depromere possumus. Multi enim ex hac turba a *Plinio* accersiti, negabant se esse, vel fuisse in christianorum numero, iidemque, ut minus dubitaret *Plinius*, simulacris Deorum, & imagini Principis supplicabant. Alii erant, qui esse se Christianos dixerunt, & mox negarunt. Rursus alii fassi sunt se fuisse Christianos; sed jam dudum rursus se recepisse ad publica Gentilium Sacra; Hi omnes & imaginem Cæsaris & Deorum simulacra venerati sunt, ac simul Christo maledixerunt. Hos autem veri nominis Christianos fuisse nemo asseruerit. Horum crimen tanto gravius erat, quo propius ætatem virorum Apostolicorum attingebant. His, ut alia mittam, adjungo testimonium *Tertulliani*, ad quod frequenter provocari solet ab iis, qui Christianorum primorum virtutes ultra modum extollere solent. Ita vero ille *Apologet.* cap. 44. *Vestros* (inquam) *contestamur actus, qui quotidie judicandis custodiis præsidetis. Tot a vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur: Quis illic sicarius, quis manticularius, quis sacrilegus, aut corruptor, aut lavantium prædo idem etiam Christianus adscribitur? aut cum Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis quales tot nocentes? De vestris semper æstuat carcer:*

cer: de vestris semper metalla suspirant: de vestris semper bestiæ sagi nantur: de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi hoc tantum: Aut si & aliud, jam non Christianus. Testimonium autem hoc nil aliud probat, quam hoc; nimirum numerum sceleratissimorum hominum inter Gentiles fuisse maximum; valde paucos autem inter Christianos tantorum scelerum reos repertos fuisse. Sit ita: at num propterea sequitur, Christianos omnes, aut plerosque, nullis propterea criminibus fuisse comtaminatos, aut quia a gravioribus sibi temperarunt nullis aliis fuisse infectos? vel sola ultima verba hujus Patris sententiæ nostræ robur addunt.

7) Quidam vero ad sententiam suam comprobandam, ad Martyrum numerum & constantiam provocant, ex quo sequi existimant, vel omnes vel plerosque Christianorum primorum Seculorum accurata Religionis cognitione instructos, & vehementi pietatis amore incensos, ad omnis generis supplicia subeunda sese paratissimos exhibuisse. Absit quam longissime a me, ut verorum Martyrum laudibus aliquid detractum velim, aut in dubium revocem pietatem, qua plurimi eluxerunt. Non nego plures amore veri incensos, & singulari Dei auxilio adjutos, ad martyria constanti animo subeunda animos adjecisse. Velim tamen circa hoc argumentum sequentia notari. a. Non tam universales & continuas eas persecutiones, neque tantum ac vulgo existimatur, Martyrum numerum fuisse. Quamvis enim non per omnia assentiar H. *Dodwello*, numerum Martyrum & persecutionum durationem minuenti valde; certum tamen est, eas a multis scriptoribus ultra modum augeri. Hinc doctissimi hodie Viri, media inter *Dodwellum* & *Ruinartum*, qui de hoc argumento serram Disputationis inter se reciprocarunt, incedunt via. b. Tot extant veterum Imperatorum pro Christianis Edicta, ut plane verisimile non sit, quibusvis in ipsos sæviendi potestatem fuisse concessam. Hodienum apud *Eusebium* & alios reperiuntur Edicta *Trajani*, *Hadriani*, *Ant. Philosophi*, *Gallieni*, *Maximini*, *Constantini Liciniani*, ut de iis, quæ amplius non extant, sed quorum tamen fide digni auctores inter veteres mentionem fecerunt, nimirum *Tiberii*, *Ant. Pii*, *Hadriani*, *Domitiani*, *Nervæ*, *Aureliani*, *Alex. Severi* nil dicam. Ex quibus patet, persecutionum æstum sæpe fuisse temperatum, cautumve, deprehensa hominum innocentia, fuisse, quo minus promiscue in eos sæviretur. Adde quod nonsolum Principes, sed & Provinciarum Præfecti & Philosophi favoris sui erga Christianos sæpe præclara ediderint specimina, quæ collegit Vir Doctissimus

mus F. *Gudius* in Dissertationibus, quibus titulum dedit: PAGANUS CHRISTIANORUM LAUDATOR ET FAUTOR. c. Observandum insuper valde dubia esse multa, quæ de Dictis Factisque primorum Martyrum dicuntur, quia ipso confitente *Ruinarto* in præfatione sinceris Actis Martyrum præmissa, septimo demum seculo, quo superstitio & barbaries regnare inceperunt, collectiones ejusmodi de Martyrum dictis factisque publicatæ sunt. *Dolendum omnino est*, inquit *Reverendissimus Fellus Episcopus*, in nota ad *Cypriani* Epistolam XII) *Acta Martyrum (quo scripti genere christiana pietas, vix quicquam antiquius aut utilius novit) sequiorum temporum interpolationibus, miraculorum portentis, & anilibus fabulis, adeo contaminari & intumescere; ut nihil fere genuinum illibatum remanserit.* Ingentem vero numerum fuisse fictorum martyrum, ad oculum ostendit, præter alios J. *Basnage Histoire de l'Eglise* Lib. XIX. Habebant insuper suos Martyres *Marcionitæ*, *Montanistæ*, *Novatiani*, *Donatistæ*, aliique. d. Cogitandum insuper, plures etiam fuisse inter Christianos, qui ingruentibus persecutionibus turpiter a Religione christiana desciverint. Hinc erant qui Christo male dicerent. Quidam interrogati utrum Christiani essent, negarunt, hinc *NEGATORES* appellati. *Libellaticorum* varia erant genera. Erant *Sacrificati* qui Idolis libamenta offerebant; Erant *Thurificati* qui Thure simulacris Numinum supplicabant. Et tales reperiebantur nonsolum inter promiscuam plebem sed & inter Episcopos: Quod si *Philostorgium* audias, *Eusebius Nicomedienses*, *Maris Chalcedonenses*, *Theognis Nicænus*, *Leontius Antiochenus*, *Antonius Tarsenses*, *Menophantus Ephesinus*, *Numenius*, *Eudoxius*, *Alexander & Asterius Cappadox* persecutionis Diocletianæ tempore Diis Gentilium sacrificarunt. Ipsi *Origeni* hæc labes adspergitur, non repugnantibus doctissimis viris *Petavio*, *Huetio*, & *Ant. Pagi* dissentientibus licet *Dupinio* & *Caveo*. Erant *Traditores*, qui Codices Scripturarum aliosque libellos ad pietatis studia facientes hostibus exurendos dabant. Non deerant insuper inter Christianos tales, qui imprudenti quodam Zelo commoti, variis rationibus Principum & Idolorum Cultorum iras contra sese sine necessitate urgente concitarunt, cujus rei apud *Eusebium* aliosque, plura extant documenta. Imo erant, qui ne requisiti quidem ab hostibus, sese iis trucidandos exhibuerunt, quos veteres *Professores* appellare consueverant. Notum est *Arrii Antonini* Asiæ Proconsulis de ejusmodi hominum genere judicium, quod extat apud *Tertullianum ad Scapulam* cap. V. Hinc plura extant penes scriptores antiquos testimonia, ex quibus patet, eos Viris

ris piis valde displicuisse, qui sine necessitate urgente, ad professæ mortis audacem viam grassati sunt. Sufficiat hic adduxisse epistolam Smyrnensium in qua inter alia dicunt hi præsules: *δια τȣτο ȣ̓ν Ἀδελφοι ȣ̓κ ἐπαινȣμεν τȣς προσιοντας ἑαυτοις* (alii legunt *ἑκοντως*) *ἐπειδη ȣ̓χ' ȣ̓τως διδασκει το Ἐυαγγελιον*, narrato nimirum *Cointhi* cujusdam, ultro sese offerentis ad necem, lapsu. Quid vero de ejusmodi hominibus sentiendum sit, aliis judicandum relinquo. Hoc certum, ejusmodi Exempla ad imitationem non esse proponenda. Placet mihi judicium doctissimi *Barbeyracii τȣ νυν ἐν Αγιοις* de hoc argumento latum in tractatu *de la Morale des Peres*, cap. VIII. s. 37. quod ita sonat. *Le desir de Martyre est également contraire & à la nature & au genie de l'Evangile, qui ne detruit point la Nature. Jesus n'a point abrogé cette Loi naturelle, une des plus évidentes & de plus indispensables, qui veut, que chacun travaille en tant, qu'en lui est à sa propre conservation. L'avantage de la Societé humaine & celui de la Societé chrêtienne demandent également, que les Gens de bien & les vrais Chrêtiens, ne soient enlevés de ce monde, que le plus tard, qu'il est possible, & par consequent, qu'ils ne s'exposent pas eux-mêmes à périr sans nécessité.* e. Pone vero ingentem fuisse primis illis temporibus Martyrum numerum, multosque bene subducta ratione, varia perpessos mala, quod non diffiteor, hoc tamen certum est, actiones hominum ad æternas virtutis & pietatis regulas, non vero ad inusitata quædam dicta & facta esse exigendas. Multi multa perpetiuntur, sed inviti. Iidem, si fortuna faveret, genio indulgerent suo. Ita novimus multos, qui superiore Seculo a Pontificiis ad Triremes fuerant damnati, sed Beneficentia magnorum Procerum inde libertati erant, exigua rerum divinarum cognitione fuisse instructos & a vitiis, quibus cœteri mortales obnoxii sunt, minime immunes. Ubi res hominum florent, & pacatis fruuntur temporibus, insolentiores utplurimum esse solent, & in pietatis studio minus ardentes. Cum vero constet, primis illis Seculis, christianos sua habuisse Halcyonia, dubium non est, quin multi etiam vitiis indulserint. Seculo certe secundo jam & tertio ambitio, superbia, & dominandi libido multos ceperat Præsules, quod *Victoris*, *Stephanique*, Pontificum Romanorum exemplis constat, ut de aliis nil dicam. Ne gratis hæc dixisse quibusdam forte videar, adducam testimonium *Eusebii*, qui graphice mores seculi tertii describit, & simul ostendit, quam turpiter multi christianorum pace publica concessa a primæva simplicitate & probitate discesserint. Quia verba sunt paulo prolixiora latina tantum

juxta

juxta versionem *Valesii* adducam. Extat illud *Hist. Eccles. Lib. VIII. cap.* 1. in quo agit de his, quæ persecutionem Diocletianam, quæ initium cepit anno tertio Seculi IV., antecesserunt. Verba ita sonant: *Qualem, quantamque gloriam simul ac libertatem doctrina veræ erga supremum Deum pietatis a Christo primum hominibus annuntiata, apud omnes Græcos pariter & Barbaros ante persecutionem nostra memoria excitatam consecuta sit, nos certé pro merito explicare non possumus. Argumento esse possit Imperatorum benignitas erga nostros, quibus regendas etiam provincias committebant, omni sacrificandi metu eos liberantes ob singularem, qua in Religionem nostram affecti erant, benevolentiam. Quid opus est dicere de iis, qui in Imperatorum palatiis versantur, quid de Imperatoribus ipsis? qui domesticis suis, eorumque uxoribus, liberis ac servis, ea quæ religionis suæ erant, tam verbis quam factis libere exequendi coram semetipsis, potestatem dederunt: ipsis ob hanc fidei suæ libertatem gloriari ac se ostentare quodammodo permittentes: eosque præ cæteris omnibus ministris præcipuo quodam amore complectebantur. Cuiusmodi fuit Dorotheus ille, qui summam erga eos benevolentiam ac fidem declaravit, eamque ob causam præ cunctis Magistratibus & provinciarum rectoribus, magnum honorem promeruit. Huic adjungendus est Celeberrimus ille Gorgonius & quicunque alii ob sermonem Dei eandem cum istis gloriam sunt consecuti. Similiter & singulis Ecclesiarum Antistitibus summum honorem, cultum ac benevolentiam ab omnibus tam privatis, quam provinciarum Rectoribus deferri vidisses. Jam vero quis innumerabilem hominum quotidie ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum Ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in ædibus sacris, cumulate possit describere? Quo factum est, ut priscis ædificiis jam non contenti in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent Ecclesias. Atque hæc progressu temporis increscentia, & quotidie in majus ac melius proficientia, nec livor ullus atterere: nec malignitas Dæmonis fascinare: nec hominum insidiæ prohibere unquam potuerunt, quamdiu omnipotentis Dei dextra populum suum, utpote tali dignum præsidio, texit atque custodivit. Sed cum ex nimia libertate in negligentiam ac desidiam prolapsi essemus; cum alter alteri invidere, atque obtrectare cæpisset; cum inter nos quasi bella intestina gereremus, verbis tanquam armis quibusdam hastisque nos mutuo vulnerantes; cum Antistites adversus Antistites; populi in populos collisi, jurgia ac tumultus agitarent, denique cum fraus & simulatio, ad summum nequitiæ culmen adolevisset, tum divina ultio brevi brachio ut solet integro adhuc Ecclesiæ statu & fidelium turbis libere convenien-*

nientibus sensim ac moderate in nos cæpit animadvertere; orsa primum persecutione ab iis qui militabant. Cum vero omni sensu destituti, de placando Dei Numine ne cogitaremus quidem; quin potius instar impiorum quorundam res humanas nulla sollicitudine ac providentia gubernari rati, alia quotidie crimina aliis adjiceremus: cum Pastores nostri spreta religionis regula mutuis inter se contentionibus decertarent, nihil aliud quam jurgia, minas, æmulationes & mutuas inimicitias amplificare studentes; principatum quasi Tyrannidem quandam contentissime sibi vindicantes, tunc demum secundum dictum Eremiæ obscuravit Dominus in ira sua filiam Sion, & dejecit de cœlo gloriam Israël: nec recordatus est scabelli pedum suorum in die iræ suæ &c. Hactenus *Eusebius.* Luculentum insuper testimonium corruptionis jam initio Seculi III. grassantis exhibet *Cyprianus* in libello, de *Lapsis*, qui, si calculos Eruditissimi *Pearsonii* sequaris, scriptus est Anno 251. ubi notandum *Sulpitium Severum* 38. annos pacis computare, nimirum a *Severo* Imperatore ad *Decium*: verba *Cypriani* ita sonant: *Habenda tamen est fratres dilectissimi ratio veritatis, nec sic mentem debet & sensum persecutionis infestæ tenebrosa caligo cæcasse, ut nihil remanserit lucis & luminis, unde divina præcepta perspici possint. Si cladis causa cognoscitur, & medela vulneris invenitur: Dominus probari suam familiam voluit, & quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem & pene dixerim dormientem, censura cœlestis erexit: cumque nos peccatis nostris amplius pati mereremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, ut hoc omne, quod gestum est, exploratio potius, quam persecutio videretur. Studebant augendo patrimonio singuli; & obliti quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus Religio devota, non in Ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in Viris, in feminis forma fucata. Adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes, circumveniendis fratribus subdolæ voluntates: Jungere cum infidelibus vinculum matrimonii; prostituere Gentilibus membra Christi: non jurare tantum temere, sed adhuc etiam pejerare: Præpositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus invicem dissidere: Episcopi plurimi, quos & hortamento esse cæteris & exemplo oportet, divina procuratione contemta, procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari. Esurientibus in Ecclesia fratri-*

bus non subvenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis ejusmodi meremur? Cum jam pridem præmonuerit ac dixerit censura divina: Si dereliquerint legem meam & in judiciis meis non ambulaverint, si justificationes meas profanaverint & præcepta mea non observaverint, visitabo in virga facinora eorum & in flagellis delicta eorum. Prænuntiata sunt ista nobis & ante prædicta: sed nos datæ legis & observationis immemores id egimus per nostra peccata, ut dum Domini mandata contemsimus ad correctionem delicti & probationem fidei remediis severioribus veniremus. Nec saltem sero conversi ad Domini timorem sumus, ut hanc correptionem nostram probationemque divinam patienter & fortiter subiremus. Ad prima statim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem suam prodidit, nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit. Hactenus *Cyprianus.* Similem Lapsorum in Ægypto hoc ipso tempore stragem late describit *Dyonisius Alexandrinus apud Eusebium Lib. VI. Justinus Martyr* Seculi II. Scriptor, ita in Apolog II pag m. 64. loquitur de christianis suæ ætatis ad *Antoninum pium: At enim qui non ita vivere comperiuntur sicut ille (scilicet Christus) docuit, certum illud documentum est., non esse christianos, quamvis doctrinam Christi lingua profiteantur. Non enim profitentes tantum sed operibus simul professionem confirmantes salvatum iri dicit. Cæterum eos, qui minus consentaneam præceptis ejus agunt vitam christianique tantummodo dicuntur, a vobis quoque puniri rogamus.* Sane non ita locutus fuisset insignis Vir, si christiani sui temporis omnes ad virtutem fuissent examussitati. Neque juvat eos, qui in extollendis supra modum virtutibus veterum christianorum nimium sibi sumunt, quod Seculis illis Apostolorum ætati proximis, multi extraordinariis donis, quibus præsentis Seculi homines carent, fuerint instructi; præterquam enim quod culpandi non sint homines ob ea, quæ in potestate sua sita non sunt, certum est ipsius Infallibilis Doctoris Jesu Christi auctoritate *Matth. VII. 22. 23.* posse tales dari, qui tamen sanctissima Dei præcepta non custodiant. Eruditio qualiscunque non impedit, quo minus homines vitiis suis indulgeant. 8) Sunt denique alii, qui, ut singularem illam primorum Christianorum virtutem & Seculorum illorum felicitatem deprædicent, magnitudinem vero grassantis hodie corruptionis simul probent, ab una parte ad Vitas Patrum primitivæ Ecclesiæ, partim vero ad paucitatem Atheorum & Deistarum, quorum ingens sit numerus hodie inter Christianos, provocant. At

hæc

hæc parum ad rem facere, facile est ostendere. Paucis hæc excutiamus. Nihil virtutibus veris Patrum primitivæ Ecclesiæ detrahere cupimus. Bona, quæ ipsis Optimum Numen concessit, laudamus. Nævos quibus obnoxii erant exaggerandos minime esse profitemur. Hoc vero si pariter fiat in examine vitæ eorum, qui hac & Patrum nostrorum ætate inter Christianos vixerunt, contendimus, multos posse adduci, qui non minus pietate, candore, aliisque virtutibus, quæ in homines christianos, & Religionis Antistites, cadere possunt, quam Patres eluxerint, idque eo evidentius possumus demonstrare, quod longe certiora monumenta de vitis rebusque gestis Recentiorum Doctorum in manibus nostris sint, quam ea sunt, quæ ab antiquis literis tradita sunt. Multi sane vitas Patrum descripserunt ita, ut facile pateat, eos limites veri transgressos. Hæc hodie inter Eruditos in confesso sunt. Quemadmodum igitur male agunt, qui singulos nævos Patrum acriter perstringunt, & errores eorum in majus extollunt; Ita pariter graviter peccant, qui acerbius, quam par est, de recentiorum Religionis Antistitum vitis, moribus, & nævis judicare solent. Et sane mirum est quosdam tam acutum cernere in vitiis Modernorum; & tam luscos simul, imo cæcos esse, in pervidendis vitiis antiquæ Ecclesiæ Doctorum. Uno verbo, comparatio illa parum valet ad veterum virtutem extollendam, recentiorum vero egregia facta deprimenda. Quod vero ad Deistas spectat, fatemur eorum in florentissimis Europæ partibus magnum esse numerum; tantam vero Atheorum proprie sic dictorum turbam reperiri, ac quidam perhibent, certis testimoniis comprobari posse infitiamur. Quicquid vero de eo sit, pariter constat, fuisse ævo apostolico homines terrimis opinionibus imbutos. Quod si quis αἵρεσ πάθων horum hominum, qui Hæretici vocantur systemata expendat, ne hilum quidem meliora iis esse, quæ a recentioribus Deistis in medium proferuntur, pulchre deprehendet. Certe si vera sunt, quæ de infandis sceleribus quorundam Gnosticorum referuntur, de quo hic cum nemine disputabo, dubium non est quin illi Deistis ipsis longe pejores fuerint. Miramur profecto, qua ratione fieri potuerit, ut spirantibus adhuc Apostolis, & apostolicis Viris, donis extraordinariis instructis, tam portentosæ tamen opiniones mature inter Christianos exoriri potuerint. De quo argumento fusius aliquando bono cum Deo acturi sumus. Hoc constat, homines qui Hæretici dicebantur, ea quæ juvenes de philosophia, de ritibus & traditionibus didicerant, postea cum nomen Religioni christianæ dedissent, turpiter commiscuisse.

Ex quo facile etiam colligi potest, multos e plebe olim Sacris vel Gentilium vel Judæorum addictos, opinionibus infaustis, quas arripuerant, non statim, cum ad religionem christianam accederent, nuntium misisse. His accedit denique, quod Recentiores Sanctioris disciplinæ Doctores in impugnandis erroneis sententiis, veritatibus vero capitalibus probandis, longe sint feliciores Patribus. Conferatur v. gr. *Justini Martyris* disputatio adversus Judæum, cum iis, quæ nostra ætate *Limborchius*, *Kidderus*, aliique adversus recutitam gentem adduxerunt, & manifestissimum erit, id, quod asserimus. *Hieronymus* Epistola XIII. ad *Paulinum* de *Lactantii* scriptis judicans, ita loquitur inter alia: *Utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.* Idem Dictum applicari posset plerisque Scriptis Patrum. Ex quibus omnibus, a nobis hactenus allatis, satis constare puto, haud recte illos agere, qui corruptionem Seculi nostri tantopere extollunt, atque missis melioribus argumentis & præsidiis, homines ad imitandos mores Veterum Christianorum sine discrimine ablegare solent.

Testimoniis Theologorum recentiorum nostra sententia confirmatur.

VI. Cum vero ea, quæ hactenus a nobis de statu primorum Christianorum dicta sunt, forte quibusdam παραδοξα videri possint, testimoniis Celebrium quorundam recentioris ævi Theologorum sententiam meam paulo fusius jamjam explicatam confirmabo. Primus prodeat Vir magni hodie inter Eruditos Nominis J. L. *Mosheimius* Theologus Helmstadiensis Doctissimus. (*) Hic vero in *Institut. Hist. Eccles. majoribus pag. 249. & seq.* ita de hoc argumento loquitur: *Noti sunt, qui de vita & moribus primorum Christianorum ex instituto exposuerunt, Doctissimi Viri Joh.* FRONTO, GUIL. CAVEUS, GODOFR. ARNOLDUS & *alii: qui tametsi contemnendi minime sint, multaque dixerint & monuerint, & vera & utilia, viris tamen eximiis dudum modum excessisse visi sunt. Meo quidem judicio hæc, quæ sequuntur, ab illis potissimum admissa sunt. (1) Non secus agunt, ac si universus Eorum cœtus qui Christum primis seculis professi sunt, hominibus caruisset vitiosis & peccandi nescitis. In quo manifeste falluntur. Namque Pauli & cœterorum Apostolorum,* CLEMENTIS, *Ignatii, & aliorum epistolæ scriptaque aperte ostendunt, semper Ecclesiam Christi agro similem fuisse, in quo triticum infelici lolio temperatum est, hominumque avarorum, libidinosorum, ambitiosorum, contentiosorum copiam, auream quoque religionis ætatem polluisse. Quid aliud frequentissimæ & vehementes sanctorum istorum virorum exhortationes & increpationes significant? Multi sese numero Christiano-*

(*) Is jam vero *Cancellarii* munere ut notum est, defungitur in Academia Göttingensi.

stianorum adscribi curabant, quibus id unice propositum erat, ut liberalitate & amore fratrum uterentur, vitamque desidem & mollem inter vitia agerent. Alii accedebant ad Eos, pravarum opinionum & institutorum, quibus adsueti a teneris fuerant, amore ita capti, ut nullo fere modo abstrahi ab illis possent: nec tamen prudentia omnes isto modo affectos privari communione sacra patiebatur. Non ignorabunt hæc, quibus cum cura veteres Christianorum libri, & ipsa Apostolorum scripta lecta sunt. (2) Ætates accurate haud distinguunt: quod fieri tamen necesse est, veterumque Christianorum nomine omnes illos designant, qui ad CONSTANTINI *usque, imo post* CONSTANTINUM *vixerunt, quod ex testimoniis quæ adhibent, manifestum est. At sciunt rerum antiquarum non ignari, quanta seges malorum hominum seculo jam secundo Ecclesiam obsederit, quæ majora cum tempore incrementa cepit, totumque seculo jam quarto gregem ita plane infecit, ut pauca priscæ fidei & probitatis vestigia remanerent. (3) Ex illis, quæ de vita recte componenda & ad præscriptum Christi instituenda, Tertullianus, Clemens, Irenæus, imo Hieronymus & Augustinus, præcipiunt, tradunt, & docent, vitam Christianorum æstimant: quod quam præposterе fiat, quis obsecro non videt? Nam quæ hæc est disputandi ratio; Doctores Christianorum de pietate, de sanctitate, de reverentia erga Deum, de amore, multa præclare ac egregie præcipiunt: Ergo veteres Christiani, maxima saltim pars eorum, pii, sancti, amore pleni, Deique studiosissimi fuerunt. Unus item & alter ex antiquis Doctoribus suam ipsemet sanctimoniam & pietatem prædicat, & apte declarat: Igitur omnes Christiani hujus fuerunt similes. Etenim inter omnes constat, verba & facta hominum mirifice sæpe numero inter se discrepare. (4) Quicquid ab uno aut paucis quibusdam dictum, factum & scriptum est, id non secus spectant, ac si totius Ecclesiæ vox esset & actio. Plerique Eorum, qui res Veterum Christianorum tractant, hoc vitio, aut quadam saltim ejus parte, laborant. Quod enim ab hoc vel illo vident narratum, aut sancitum esse, id frequentissime inter communes veterum Christianorum ritus, sententias & Instituta referunt: quod quo jure fiat, manifestum est. (5) Ne hoc quidem probandum duxerim, quod talem omni ex parte cœtum Christianum fuisse, sibi persuadent, qualis in Apologiis, quas Magistratibus & Imperatoribus obtulerunt Christiani, describitur. Quis enim ignorat, eos, qui defensionem Societatis cujusdam suscipiunt, ea tantum commemorare solere, quæ ad laudem ejus & commendationem faciunt, prætermittere vero maculas & morbos, quibus premitur? Nec id turpiter & flagitiose fit, verum honeste & prudenter, modo fallendi ac nocendi animus absit. Præterea omnes & reprehen-*

nes & laudationes ab eo peti solent, quod in re quadam aut familia potissimum est, & præcipuum. Atque hujus moris non fuisse immemores veteres Christianos, is facile intelliget, qui vel ea, quæ Tertullianus in libris suis Apologeticis de moribus Christianorum tradit, cum illis contulerit, quæ in cæteris scriptis passim perbibet & dolet. (6) *Certum est, dissensiones non levis momenti inter veteres Christianos de re morali, officiisque Christianorum fuisse, aliumque alio molliorem extitisse aut severiorem: Quocirca nec vita Christianorum omnibus in locis una & eadem, sed pro diversa eorum sententia, qui cœtibus præfecti erant, varia & diversa esse debuit. Sciunt, qui cognitione harum rerum delectantur, de Eruditionis humanæ necessitate & utilitate, de Christianæ Religionis & Reipublicæ concordia, de officiis conjugum, de bello, de mercatura, de infinitis rebus aliis varie sensisse ab antiquissimis temporibus Christianos. Illi vero quorum res hic agitur, quæ ab una Christianorum Secta de his rebus præcepta sunt, colligunt, nosque credere volunt, communem totius Christianæ civitatis opinionem, nec opinionem tantum, verum etiam vitam sese referre ac exponere.* Paucis interjectis sic tandem causam suam perorat Vir Doctissimus. *Equidem* (inquit) *sic sentio, si quis ea sibi via ducat incedendum esse quam Gothofr. Arnoldus in delineatione veterum Christianorum, germanice conscripta, tenuit, illi non difficile fore, modo in veterum monumentis versatus sit, ex illis paris plane molis volumen,* de vitiosa & perversa Christianorum vita *componere. Meliores sine controversia antiquiores Christianorum cœtus, illi præsertim, qui primo & secundo floruere seculo, hodiernis fuere, & in exemplum idcirco, degeneri illi populo, qui hodie Christi sese dicit esse, certa ratione proponi possunt: at falluntur, religionisque omnis Irrisores adversus nos armant, qui numeris eos omnibus absolutos fuisse, decernunt.* Ita Celebris ille Theologus. Hunc excipiat J. G. *Walchius* Theologus Jenensis Clarissimus. Hic in Historia sua Ecclesiastica pag. 394. sq. ita de hoc argumento mentem suam aperit. *Licet* (inquit) *antiqui Christiani in Ecclesia Apostolica pietatis & sanctitatis laude abundaverint, minime tamen existimandum est, cœtum hunc nævorum plane expertem fuisse, atque ex eo omnia vitia ac peccata exulasse; præterquam enim quod interdum Hypocritæ, in illa Societate esse potuerint, veri quoque ac fideles Christi cultores imbecillitatibus erant obnoxii ac luculenta earum edebant documenta. Oriebantur contentiones & Schismata; aderant alia emendanda & corrigenda, ex quibus intelligere quisque potest Ecclesiam Apostolicam non omni ex parte perfectam, consummatamque fuisse.* Hac cum in subjectis textui observationibus comprobasset ita pergit Sect. VIII.

Quæ

Quæ cum ita sint in describenda ac dijudicanda sanctitate Ecclesiæ Apostolicæ ea cautio adhiberi debet, ut id quod nimium est devitetur. Minime illustria virtutum Exempla, quæ Christiani homines primo Seculo dederunt negligenda, sed laudanda atque aliis ad imitationem studiose commendanda sunt; ita tamen ut illis haud plus, quam decet, tribuatur, nec existimetur ab eorum Christiana Societate omnia vitia fuisse remota. Et paulo post: *Qui de vita & moribus primorum Christianorum commentati sunt, interdum modum excessisse videntur. Primum de illorum cœtu interdum ita loquuntur, ac si in illo nulli vitiosi & gratiæ divinæ expertes homines locum habuissent: nec illi qui pravis suis cupiditatibus aperte obsecuti, nec qui sanctitatis specimen præ se tulerint, in quo magnopere falluntur. Quemadmodum enim ex ipsius Christi sententia, Ecclesia similis est agro, in quo triticum una cum lolio reperitur, ita Apostolorum & Apostolicorum virorum scripta clare ostendunt, Ecclesiam, quæ illorum ætate floruit, non caruisse malis hominibus. Quæ nonnulli dixerunt & egerunt, ea omnibus sive toti cœtui tribuuntur non justa argumentandi ratione. Deinde hac in causa vimium admittunt, quando iis, qui Christo vere addicti atque a rebus Seculi alieni non alia nisi cœlestia & æterna sectati sunt, plusquam decet adscribunt, ea ratione, ut merito quidem atque omni jure insignes eorum virtutes laudibus exornent, de imbecillitatibus autem plane taceant, ac si illarum plane expertes fuissent. Accedit quod laudem sanctitatis, quæ ævo Apostolico propria est ad tria vel quatuor Secula pertinere arbitrentur, minus reputantes Christianos sequentium temporum non leviter a majorum sanctimonia defecisse & jam Seculo secundo copiam malorum hominum Ecclesiam polluisse.* His duobus subjungo judicium Amici suavissimi N. *Nonnen*, Theologi Bremensis Clarissimi, qui in Oratione *de signis temporum cummaxime præsentis Seculi felicioris anteambulonibus* ita de hac quæstione ratiocinatur. *Distrahuntur* (inquit) *judicia hominum, circa faciem morum, virtutisque in præsenti Seculo conspiciendam, si exigatur ad antiquius ævum, cui, utrum huic an nostro, palma sit concedenda. Meretur hoc expendi ad stateram a rerum cummaxime antiquæ historiæ peritis: Opinionibus duci multos certum est, & pervulgatas sententias, quibus absque justo examine fides habetur, querelarum esse causas atque ansas, mores quotidie in pejus ruere & increscere quælibet vitia. Locus ille communis nimis sæpe excutitur. Siccine omni fructu destituentur Religio prædicatio verbi, Politiæ sapientes leges atque juventuti educandæ impensa cura. Habent omnia Secula sua vitia, quæ latius regnant, habent & remedia quæ opponuntur. Ad sententiam quam tueor me permovit liber Secundi*

cundi Lancelloti, quem cum voluptate legi: L'boggidi, overo il mundo non peggiore ne piu calamitoso del passato Venet. 1637. editus. Cum vero id agat ut evincat nec pejus nec vitiosius esse redditum genus humanum, neque pluribus premi ærumnis aut majoribus, posset augeri valde, si ad emendationem quæ inducta est moribus ope religionis, politiæ & Educationis attenderetur atque ostenderetur, uti illa se prodit in bellis æque ac in Societate civili. Hactenus Amicus ille noster.

Sunt qui bono animo deformitatem corruptionis generis humani minuere cupiunt.

VII. Dantur insuper inter Eruditos viros, qui magnam illam, qua laborat genus humanum, corruptionem non negant, sed fatentur & deplorant, multum vero huic deformitati decedere putant, si asseratur, infinitos numero dari homines, in Planetis degentes, qui quidem Incolis globi nostri longe sint præstantiores & feliciores. Hanc sententiam propugnavit Ill. *Leibnizius* & post eum multi alii. Juvat quædam Ejus adduxisse verba: in *causâ Dei asserta* Sect. 58. ita ait: *Tellus nostra non est nisi satelles unius Solis & tot sunt Soles quot Stellæ fixæ; & credibile est maximum esse spatium trans omnes fixas. Itaque nihil prohibet, vel soles, vel maxime regionem trans soles habitari felicibus creaturis. Quanquam & Planetæ esse possint aut fieri ad instar Paradisi felices. In domo Patris nostri multas esse mansiones de cœlo Beatorum proprie Christus dixit, quod Empyreum vocant Theologi quidam & trans sydera seu soles collocant, etsi nihil certi de loco beatorum affirmari possit: Interim & in spectabili mundo multas creaturarum rationalium habitationes esse verisimile judicari potest, alias aliis feliciores.* In *Theodicea* sua *pag. m. 84. Edit Amstelod. 1720.* ita *loquitur: 'Aujourd'hui, quelques bornes qu'on donne, ou qu'on ne donne pas a l'univers, il faut reconnoitre qu'il y a un nombre innombrable des Globes autant & plus grands que le notre, qui ont autant de droit que lui à avoir des habitans raisonables, quoi qu'il ne s'ensuive point, que ce soit des hommes - - Il se peut que tous les Soleils, ne soient habités que par des creatures heureuses, & rien ne nous oblige de croire qu'il y en a beaucoup des damnés, car peu d'exemples ou peu d'échantillons suffisent pour l'utilité que le bien retire du mal. D'ailleurs comme il n'y a nulle raison qui porte à croire, qu'il y a des étoiles par-tout, ne se peut-il point qu'il y ait un grand espace, au-delà de la region des Etoiles? Que ce soit le Ciel empyrée, ou non, toujours cet espace immense qui environne, toute cette region pourra être rempli de bonheur & de gloire. Il pourra être conçu comme l'Occean, ou se rendent les fleuves de toutes les Creatures bienheureuses, quand elles seront venues à leur perfection dans le Système des Etoiles. Que deviendra la consideration de notre Globe & de*

de ses habitans ? Ne sera-ce pas quelque chose d'incomparablement moindre qu'un point Physique, puisque notre terre est comme un point aux prix de la distance de quelques fixes ? Ainsi la proportion de la partie de l'Univers que nous connoissons, se perdant presque dans le néant aux prix de ce qui nous est inconnu, & que nous avons pourtant sujet d'admettre ; & tous les maux qu'on nous peut objecter n'étant que dans ce presque néant : Il se peut que tous les maux ne soient aussi qu'un presque néant en comparaison des biens qui sont dans l'Univers. Hactenus *Illustris Vir.* De quo quid ego sentiam, salvo meliore aliorum judicio, breviter exponam. Dubium non est, quin omnes, qui ad vindicandas Dei virtutes animos adjiciunt, sint laudandi, eoque etiam nomine laude sua defraudandus non est M. *Leibnitius* & qui Eum sequuntur, quando omnes ingenii nervos intendunt, ut P. *Baylii*, & qui ejus partes tuentur, objectiones retundant. Nescio tamen utrum Viri Docti bene agant, si in re gravissimi argumenti utantur talibus rationibus, quæ nonsolum sufficienter probari non possunt, sed & quæ difficultates multiplicare valent. Existere tales Incolas certis argumentis demonstrari non potest ; neque de statu horum Entium nobis quicquam cognitum est : fac vero ingentem esse numerum hominum (liceat saltem eos ita appellare) felicissimorum, non multum hoc roboris habebit in animos eorum hominum, qui dubitationum de Providentia Dei fluctibus sunt immersi. Certe parum hæc contemplatio valebit in animis eorum, qui in his terris cum multis malis colluctantur, & a noxiorum premuntur insolentiis. Pone tibi occurrere ingentem turbam hominum, qui truculento Marte, qui eheu! in florentissimis Europæ partibus hodie vehementer sævit, in miserrimum statum sunt conjecti, & non sine calidis lachrymis adversa sua tibi exponere : Te vero inter alia etiam eo nomine eos bono animo esse jubere, quod in aliis orbitis in cœlo nempe infinitus sit numerus hominum felicissimorum, quique mala nulla, pestes & bella nunquam experti sint, num putas eos serena fronte hanc Orationem excepturos ? an non verisimilius est, Eos ob hoc ipsum dolituros, quod ea loca non occupaverint, a quibus tanta mala abessent quammaxime, contra iis degerent in locis, in quibus perpetua bella timenda sint aliaque innummera mala ? Rursus, si dantur ejusmodi Incolæ quæritur utrum mente & nescio quo corpusculo sint instructi nec ne. Si affirmes, probandum erit hæc corpuscula nullis esse morbis obnoxia & doloribus ; mentes vero a vero rectoque recedere non posse. Si utrumque fieri potest, corruptionis magnitudo non tollitur, sed augetur. Si

vero a Deo sint ita conditi hi Incolæ, ut neque in mentes ullæ aberrationes cadere, neque corpuscula illa morbis possint esse obnoxia, redibit quæstio, cur tandem nos solos hujus globi terraquei Incolas, tot malis subjicere voluerit Deus, cum idem præstare Bonum nobis æque ac iis potuisset, & quæ alia sunt hujus generis. Non eo animo hæc a me dicuntur, ac si vellem causæ P. *Baylii* patrocinari; absit hoc a me quam longissime. Hoc tantum volo, ejusmodi hypotheses ad gravissimas objectiones infringendas, non tantum habere roboris quantum necesse esset, ad objectiones penitus refellendas.

Auctoris de universa hac disputatione judicium.

VIII. Sed tempus est, ut & nostram de hoc argumento explicemus sententiam. Et *primo* quidem duo extrema evitanda esse putamus; cavendum nimirum ab una parte, ne ultra modum mala exaggeremus, hominesque promiscue omnes pejores faciamus quam sunt. Qui enim ita judicant, parum provide & circumspecte de promissionibus divinis, & Ecclesia christiana sentiunt, & argumenta, præter tamen mentem suam, Incredulorum, Providentiæ divinæ opposita, roborant. Neque etiam Respublica platonica animo est sistenda, quando de hominum vita moribusque est judicium ferendum. Qui naturam hominum, eorum educationem & statum, perpenderit, deprehendet facile, fieri aliter non posse, quam ut plures a vero rectoque longe aberrent. (*) Simul vero ab altera parte committendum non est, ut peccantium numerum, malique, quod in omnium oculos incurrit gravitatem, diffitendo minuere velimus, aut atrocia scelera pro infirmitatibus naturæ venditemus, aut denique confessionum publicarum Religionis veritate, puritatem vitæ Christianorum metiamur. Ita enim mala potius augerentur, cum plerique mortales natura proni sint, & valde proclives, ad vincula sanctissimorum officiorum dissolvenda, viamque quærendam, qua salvis pravis suis cupiditatibus Religionis studio qualitercunque vacare possint. II. Norma judiciorum nostrorum de gravitate corruptionis inter Christianos grassantis, quærenda in

(*) *Sunt multi inter Christianos, qui de disciplinæ christianæ vero alumno ita judicant, veluti stoici de suo sapiente, aut Plato de sua Republica; sapiens stoicus est vir perfectus & consummatus, cui boni nihil abest, cui mali nihil adest. Quemadmodum vero A. Philosophus ipse Stoicus, de platonica Republica Lib. IX. recte monuerat:* Μη την πλατωνος πολιτειαν ἐλπιζε: *ita pariter recte Plutarchus de communibus notitiis de sapiente stoicorum ita judicavit:* Εστι δε ὑτος ὐδαμυ γης, ὐδε γεγονεν. *Nos similiter dicimus, Christianos omnis plane labis expertes reperiri nullibi. Placet illud ingeniosissimi Fontenelle, quod alicubi me legisse memini, dictum: Les Hommes de tous les Siecles ont les mêmes penchants, sur lesquels la raison n'a aucun pouvoir. Ainsi par-tout où il y a des hommes, il y a des sottises, & les mêmes sottises.*

in rectæ rationis legibus & Revelatione; non vero in voluntate hominum Religionis officia vel ultra modum extendentium, vel eadem coarctantium. Officia insuper illa ita consideranda sunt, prouti illa ingeniis hominum, & statui singulorum adaptari possunt. III. Si Revelationem consulimus, manifestum erit, hominum omnium vires post lapsum valde esse debilitatas & imminutas, neque quenquam mortalium vel ab omnibus plane vitiis & erroribus esse immunem, vel ad supremum perfectionis gradum in hac vita pervenire posse. IV. Theologorum fere omnium consensu, etiam pietatis amantissimis, in perfectione Evangelica, uti vocant, adquiescendum, quamvis teneantur omnes pro virium a Deo concessarum gradibus, ad altiora semper in pietatis studio contendere. Hinc & ipsi Protestantes Theologi communi consensu tradunt, Ecclesiam, etiam veram, in his terris non omnis erroris & vitiorum expertem esse. Unum tantum testimonium adducam, nimirum Cl. nostri *Heideggeri*, qui loco de Ecclesia pag. 320. ita loquitur: *Ecclesia* (sc. vera) *quoad sanctitatem inhærentem sancta est, ut tamen in terra militans, non omnis ignorantiæ & erroris in mente, defectus & vitii in voluntate expers nec infallibilis nec ἀναμαρτητος sit. Nam quæ singulorum ratio, eadem totius Ecclesiæ est: & sicut hæc in vita singulorum respectu, labi, ita etiam in intellectu errare potest. Cumque Ecclesia non habeat se ideæ vel Reipublicæ platonicæ, extra singularia subsistentis, instar, sed in singularibus suis, electis, vocatis & fidelibus, quorum collectio est, subsistat, aliam & perfectiorem naturam habere non potest, quam singuli, etiam optimi habent. Neque unquam Ecclesia eo usque in terris proficit, ut in eo, quod hucusque auditum est, nihil corrigendum restet: & ad perfectionem majorem semper contendendum est, donec ad eam in meta vitæ nostræ, seu potius meliori vita, pertigerimus.* V. Leves errores, quos parum cavet natura humana a gravioribus peccatis probe sunt distinguendi, & in dijudicandis actionibus hominum ad Eorum ætates, gradus capacitatis, statum, aliasque circumstantias probe est attendendum. VI. Quod si, hisce animadversis, oculos in Christianorum plerorumque (nam de hisce potissimum sermo est) vitam convertamus, & sincere simul & candide verum fateri velimus, patebit (a) multos christianorum, officia ipsa Juris N. sive illa sint perfectæ, vel imperfectæ obligationis, quotidie pedibus conculcare: hinc Sinceritatis, candoris, & veri amoris proximi, tam exigua inter eos deprehendas vestigia. (b) Ut ad singulas partes officiorum erga Deum, proximum, & nosmetipsos non progrediar, certissimum, sed idem tristissimum grassantis

inter Christianos corruptionis indicium est, quod Juramenta, quæ pro re sanctissima inter Gentes omnes habentur, a christianis tamen multis parum religiose custodiantur, imo passim negligantur.(*) (c) Exigua est inter Christianos Religionis puræ castæque, officiorumque in Evangelio Jesu Christi præscriptorum cognitio, de quo in antecedentibus dissertationibus hujus mei Instituti plura monuimus: cum vero accuratior Religionis cognitio efficacissima suppeditet motiva pietatem & virtutes omnis generis sectandi, facile judicari potest, quam parum illa valitura sint in animos hominum, confusa, & debili rerum divinarum cognitione, instructorum. (d) Pauciſſimi Christianorum, in quo vera cultus divini interni ratio & indoles consistat, perspectum habent; hinc plerique observantia Cultus externi sunt contenti, & in hoc potissimam pietatis partem sitam esse sibi persuadent. Alii, quod eodem redit, putant, se tum bellos Christianos esse, si certis quibusdam articulis Religionis in pueritia perceptis nonsolum firmiter adhæreant, sed & pro iis stent, eosque acerrime propugnent. (**) (e) Hypocritarum omnis generis & ordinis maxima inter Christianos est turba. Multi Curios simulant, & Bachanalia vivunt. Inter Doctos & disciplinis excultos, passim hinc inde in cœtibus christianorum dominatur *Machiavellismus*. Quod ex eo, ut alia omittam, etiam patet, quod multi, aut nullo plane, aut exiguo Religionis amore tacti, pro minutis tamen sententiis & ritibus, tanquam pro veritatibus maximi momenti pugnent, eum duntaxat in finem, ut iis, quibus male cupiunt, nocere, & penes plebem, aliosque, qui rectius de hisce argumentis non sapiunt, religiosorum hominum famam obtineant. (f) Scelera quævis

(*) Quid doctissimus ille Thomas *Linacerus* deprehensa christianorum plerorumque in negotio Juramentorum negligentia judicarit, verbis Celeb. *Seldeni* exponam. Hic vero de *Synedriis Hebræorum Lib. II. cap. XI. Sect. 6. pag. 209. Edit. Amstelodam.* rem ita exponit: *Certe id quod in Matthæo sic de juramentis ab Christo interdictis legitur, haud exiguam existimo fuisse causam cur doctissimus ille Thomas Linacer nostras circa 130. abhinc annos, medicus Celeberrimus, cum studiis morbisque fractus & jam morti vicinus N. Testamentum tum primo (licet etiam Sacerdos esset) in manus cepisset, & Matthæi capita quintum (ubi hoc de Juramentis) sextum & septimum percurrisset,* abjecto iterum *(sic Joannes Chekus in Literis ad Stephanum Episcopum Wintoniensem)* quantum potuit totis viribus, libro, jurasse, aut hoc non fuisse Evangelium, aut nos non esse christianos. *Usus procul dubio frequentissimus temere adversum ipsa Christi verba jurandi apud christianos, etiam illius temporis ut nostri, ita viguit cum interdictum hoc legeret Linacer, ut abstineve sententia & eloquio ejusmodi nequiret.*

(**) *La Religion, comme le remarque le savant Evêque de Bangor, signifioit autrefois la vertu, & selon lui on entend presentement par-là, tout ce que l'on veut, excepté la Vertu seule.* Ita Auctor ingeniosus libelli, cui titulus: *La Bagatelle* pag. 44.

vis atrocia non tantum Religioni Revelatæ, sed & naturali contraria passim inter ipsos Christianos grassari, tristis eheu! quosvis edocet experientia. Hinc etiam illi, qui fata progressuum Religionis christianæ inter Gentiles luce Evangelii destitutos describere solent, fateri tenentur, vitam dissolutam plerorumque christianorum, inter Gentiles degentium, præpedire, quo minus plures christianæ religioni nomen dent. Vide omnium loco *Bokii kurzgefassete Missions-Geschichten cap. IX.* (*) Manifestum est hujus furfuris homines, ni metu pœnarum absterrerentur, in omne nefas rituros, & ruptis omnibus honestatis repagulis, atrocissima quævis vitia perpetraturos. (*) Denique hominum omnis pietatis expertium, divina humanaque jura exsibilantium, & omnem religionem tanquam fabulam, ad homines in officiis continendos excogitatam, explodentium, ingentem esse in cœtibus christianorum turbam, & libri magna copia in vulgus editi, & ipsa eheu! tristis docet experientia. (h) His tamen non obstantibus, fatendum tamen est, dari etiam in christianorum cœtibus hinc inde plures, qui Deum in sinceritate cordis ament, atque officiis pietatis, quanquam non sine infirmitatibus, defungantur. Hoc deprehendent, quot quot personis & rebus suum pretium ponere volunt, neque malitia quadam, optima quæque pejorem in partem interpretandi, & ex incertis valde indiciis, de actionum humanarum scopo judicandi, inducuntur. Hi vero quammaxime inter se sunt diversi. Johannes epistola I. cap. II. v. 12, 13, 14. christianos in infantes, pueros & viros dispescit: quod discrimen non secundum ætatem judice Illustri *Grotio*, sed secundum gradus diversos ejus profectus, qui in Christo est, intelligi debet. Hi vero omnes rursus, infinitis fere gradibus perfectionis & imperfectionis inter se discrepant. Sunt qui inter virtutis & vitiorum confinia sunt positi:

(*) Inter recentissimos Scriptores qui de convertendis Indis commentati sunt, referendus *Thomas* Episcopus de *Sodor & Man*. Hic vero *Essais d'une instruction pour les Indiens* &c. *pag.* 23. ita de hoc argumento loquitur: *Peut on s'empêcher de reconnoitre avec honte & ferrement de cœur, que c'est la mauvaise vie de plusieurs Chrétiens, avec qui les Indiens & les Negres ont long temps conversé, qui est la cause du peu de progrès qu'à fait l'Evangile parmi eux. En vain les Missionaires, en vain les bons Chrétiens diront ils les choses du monde les plus vraies & les plus touchantes sur l'excellence du Christianisme, sur les avantages qu'ils renferme, les Indiens jugeront toujours de la Religion qu'on leur recommande avec tant de zèle, par la conduite du plus grand nombre de ses Sectateurs; cette conduite, si elle est criminelle, fera une blessure si profonde au Christianisme, que tous les meilleurs arguments ne sauroient la consolider. Confer l'Instruction Pastorale de Monseigneur l'Evêque de Londres au Clergé de son Diocése, touchant la manière dont il faut s'y prendre pour combattre & pour rendre inutiles les efforts des Incrédules de nos jours contre la Religion chrétienne.*

Sunt quorum infirmitas vel magis vel minus in oculos incurrit : Sunt qui serius, sunt qui citius ad frugem redeant. Omnibus, ad quemcunque pietatis gradum pervenerint, aliquid infirmitatis, quæ occuli non facile potest, adhæret. Atque hæc imperfectio, quibus optimi etiam urgentur, efficit, quo minus dignum semper iis ponatur pretium; præterquam quod mortales oculos lubentius pascant contemplatione nævorum, quibus viri etiam pii laborare solent, multi vix possunt adduci, ut ingenue & candide virtutes, quæ aliis insunt, laudent & deprædicent. Quod si insuper ad præsidia quibus veritas pariter & pietas inter mortales promoveri solet, attendamus, multa sunt, quæ probent, non adeo sterile esse virtutum hoc Seculum nostrum. Nunquam veritas, excellentia, & divina origo Religionis christianæ tot argumentis comprobata fuit ac nostra ætate; Nunquam virtutes divinæ ex opere Creationis elucentes in tam clara luce collocatæ, quam hoc nostro, quo vivimus ævo. Nunquam tot libri ad convertendos Gentiles, & ad Incredulos erroris convincendos elaborati ac nostra hac ætate id factum esse gaudemus. Nunquam antea Ethicæ christianæ præstantia tanta rationum vi fuit demonstrata quam id factum esse nunc videmus, opera virorum ingenio, & judicio præcellentissimorum: nunquam tam dextre detecti superstitionis fontes, & apertæ hæretificum detestandæ artes, quam nostro ævo; nunquam libertas conscientiæ tam perspicuis argumentis asserta & vindicata est, quam Seculo hoc labente. Imo inter felicitatem Seculi nostri referendum, quod viri pietate & Eruditione eminentes, multis voluminibus ostenderint, quantas strages non tantum sacræ Civitati, sed & Imperiis & Rebus publicis intulerint persecutiones violentæ ob Religionem susceptæ; quantum contra ad pacem publicam faciant, moderati animi studium, & suis limitibus circumscripta dissentientium in Religionis negotio tollerantia. Ut jam nil dicam de tot pietatis & virtutis Seminariis, Scholis, Societatibus ad propagandam Religionem christianam passim hinc inde institutis. Novi quidem pulchre, ex hoc minime colligi posse, Christianos omnes, vel plerosque præstantissimis illis mediis uti, & meliores evadere : at & hoc mihi concedent viri cordati, hæc præsidia sua natura ad pietatem & virtutem excolendam multum conferre : neque fieri posse, ut nulli plane Christianorum, ope præsidiorum illorum, ad meliorem vivendi rationem sint traducti. Quod si ea, quæ ab ipsis gentilibus de paucitate virorum virtutis amantium, v. gr. *Cebes* in tabula sua, & *Xenophon* monuerunt, conferantur cum iis, quæ S. Soter noster

de

de via angusta, & spatiosa, effatus est, mirum non erit, in tanta luce multos tamen Christianos dari, vel cæcos vel luscos. Quod si omnia, quæ hactenus dicta sunt perpendamus, constabit, fœdam quidem esse valde faciem Christianismi nostrorum temporum; non vero pejorem, si cum moribus, & vita Christianorum præcedentium Seculorum conferatur.

Hæc tanta Christianorum corruptio Incredulitatis non postrema causa est.

IX. Quicquid autem de eo sit, hoc certum est, degenerem adeo Christianorum plerorumque vitam, Incredulitatis passim hinc inde grassantis non postremam causam esse. Qua ratione id fiat, quanquam omnes intelligant, qui rationem in consilium vocant, paucis tamen est ostendendum. Et 1) quidem experientia omnium seculorum constat, plerosque mortales actiones suas, non tam ad rectæ rationis decreta, & officiorum, per legem Naturæ & Revelationem præscriptorum indolem, quam vero potius ad aliorum Exempla & mores, vitam suam componere. Hinc in aliorum hominum vitam tanquam in speculum intuentur, non tam eo fine, ut quid sequendum aut fugiendum sit rite dispiciant; quam vero potius, ut molestum examen sui ipsorum abs se removeant, erroresque suos aliorum exemplis tegant, vel fœditatem eorum minuant. 2) Cum iidem ea tantum cum voluptate agant, & sequantur, quæ suis pravis affectibus velificantur; ubique vero inter Christianos tales reperiantur, qui spreta Religione omnis generis vitiis sunt immersi, in hac ipsa multitudine peccantium præsidium malæ suæ causæ quærunt. 3) Hoc posito, id est conspecta tanta hominum vitiosorum inter omnis ordinis & dignitatis viros, turba, colligunt, Religionem tam certis principiis non esse, ut vulgo credatur, superstructam, neque Deum adeo severe in vitiosos animadversurum; vitia porro ita cum naturæ humanæ constitutione esse conjuncta, ut evitari illa nulla ratione possint: Eos vero, qui virtutis studium tantopere urgent, platonicas sequi ideas i. e. talia inculcare, quæ præstitu plane sint impossibilia. Accedit, quod ejusmodi homines gustu religionis puræ destituti, sæpe animadvertunt, viros haud indoctos, eos, qui aliorum judicio pro viris piis & virtutis amantibus habentur, pro hypocritis, quibus fides nulla habenda sit, haberi; cum vero piorum exiguus sit numerus, eorum vero, qui ad corrupti seculi mores compositi sunt, ingens turba sit, facile hac ratione vitæ genus, turpe licet, hactenus transactum, excusari posse, existimant. Augetur error, si videant, eos ipsos, qui virtutis studio omni virium contentione vacant, sæpe aliorum contemtui & persecutionibus esse obnoxios,

noxios, vitamque ipsis reddi acerbissimam. Hinc animus ad vitia propensus, eaque, quæ molestiam creare possunt, fugiens, magis magisque in vitiis confirmatur. 4) Ita gradatim progrediendo, incipiunt primo *optare*, ut religio pravis desideriis adeo exosa, & a plerisque mortalium contemta, tam certa non esset, ac vulgo persuadetur. Non possunt enim non homines toti vitiis dediti, ea omnibus votis desiderare, quæ vehementer amant, & aversari contra ea, quæ suaviter, ut putant, animos demulcere possunt. 5) Cum vero absonum videatur, sine specie ulla argumentorum, rem, quæ inter omnes magni æstimatur & pro sanctissima habetur, in dubium vocare, de difficultatibus quibusdam corradendis, animisque contra Religionem obfirmandis sunt solliciti. Occurrunt autem tales facile quærentibus. Præter enim impudentes sermones in congressibus audiri solitos, multa occurrunt in hac vita, quæ superbis hominibus de Providentiæ divinæ sanctissima administratione scrupulos movendi suppeditant occasionem. Hinc de ea incipiunt primo dubitare; crescente vero vitiorum amore, id quod vellent vero proximum esse, sibi persuadent, atque ea omnia quæ de futuris pœnis dicuntur, pro anilibus habent fabulis. Hoc si obtinuerunt, satis superque suæ securitati prospectum esse putant. Atque ita manifestum est, corruptionem late inter Christianos grassantem Incredulitatis haud postremam, imo præcipuam causam esse. Mecum sentient, quotquot serio res expendunt. Unum hic alterumve in re satis nota testimonium adducam. Unum suppeditat Vir pietate, Eruditione & dignitate Eminens Reverendissimus *Burnetus*: alterum *Jenkinus Thomasius*. Edidit nobilis aliquis Anglus libellum bonæ frugis plenum, cujus titulus juxta versionem W. *Berchelmanni* hic est: *Das Göttliche Leben in der Seelen des Menschen, als der klärester Beweiss von der Vortreflichkeit, eigentlichen Natur, Absicht und Würkung der vvahren christlichen Religion.* Huic libello præfationem lectu dignam præmisit Excellentissimus Præsul: Inter alia de argumento hoc ita loquitur: *Es finden sich sonderlich zvvo Haubt-Hindernüsse und Vorurtheile, vvelche das Geschlecht derer Freygeister und Gottes-Verlaugner in ihrer gottlosen Meynung, die sie vvider die christliche Religion hegen, gevvaltig stärket und verhärtet, als da ist erstlich, dass sie an denenjenigen, die sich dazu bekennen, und vorgeben, dass sie die Wahrheiten derselben glauben, nicht sehen noch vvahrnehmen, dass sie leben gleich solchen Leuthen, die dergleichen in rechtem Ernst thun, vvie ich dann vvelche gekannt, die ausdrüklich sagten, dass, vvann sie glaubten, dass der grosse Gott alle menschliche*

Händel

Händel regiere, und alles vvisse, vvas vvir thun, und uns dereinst zur Rechenschaft davor fordern vverde, und einem jeden vergelten nachdem er gehandelt, und die Bösen straffen mit einer unendlichen und unveränderlichen Pein und Verdamnuss, sie ohnmöglich so leben könten, als der gröste Theil der Christen thue; sondern sie vvurden sogleich allen Eitelkeiten und Tohrheiten der Welt absagen, und sich ganz und gar in ein heilig und Gott vvohlgefälliges Leben begeben. Das andere Vorurtheil und schädliche Meynung, die sie gegen die Religion hegen, bestehet darinnen, dass sie vorgeben und sagen, sie hätten grosse Ursach zu argvvohnen, dass diejenige, an vvelchen sie eben, vvegen ihres Lebens und Wandels, vvenig oder nichts zu tadeln finden, etvvan ein verborgenes Vorhaben darunter hegten, vvelches ausbrechen vvürde, so bald sie eine bequeme Gelegenheit dazu finden vvürden; daher sie den Schluss machen, dass dieselben eintvveder im Verborgenen eben so bös seynd als andere, oder das, vvas sie thun, sie darinnen ihnen selbst Gevvalt anlegen zu einem oder andern heimlichen Ziel und Endzvvek. Sind dann auch einige, auf vvelche sie alle dergleichen Argvvöhne nicht haben können, (vvievvohl es kaum möglich ist, dass einer, der sich fest vorgenommen hat, mit lauter Vorurtheilen besessen zu seyn, nicht solte eine oder andere Farben darzu finden, oder vvenigstens vorgeben) so urtheilen sie zulezt, dass solche Personen verdriessliche, melancholische und singulaire Leuthe seynd, die eintvveder vvegen ihrer Leibes-Beschaffenheit, oder gehabten vvunderlichen Erziehung, eben so viel Vergnügen an solchen saur sehenden Geberden und einer affectirten Gravität finden, als andere in ihren liederlichen und extra-vaganten Tohrheiten anzutreffen sich einbildeten. Hactenus Venerabilis ille Præsul. *Thomasius* vero in *Historia philosophica de Atheismo* pag. 14. ita mentem suam pandit. *Nec satis* (inquit) *prob. dolor! lugere possumus vitæ morumque dissolutionem, quæ* prima *& fere unica causa Atheismi nuncupanda venit. Quia turpis & impura praxis, & male sana Theoria aliquo modo se invicem ponunt & tollunt. Ita ut qui semper scientes volentes male agunt, de iis jure dubitetur, an de Deo recte sentiant: certe hi nihil magis cupiunt, quam ut nullus Deus existeret, ut repagulis omnibus remotis, timore scilicet divini vindicis, & ultimo judicio, hilarius & liberius cupiditatibus suis indulgere possint: Huc sane tendunt innumeræ bonorum querelæ & exclamationes. Sicut bona opera inquit Cyprianus, profitentur Deum, ita mala quodammodo loquuntur non est Deus, nec est scientia in excelso. Hinc Apostolus ad Tit. I. v. 16. profitentur se Deum nosse, sed factis Eum abnegant. Qua inutili & nuda cognitione, Christianorum maxima pars ita est capta,*

ut credat Religionem nihil esse aliud quam ritum civilem vel cærimonialem, inane nomen & præterea nihil. Quam stultum vero, & ineptum sit, Religioni propterea bellum indicere, quod pravis studiis & affectibus sit inimica, sapiens quisque sine ulteriore demonstratione animadvertit. In hos certe quadrat Epigramma beati *Werenfelsii*, quod in mortem Athei fecit, atque ita sonat:

Optavit iste perpetim
Nullum dari in mundo Deum:
concluſit ex voto hoc ſuo
vere Deum nullum dari.
Nunc ſentit ille denique
Et ſentiet in Secula
falſam eſſe conſequentiam.

Malum hoc augent pravæ exempla, & depravati mores ordinis sacri virorum.

X. Quod si vero corruptio ingens quæ passim inter christianos eheu! grassatur, & dominatur, multos in vitium Incredulitatis conjicit, manifestum est, depravatos mores Sacri ordinis virorum multum conferre ad hoc malum vehementer augendum. Candor & pietas prohibent, quo minus hoc ulcus non tangamus. Ita tamen in hoc argumento versabimur, ut nemo illorum, qui pietatis, & veritatis studio tenentur, de nobis conquerendi causas sit habiturus: nemini insultare volumus, sed candide saltem atque modeste monstrabimus, qua ratione illi, qui Doctorum, Pastorum, & Religionis Antistitum nomine venire solent, pessimo vitæ corruptæ exemplo, aliis nonsolum scandalo gravi esse possint, sed & invalescentem Incredulitatem adaugeant. Dari multos inter christianos, qui singulos V. D. Ministrorum nævos perstringant, exaggerent, & in majus extollant, tristi eheu experientia constat. Hos vero graviter peccare quis neget? Nemo unquam dixit, Ministros Religionis a nævis omnibus & erroribus esse immunes. Certe qui eos tanquam homines cœlitus delapsos, intuentur, puritatem tantum non angelicam in iis desiderant, & ad hanc imaginem omnes eorum actiones exigunt, vehementer falluntur. Verum est, muneris, quo defunguntur ratio postulat, ut pietatis studio emineant, & gregibus suis exemplo sint: At hoc non prohibet, quo minus nævos etiam suos habeant, si modo numero sint pauci, atque operam seriam navent, ut conscientiæ stimulis incitati, indies magis magisque naturam auxilio divino emendent. Maligni animi est, id quod bonum & laudabile est in Ministris V. D. silentio tegere; in erroribus vero

vero Eorum, quos parum cavere solet natura humana, tam acutum cernere, ac aquila vel serpens epidaurius. Hic autem sæpe peccant illi quos minime decet. G. *Arnoldum* certe, virum alias præstantem ingenio in notissimo Hist. Ecclesiasticæ opere limites fraternæ charitatis sæpe prætergressum, viri pii & docti, atque in cæteris *Arnoldo* minime male cupientes, conquesti sunt. Multo minus hic in censum veniunt illi, qui ut Religionem ipsam reddant suspectam, & exosam, singulari quadam, sed detestabili ardent cupiditate, quavis data occasione, nullo habito discrimine, in sacri ordinis Viros invehendi, eos salse perstringendi, & pro causis malorum, quæ Imperia & Societates premere aliquando solent, venditandi. Inter Eos inprimis eminuere *Collinus*, *Tolandus*, *Passeratius*, *Mandeville*, *Dippellius*, *Edelmannus*, & plures hujus ordinis. Horum hominum hodie numerus tantus est, quantum muscarum est, cum caletur maxime. Sunt qui sese tum demum ingeniosos esse & astutos putant, si in omnibus circulis & congressibus inter pocula Sacri ordinis Viros onerare probris, cruento dente lacessere, aceto italico eos perfundere, & innocentissimas etiam actiones pejorem in partem interpretari possunt. De *Tolando* hæc narrat Vir doctus, qui notas adjecit libello satis noto cui titulus: *La Friponerie Laïque des prétendus Esprits forts d'Angleterre*: *Je me souviens* (inquit pag. 414.) *qu'autrefois à Londres je me suis souvent rencontré avec le fameux Jean Toland dans un Caffé qu'il frequentoit. Là son thême ordinaire & extraordinaire étoit le Chapitre des Prédicateurs sur lesquels il avoit une source intarissable des Contes, tous plus burlesques les uns que les autres.* Hi vero ita agendo impudentem suam audaciam duntaxat produnt, & ab iis duntaxat cum voluptate audiuntur, quibus nec pietas nec modestia, & proximi amor, curæ cordique est. Sed non est quod Viri innocentes & cordati propterea indignentur. Norunt enim horum hominum mores. Audiant illi *Senecæ* consilium, qui in fragmentis de *remediis fortuitorum* sic pronuntiat. *Male de te loquuntur homines; sed mali. Moveret, si de me M. Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere, laudari est. Non potest ullam authoritatem habere sententia, ubi, qui damnandus est, damnat. Male de te loquuntur: moveret, si judicio hoc facerent. Nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur sed de se. Male de te loquuntur; bene nescíunt loqui, faciunt non quod mereor, sed quod solent. Quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro veritate, sed pro consuetudine latrent.* Quanquam vero negari non possit, multis sæpe Sacri

Ordinis Viris injuriam fuisse illatam, dum sine causa exagitati fuerunt; diffitendum simul tamen non est, extitisse semper, & adhuc eheu! dari hujus ordinis viros, qui immemores sanctissimi, quo defungi solent muneris, vitam vivant variis vitiis contaminatam. Fuerunt semper, & sunt adhuc inter eos contentiosi, avari, libidinosi, vindictæ cupidi, superbi, dominandi libidine ardentes, falso, imo tyrannico spiritu adversus dissentientes animati, aliisque vitiis dediti. Fratrum horum etiam gratia rara est. Rarus sincerus amor quem tamen toties totiesque discipulis suis Christus commendavit. Atque hinc ortæ sunt tot virorum pietate & Eruditione eminentium de perpetuis inter ipsos doctores disciplinæ sanctissimæ rixis & contentionibus querelæ justissimæ, ex quibus nimirum manifestissimum eheu! multos Doctores publicos pravis affectibus, non vero christianæ disciplinæ regulis duci, qui tamen moderationis, pacis & fraterni amoris studio aliis facem præferre deberent. Audiamus de hoc malo conquerentem Theologum omnium Eruditorum suffragio, gravissimum & oculatissimum Sam. *Werenfelsium*. Hic in egregio libello de *Logomachiis Eruditorum* cap. VII. ita mentem suam de hoc argumento aperit, dicens: *Neque quisquam ex me quærat, an etiam ii, qui eruditi, qui Philosophi (addimus Theologi & V. D. Ministri) qui sapientes vocantur huic sint morbo (de affectibus loquitur) obnoxii. Quis enim nescit odia quæ sunt inter diversas Sectas religionesque, odia inter Academias, odia inter diversorum studiorum homines odia & æmulationes Collegarum, condiscipulorum: odia inter eos, quibus vetera, eosque quibus recentiora placent: odia erga omnes, quos nostram eruditionem deprimere aut obfuscare arbitramur: odia eorum, qui sententias nostras non amplectuntur, non venerantur; qui audent a nobis dissentire, aut dissentire videntur? Et quis omnia unquam enumeraverit? Cum vero hæc odia nomen mutuantur sancti pro Deo, pro religione, pro veritate Zeli: tum vero penitus conclamatum est: tum nihil amplius neque videtur, neque intelligitur: tum in aliis horrendas hæreses, tametsi nusquam sint, non videre, impietas; innocentes non condemnare atque orco addicere, tepor in religione; omnia pessimum in sensum non detorquere, proditio: non clamare, non vociferari, non cœlum terramque miscere ἀθεότης habetur.* Hactenus insignis ille Theologus. Jam inde a temporibus Constantini magni (ut de iis quæ ante acta erant nil dicam) plures Episcopi & inferioris ordinis Sacrorum Ministri ambitione, dominandi lubidine, avaritia, in præceps acti fuerant. Hæc mala successu temporis ita fuerunt teste teste Hist. Ecclesiastica aucta,

ut

ut vix aliud in Historiis illorum temporum legas quam vitia Clericorum. Illustris *Grotius* causas Judiciorum Dei in Ecclesiam occasione exorti Muhamedanismi exponens, ita ait: *Vera illa* (inquit) *atque simplex pietas quæ inter Christianos gravissime vexatos oppressosque floruerat paulatim refrigescere cœpit, ex quo per Constantinum & sequentes Imperatores effectum est, ut ea professio non tuta tantum, sed & honorata esset, mundo velut intruso in Ecclesiam. Episcopi acerrime inter se certarunt de summis sedibus ac sicut olim arbori vitæ prælata arbor scientiæ maxima dederat mala, ita tunc quoque curiosa Eruditio pietati antehabita & ex religione ars facta, cui deinde consequens fuit, ut ad exemplum eorum, qui turrim babylonicam ædificabant affectatio temeraria rerum sublimium dissonas locutiones & discordiam pareret: quibus plebs conspectis, sæpe nescia quo se verteret culpam in S. Literas rejecit, & eas tanquam venenatas cœpit fugere. Religio autem passim non in mentis puritate, sed quasi reducto Judaismo in ritibus collocari cœpit, & in iis quæ corporis magis exercitationem, quam animi emendationem in se continent, itemque in studio flagrante semel electarum partium; tandemque evenit ut ubique essent Christiani nomine, re pauciissimi. De verit. Relig. christ. Lib. VI.* Sect. I. Diu ante Muhamedem, de invalescente corruptione christianorum conquesti sunt multi Ecclesiæ Præsules. Vide testimonia collecta a *Rittershusio* ad *Salvianum*, & ad hunc ipsum locum *Grotii* V. Doctorum notas. Nota est historia *Prætextati* Consulis Romani, quam refert Hieronymus ad *Pammachium*. *Prætextatus* (inquit) *qui designatus Consul est mortuus, solebat ludens B. Papæ Damaso dicere: Facite me Romæ urbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Post illa tempora omnia in pejus ruebant, adeo, ut vix sine horrore legi possint tot scandalosæ Præsulum & Monachorum actiones. Corruptio certe Cleri ad tantum culmen ascendit, ut integræ tandem Nationes proxime ante Emendationem sacrorum susceptam, in sinum Imperatorum quærelas suas deposuerint. Post tempora Reformationis cautius quidam ex hoc ordine sunt mercati, & ut majori studio atque contentione varias disciplinas excoluerunt; ita pariter hinc inde reperti sunt multi, qui mores suos emendarunt; quanquam optandum foret, ut ad disciplinam potius Christi, quam vero ad Monachorum quorundam regulas vitæ rationem componerent. Sed quid multis loquimur de corruptione Cleri potificii? Confiteamur potius ingenue, hinc inde in Protestantium cœtibus reperiri non paucos Sacrorum Antistites vitam agentes a sanctissima Religione, quam profitentur, prorsus alienam. Quo magis autem

autem confessiones publicæ horum hominum sunt puræ, & vivendi regulæ eximiæ, eo magis quosvis pietatis & honestatis amantes offendit vita quorundam a præceptis Jesu Christi adeo abhorrens; neque mirum est multos, conspectis & deprensis tot vitiis hujus ordinis virorum, in ipsum Barathrum Incredulitatis præcipitari. Sunt enim hi homines majori rerum divinarum cognitione utplurimum quam cœteri instructi; solent, imo tenentur, in pravos Seculi mores invehi, corrupto & degeneri Christianismo fortia opponere pectora, Religionis christianæ præcellentiam deprædicare; sedulam præceptorum Christi observantiam urgere, & quantum fieri potest, ipsas vitiorum radices evellere &c. &c. Quod si vero hisce omnibus contraria agant & vitiis varii generis sunt immersi, & exigua conscientiæ cura tacti; fieri aliter non potest, quam ut illi, qui de Religionis veritate non satis sunt persuasi, aut qui ad vitia propensos habent animos, incipiant de summis Religionis capitibus dubitare: vix enim a se obtinere queunt ut credant, homines tanta rerum divinarum cognitione instructos, & adversus vitia adeo detonantes, simul vero pudendis vitiis contaminatos, de veritate rerum, quas publice tanta cum specie pietatis & Zeli inculcare & commendare solent, serio esse persuasos; Et profecto eheu! tristis experientia probat, multum valere ejusmodi exempla ad Incredulitatem confirmandam. Plus certe ea nocent, quam subtilissimi libri ab Incredulis contra Religionem editi, quoniam plerique mortales non eo sunt ingenio ornati, ut vim subtiliorum objectionum expendere possint, vitia vero talia vel palpari quasi possunt a quovis plebejo. Adsunt confessiones hominum, qui incredulitati nomen dederunt publice, in quibus liberé & rotunde fatentur, corruptos S. ordinis Virorum mores plurimum contulisse, ad Religionem christianam repudiandam. Notum est testimonium *Rostæ Comitis* ab Episcopo *Burneto* adductum in biographia hujus nobilis Viri. Hoc quia ad nostrum Institutum facit, hic proferam. Extat illud pag. 83. edit. gallicæ Tiguri editæ. *Le Comte* (inquit Ill. Præsul) *me dit franchement, que rien ne l'avoit plus incité lui même, avec bien d'autres au Libertinage, que de voir la vie relâchée & pleine d'hypocrisie, de ceux qui faisoient profession de suivre la Pieté. Il avoüoit, que, si la Religion n'étoit pas un pur artifice, c'étoit sans doute la chose la plus importante qu'il fut possible d'imaginer: & que s'il pouvoit une fois la croire véritable, il s'appliqueroit avec beaucoup d'ardeur & de zéle à vivre conformement à la foi. Mais d'un côté la passion de s'avancer, qu'il avoit trouvée dans quelques Ecclesiasti-*

ques

ques à la Cour, jointe à la maniere basse & servile dont ils s'y prenoient; & de l'autre les animosités, qui regnent entre eux pour des bagatelles, l'avoient souvent obligé de conclure, qu'ils doutoient eux-mêmes de tout ce qu'ils prêchoient aux autres. Il alleguoit un grand nombre d'exemples, dont je savois que plusieurs n'étoient que de pures calumnies ou des fausses interpretations de certaines demarches fort innocentes en elles-mêmes; mais par malheur il y avoit quelques-uns qui n'étoient que trop véritables. Je le publie avec d'autant plus de hardiesse, que je voudrois faire souvenir ceux qui prétendent avoir de la Religion, & sur tout ceux qui en sont les Ministres, de l'engagement où ils sont, de vivre d'une maniere convenable à leur profession s'ils ne veulent être responsable d'une grande partie de l'Atheisme & de l'Impieté qu'il y a dans le monde. Les debauchés sont ravis, quand ils trouvent à mordre sur la conduite des Gens de bien, & sur tout de ceux, qui doivent servir d'exemple aux autres, tels que sont les Prédicateurs de l'Evangile. Ils ne manquent pas d'en conclure, non seulement que ces prétendus Devots sont des Hypocrites, mais que la Religion elle-même n'est que charlatanerie. Ita Burnetus. In eandem sententiam concedit Alph. *Rossetus Professor Lausanensis Clarissimus* in Cogitationibus suis generalibus de *Deismo* pag. 219. *Je ne puis* (inquit) *m'empecher de remarquer ici, que la mauvaise conduite des Chrétiens & en particulier les vices du Clergé, peuvent fournir occasion par contre-coup au Deisme de paroitre. Quand on voit les Chrétiens, mais sur tout les Ministres de la Religion, se conduire d'une façon toute opposée à leurs Principes: être les Esclaves des passions qu'ils condamnent chez les autres, & des vices qu'ils font profession de combattre; on est violement porté à presumer, qu'ils ne croyent point ce qu'ils font profession de croire, & que s'ils font paroitre tant de zéle pour la Religion; c'est plutôt en vûe d'avancer leurs interêts mondains & de dominer sur les consciences, que par respect ou éstime pour elle. Or quand une fois on en est venu là: on ne tarde pas à regarder la Religion elle-même qu'ils professent comme une ruse de Politique, ou comme une fourberie du Clergé. L'on a tort de raisonner ainsi; (Qui en doute?) mais la chose n'en est pas moins triste.*

XI. Sed mittamus hæc tandem, & accedamus ad alium impietatis fontem detegendum. Nemo dubitaverit, quin frequens librorum illorum lectio in quibus data opera vel religionis naturalis & revelatæ capita impugnantur, vel omnis generis vitia variis sub prætextibus, & diversis coloribus commendantur, multum conferat, ad animos vel exigua rerum divinarum cognitione imbutos, vel ad vitia proclives valde,

Alia Incredulitatis causa est librorum Atheismo, & impietati faventium lectio.

valde, pestilentibus opinionibs imbuendos, & ab amore pietatis avellendos. Antequam vero hoc probemus, instituti nostri ratio postulat, ut in antecessum aliquid de librorum illorum publicatione & lectione moneamus. Er *primo* quidem in confesso est, nonsolum omnes homines jure verum investigandi gaudere, sed & eosdem a summo Numine obligatos esse, veritates omnes, quæ quidem ad internam & externam felicitatem consequendam facere possunt, examinandi. Quo majoris autem momenti sunt illæ veritates, eo majori etiam virium contentione allaborandum est omnibus, ut sibi solidam, pro cujusque tamen ingenii capacitate, earum cognitionem comparare studeant. Omnium vero, qui non obbrutuerunt consensu, principalium Religionis Naturalis & Revelatæ capitum accuratior cognitio ad felicitatem illam obtinendam plurimum conferunt. Ex quo II. manifesto sequitur, quoslibet ad Examen illud instituendum teneri. Cum vero experientia teste, multi publicis scriptis Religionem impugnarint, & adhuc eandem variis rationibus adoriantur, necesse est, ut illi, qui nonsolum religionis amore tenentur, sed & ad alios solida rerum divinarum cognitione imbuendos ex officio obligati sunt, sine omni partium studio & ἀθερ παθων, rationes quibus gravissimæ illæ veritates impugnantur, serio & cum cura expendant: fieri autem id aliter non potest, quam si libri illi diligenter evolvantur, & rationum contra eos allatarum infirmitas solidis argumentis commonstretur; Non alia certe tutior via est, errantes in viam reducendi, & eos qui studio veri tenentur, aut qui lectione talium librorum decepti sunt, ab erroribus revocandi. III Quemadmodum vero omnes jus habent Religionem examinandi, & rationes Adversariorum expendendi; ita pariter licet, illis, qui de his vel illis Religionis capitibus dubitant, dubia sua modeste adductis rationibus publice proferre, & cum Eruditis communicare, præsertim si in privatis colloquiis sibi satisfactum non esse persuasi sunt. Ita enim fieri solet, ut nonsolum sæpe errantes in viam revocentur, errorum fontes detegantur, sed & ipsa veritas hactenus impugnata, in clariore luce collocetur. Ita notum est, Angliam feracissimam esse librorum, in quibus Religio vel acerbius vel modestius impugnatur: sed & compertum simul est insignem in hac florentissima Insula esse copiam virorum doctissimorum & præstantissimorum, qui magno ingenii accumine & Eruditionis apparatu insigni nonsolum solidissime Religionem vindicarunt, sed & multa nova præsidia ad eandem rectius defendendam hac occasione suppeditarunt. Novi a quibusdam

busdam dici, Incredulos non amore veri cognoscendi sed errores graves disseminandi studio ad divulganda dubia illa commoveri; sed hoc tamen non impedit, si vel maxime verum esset, quo minus libri hi a viris doctis legantur, & examinentur. Non adeo facile ostendi potest hunc vel illum, qui dubia quæ contra Religionis quosdam articulos in animo exorta sunt, publice profert, malo id facere fine: neque etiam necesse est, ut semper attenti simus ad finem, quem forte intendit scriptor, sed potius res ipsa est ponderanda, & dispiciendum, qua ratione errori occurri, veritasque solidis rationibus vindicari possit. Hoc si præstitum est, res in vado est, & perinde est, sive malo sive bono fine Scriptor cum Erudito Orbe dubia sua communicarit. Dantur etiam inter eos, qui verum tuentur, tales, qui multa religionis capita defendunt, non amore veri, & solida persuasione, sed vel gloriæ, vel commodorum studio incensi, quod tamen non impedit, quo minus illi libri lectorum manibus terantur. Ex iis quæ hactenus a nobis dicta sunt patet, quid viris Eruditis & de Religione solicitis mea sententia tentandum sit adversus libros, qui hinc inde ab Incredulis in vulgus editi sunt, & adhuc eduntur. Sunt nimirum, qui promiscue, omnes illos libros proscribendos & Vulcano tradendos esse putant, quod nimirum ejusmodi lectione multorum animi corrumpantur. Alii non quidem eliminandos illos libros censent, sed tamen ab iis duntaxat esse legendos censent, qui artis ratiocinandi sint periti, atque in severioribus disciplinis probe versati, atque hi nonsolum libertatem ejusmodi libros evulgandi tuentur, sed & optant, ut antiquissimorum Hæreticorum & Religionis christianæ hostium scripta ad nostram usque ætatem fuissent transmissa. Ne gratis hæc dixisse videar, adducam quædam testimonia: Inter eos qui eruditissime & acerrime Religionem Christianam adversus Incredulorum insultus defenderunt, *Reverendissimum Episcopum Chandlerum* referendum esse, omnibus constat Eruditis. Hic vero in defensione Christianismi, ita, juxta versionem Germanicam Doctissimi Auctoris præfationi *Tyndalo* præmissæ, mentem suam aperit, dicens: *Die Sache Gottes und der Wahrheit kan bey einer wobleingerichteten Beörterung und bey der schärfften und einer ganz unpartheyischen Untersuchung, niemals leiden. Ich würde von Herzen vergnügt seyn, alle Einwürffe wider das Christenthum in ihrem gröfsten Licht zu sehen, damit ich desto besser wissen möchte, ob meine Bekentniss und meine Hoffnung als eines Christen, auf einem festen und vernünftigen Grunde gebauet sey, oder nicht. Wofern unsere heutige Unglaubigen deutlich zei-*

gen können, daſs das Chriſtenthum ein Betrug ſey, ſo wil ich es alſobald fahren laſſen: können ſie es aber nicht thun, ſo werden alle ihre Einwürffe wider daſſelbe deſſen göttliches Anſehen nur deſtomehr beſtätigen. Hactenus inſignis ille Præſul. Idem judicium fert Doctiſſimus *Foſterus* initio Refutationis libri *Tyndali*. Verba ita ſonant: *Da die Religion eine Sache iſt, vvoran dem menſchlichen Geſchlechte am allerböchſten gelegen: ſo ſolte man auch einem jeden die Freybeit laſſen ſeine Einvvürffe dagegen vorzubringen. Dieſes iſt der einzige Weg, die vvahre Beſchaffenheit derſelben auszumachen, und ſie auf einen feſten Grund zu ſezen; damit nicht Wahrheit und Falſcheit, Aberglauben und unvernünftige Gottſeligkeit ohne Unterſcheid ſich unter dieſem ehrvvürdigen Namen empor ſchvvingen möchten. Wenn man dieſelbe durch Zvvang und Gevvalt unterſtüzet, ſo thut man nicht nur einen Eingriff in die allerheiligſten natürlichen Rechte der Menſchen, ſondern man beſchimpfet auch dadurch die Religion ſelbſt. Eine gute Sache vvird gleich verdächtig und die Gegner derſelben haben bey dem Dritten ſchon eine kleine Gunſt für ſich voraus: vvann man an ſtatt tüchtige Bevveiſe vorzubringen nur bloſs einigen Anſtrich der Wahrſcheinlichkeit machet. Da ein jeder rechtſchaffener Menſch ſonſt auf nichts, als die Wahrheit ſiehet, und niemals geſtattet, daſs ſeine Gemühtsneigungen, Vorurtheile oder vveltlicher Nuzen bey ſeinen Unterſuchungen der Religion einigen Einfluſs haben können; ſo muſs derſelbe nohtvvendig nichts ſo ſehr verlangen, als daſs die Gründe auf beyden Seiten in ihre gehörige Deutlichkeit geſezet, und ihnen alle ihre Stärke, vvelche ſie haben können, möchte gegeben vverden.* Cl. denique Theologus Halenſis *Baumgarten* in *Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica* nuper demum edita, ita ait: *Wir beklagen billich den Verluſt mancher Schriften ſelbſt der Kezer und feindſeligſten Widerſächer der Chriſtenheit.* Cur ita autem ſentiant Viri Cordati, plures adducunt rationes: unius aut alterius duntaxat injiciam mentionem: ſuſpectam, ajunt, reddi Religionem ipſam, ſi argumenta, quæ illi opponi poſſunt, non liceat in medium proferre & ab aliis etiam expendi & legi; facile enim ita fieri poſſe, ut quidam ſibi perſuadeant, Religionem non iis ſuperſtructam eſſe rationibus, quæ examen aliquod rigidum poſſint ſuſtinere. Ipſis certe Incredulis triumphandi ampliſſimam ita dari occaſionem, quandoquidem ita agendo, naris acutæ homines judicaturos, eos, qui Religioni nomen dent, vim ratiocinationum, quibus hoc hominum genus utitur, ſuſtinere non poſſe. 2) Proſcriptione & combuſtione ejusmodi librorum errantes in viam non reduci, quod tamen unum ut fiat, curandum eſſe Religionis Antiſtiti-

tistitibus. 3) Ita nonnisi avaritiæ & habendi cupiditati Typographorum consuli: notum esse, statim ac ejusmodi libri proscribantur, multos eorum legendorum cupiditate exardescere, quod Typographi in rem suam convertant, pretiumque quantum possunt intendant. Constare insuper variis artibus ac viis, si modo pecunia non desit, ejusmodi libros facile comparari posse. 4) Addunt denique viri hi docti, eos inter Theologos Protestantes, qui omnes illos libros Incredulorum proscriptos, & e manibus quorumvis excussos vellent, parum sibi constare, dum Pontificios Doctores & Inquisitores vehementer taxant & perstringunt, quod in libros a Protestantibus Scriptos sæviant, cum tamen Pontificiorum judicio, non minus hi libri Religioni noceant, quam Incredulorum Scripta. (*) Hæc & alia, quæ a Viris Doctis afferuntur, quo loco sint habenda, me acutioribus, dijudicanda relinquo. Quemadmodum vero omnium rerum usus est & abusus, ita fatendum simul est, promiscua ejusmodi librorum lectione multos in vitium Incredulitatis fuisse conjectos, & adhuc eheu multos in idem incidere. Contingere autem hoc frequenter solet illis, qui aut nullis disciplinis, aut leviter sunt imbuti, neque severioribus Literis diligentem operam unquam navarunt. Nemo ignorat, Incredulorum objectiones plurimas ita esse comparatas, ut ad eas retundendas opus sit acri judicio, & eruditione non proletaria. Cum vero multi ejusmodi librorum lectione delectentur, qui objectionum vim quidem sentire possunt, iis autem præsidiis sunt destituti, quæ ad solvendas illas difficultates requiruntur; fieri aliter non potest, quam ut incipiant de gravissimi momenti veritatibus dubitare: Quod si his accedant pravi affectus, vix aliter evenire potest quam ut illis albos calculos adjiciant, quæ pessimis illis consultoribus grata atque accepta videntur. Non necesse esse puto, ut veritatem hanc multis probem exemplis; qui enim mores hominum perspectos habet, atque ea, quæ hinc inde fieri solent,

(*) Inter ipsos Doctores Pontificios cordatiores, & doctos sunt, qui dolent Censores & Inquisitores in Scripta Theologici vel Philosophici argumenti inclementius, quam par est, animadvertere. Horum numero adscribendus est Celeb. *Muratorius Illustr. Ducis Mutinensis Bibliothecarius*, qui edito sub nomine Lamindi *Britannii libello, de Ingeniorum Moderatione in Religionis Negotio* Cap. V. p. 266. ita loquitur: *Novimus, qui, ne sibi confligendum foret cum indocili quorundam Censorum notitia atque impotentia dimissis theologicis ac philosophicis studiis se totos conjecerunt in Eruditionem profanam, unde si non æqua laus, certe minus periculi, & plus quietis exspectandum fuerat. Non ergo privatis tantum studiis officitur ab hisce censoribus, sed publicæ etiam utilitati & Ecclesiæ, quæ Scriptoribus Theologisque indiget non Assentatoribus, dum scribunt, neque Zelo immoderato ferventibus, dum judicant, sed solida Eruditione refertis & omni superstitione ac affectu vacuis.*

animadvertit, nullus dubitabit, quin multi frequenti horum librorum lectione in præceps acti sint. Unum inter mille exempla adduxisse juvat, nimirum *Caroli II. Illustrissimi Angliæ Regis*, qui lectione librorum *Hobbesii* corruptus fuerat. Rem narrat Reverend. Episcopus Salisburiensis *Burnetus dans les Mémoires pour servir à l'Histoire de la Grande Bretagne.* Postquam enim narrasset, quo ingenio fuerit ornatus Dux Bukinghamensis ita pergit: *En revenant* (de Duce hoc loquens) *de ses voyages à Paris, il y trouva le Prince de Galles, que Charles I. son Pere y avoit envoyé dans le delabrement de ses affaires. S'appercevant que ce Prince avoit du penchant à recevoir des mauvaises impressions, il se fit un étude de le corrompre. Engagé lui-même dans toutes les Impietés & dans tout le Libertinage du Siecle, & secondé dans ce dessein par Mylord Percy, il n'y reussit que très-facilement. Pour achever de le perdre & sous prétexte de lui faire apprendre les Mathematiques, ces deux Seigneurs lui presenterent Hobbs, qui lui expliqua ses systêmes tant pour la Religion que pour la Politique. Leçons qui s'imprimerent profondement dans son Esprit, & qui ne s'en effacerent jamais.* Ita Celebris ille Episcopus. Quid ipsi *Celeberrimo Theologo* F. *Junio* Scripta *Epicuri* nimium admiranti in Adolescentia sua obtigerit, notum est ex biographia sua, quam ipsemet adornavit. Adaugentur hæc mala nostro seculo, quo Historiæ Literariæ studium quammaxime floret. Dantur multi, qui, antequam pectus necessaria rerum præstantissimarum cognitione locupletarunt, omnia fere Eruditorum Diaria evolvant. Ibi autem tanquam in brevi tabella insolitas quorundam Eruditorum opiniones deprehendunt; vident nullam sententiam tam certam, aut momentosam esse, quæ ab hoc vel illo Erudito impugnata haud fuerit; hinc imperitia artis ratiocinandi, & ignorantia severiorum disciplinarum abrepti, colligunt, de omnibus rebus, Religione cumprimis, utramque in partem disputari posse. Æque tamen nocent Pietati illi libri, qui de rebus obscænis agunt, quique eheu! a multo jam tempore pro classicis libris habiti sunt, quos fabulas Romanenses vulgo appellare solent. Præterquam enim, quod turpissimis affectionibus velificentur, religionem etiam ipsam sæpe reddunt suspectam: verum est in hujus furfuris scriptis directe dogmata Religionis non impugnari: at talia tamen in iis traduntur, ex quibus sinistræ de Religione opiniones facile enascuntur. Ita sæpe exponitur, quibus fraudibus, mendaciis, perjuriis, spreta omni Religione & fide, homines, turpissimi amoris flammis incensi, ad fines, quos intenderant, pervenerint. Ex quibus animus furore hoc cor-

correptus colligit, Religionis, ubi de ſedandis affectibus agitur, non adeo magnam eſſe habendam rationem. Sæpe etiam ut fabulæ conſtet ſuum πρεπον, & pravis cupidinibus fræna laxentur, animique legentium ſuaviter demulceantur, exponitur, qua ratione veneris delicia, per neſcio quas mirabiles plane vias, inter mille obſtacula, fine ſuo ſint potita. Ex quo homines amore impuro dementati plane, in eam incidere facile poſſunt opinionem, ac ſi hæc omnia non ſine ſingulari Numinis Provida cura ita eveniſſent. Denique his addimus lectionem diſertiſſimorum nequitiæ Magiſtrorum, qualis *Catullus*, *Tibullus*, *Petronius*, &c. auctores item feſcenninorum verſuum, &c. Novi quidem eos ſtudioſæ juventuti ſæpe commendari ob ſtyli puritatem & elegantiam: ſed præterquam quod ex aliis L. Latinæ Scriptoribus, quantum ſatis eſt ea quæ ad ſermonis latini naturam accurate cognoſcendam requiruntur addiſcere poſſit, omnes quotquot ſunt chriſtiani, omnia illa evitare debent, quæ teneros animos ad turpes motus commovere poſſunt. Major ſemper pietatis quam ſermonis habenda eſt ratio. Videatur de hoc negotio ultimum Caput pii & venerabilis ſenis (jam vero dum hæc ſcribo, cœlo recepti) J. Fr. *Oſtervvaldii de fontibus corruptionis inter Chriſtianos hodie Serpentis.* Sed hæc ſufficiant.

MEDITATIONIS DE CAUSIS MAGIS MAGISQUE INVALESCENTIS INCREDULITATIS, ET MEDELA HUIC MALO ADFERENDA.

PARS VIII.

Sect. I.

Recenſentur reliquæ cauſſæ Incredulitatis inter quas primo referenda Superſtitio. Hujus datur definitio.



Accedimus tandem bono cum Deo ad reliquas Incredulitatis cauſas enarrandas. Inter præcipuas autem merito referimus *Superſtitionem*, malum teterrimum & Religioni caſtæ, puræque valde adverſum. Apud Latinos pariter atque Græcos vocabulum hoc Superſtitio, & δαισιδαιμονια μεσον eſt, & in bonam & malam partem ſumitur, prouti viri Eruditi multis probarunt. Videantur quæ ad Act. c. XVII. 22. Corn. *Adami*, *Wolfius* in Curis ſuis, *Hammondus*, & alii in medium protulerunt. *Veteres* Superſtitionis nomine in genere intellexerunt religionem deliram quamcunque & anilem, in qua ineſt timor inanis Deorum, quemadmodum *Cicero* loquitur de *Nat. D. L. I. S.* 42. omnem inſuper importunam & ineptam religionem. *Theophraſtus* in ſuis Characteribus Superſtitionem ita definivit: Ἀμελει ἡ δαισιδαιμονια δοξειν εἰναι δειλαια προς το δαιμονιον: i. e. *Superſtitionem ſane definire poſſumus, meticuloſum erga Numen adfectum.* Iſ. *Caſaubonus* ad h. locum notat, alios Superſtitionem ita definiviſſe; quod δαισιδαιμονια ſit φοβος Θεων καὶ δαιμονων: ubi addit vir doctus ſequentia: *Theophraſtus* inquit, *voce* Δαιμονων *& Deos & Dæmones complexus*

plexus est, & quicquid Divinitatis esse particeps male sana putavit antiquitas. Nos latiore sensu sumimus Superstitionem, & per eam omnem Numinis, sive unius, sive plurimorum præposterum, id est rationi & Revelationi plane contrarium cultum intellectum volumus. Animus non est hoc loco de variis partibus Superstitionis & Idololatriæ agere; de iis Viri Docti, qui data opera hoc argumentum excusserunt, consulendi.

Veteres tamen Gentiles religionem a Superstitione distinxerunt.

II. Quanquam autem Gentilium luce Revelationis destitutorum religio superstitiosa valde fuerit, viri tamen inter eos docti, eam a Religione distinguendam esse voluerunt. Ad id probandum vel solus libellus *Plutarchi* de Superstitione sufficeret. Sed afferenda sunt quædam testimonia. Ita vero loquitur *Cicero de Nat. D. L. II.* Sect. XXVIII. *Cultus autem Deorum est optimus, idemque castissimus atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente voce veneremur; non enim Philosophi solum, verum etiam Majores nostri Superstitionem a Religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, sunt dicti religiosi ex relegendo ut elegantes, ex eligendo, tanquam a diligendo, diligentes, ex intelligendo, intelligentes. His enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem quæ in Religioso. Ita factum est in Superstitioso & Religioso, alterum vitii nomen, alterum laudis.* Hanc originem vocis superstitionis adducit *Lactantius Instit. Div. L. IV. S. XXXVIII.* eamque improbat: *Superstitiosi* (inquit) *vocantur, non qui filios suos superstites optabant (omnes enim optamus) sed aut ii, qui superstitem memoriam defunctorum colunt, aut qui Parentibus suis superstites colebant eorum imagines domi tanquam Penates Deos. Nam qui novos sibi ritus assumebant, ut Deorum vice mortuos honorarent, quo ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant. Eos vero qui publicos & antiquos Deos colerent, religiosos nominabant, unde Virgilius: Vana superstitio, veterumque ignara Deorum.* Quicquid autem sit de origine vocis hujus, inter Religionem tamen & Superstitionem discrimen magnum intercedere fassi sunt Doctiores inter Gentiles: Idem *Cicero Lib. II* de *Divinat.* dixit: *ut Religio propaganda etiam, quæ est juncta cum cognitione Naturæ: sic Superstitionis stirpes sunt eficiendæ. Casaubonus* citato loco ait. *Scite Varro apud Augustinum dicebat, Deum a religioso vereri, a superstitioso timeri: Seneca dilutius Epist. XLVII. Deo satis est quod colitur*

colitur & amatur: non poteſt amor cum timore miſceri. Melius idem alibi: *Religio Deos colit: Superſtitio violat.* M. Tyrius Serm. IV. pietatem a Superſtitione ſic diſtinguit: εἰ δε ἐςι καὶ ἀνθρωπος προς Θεες ἐπιμιξια; ὁ μεν ἐυσεβης φιλος Θεω, ὁ δε δαισιδαιμων κολαξ. Clariſſime vero ex libellis *Plutarchi* de *Iſide* & *Oſiride*, item de *Superſtitione*, patet, Veteres Religionem a Superſtitione diſtinxiſſe. In libello de *Iſide* & *Oſiride* pag. 378. ita loquitur: Ἐνιοι ἀποσφαλεντες πανταπασιν εἰς Δεισιδαιμονιαν ἐλιθον, οἱ δε φευγοντες ὡσπερ ἑλως την δεισιδαιμονιαν, ἐλαθον αὐθις ὡσπερ εις κριμνον ἐμπεσοντες την ἀθεοτητα. Et eodem loco mentionem faciens Superſtitionis Ægyptiorum ait: Αἰγυπτιων δε οἱ πολλοι θεραπευοντες αὐτα τα ζωα καὶ περιεποντες ὡς Θεες, ὁ γελωτος μονον ἐδε χλευασμε καταπεπληκασι τας Ἱερεγιας; ἀλλα τετο της ἀβελτηριας ἐλαχιςον ἐςι κακον, δοξα δε ἐμφυεται δεινη τες μεν ἀσθενεις καὶ ἀκακες εις ἀκρατον ὑπερεισδυσα την δεισιδαιμονιαν: τοις δε δριμυτεροις καὶ θρασυτεροις εἰς ἀθεες ἐμπιπτυσα καὶ θηριωδεις λογισμες. i. e. *Sed Ægyptiorum plerique colentes ipſa animalia & tractantes tanquam Deos non ſannis modo & irriſioni totam pene Sacrorum objecerunt rationem, (hoc enim a ſtultitia illa malum provenit minimum) ſed & vehemens animis ingeneratur opinio, quæ infirmis atque ſimplicibus meram inducit Superſtitionem: vehementiores autem ad negandos Deos belluinasque cogitationes propellit.* Idem repetit in libello de *Superſtitione* ſæpius.

Obſervanda ſunt hæc contra recentiores Deiſtas, qui, ubi de religione agunt, eamque omnium malorum, quæ quidem generi humano incumbunt, cauſam eſſe clamitant, ſuperſtitionem cum Religione confundunt. Sic mire ſibi placent, quando incidunt in verſus *Lucretii*, ubi ait: *Tantum Religio potuit ſuadere malorum!* item *Religio peperit ſceleroſa atque impia facta:* pariter mire ſibi plaudunt, cum de fraudibus Sacerdotum veterum Gentilium agunt, putantes, ſe ita jugulum petiiſſe omnium, qui V. D. M. & Theologi appellantur. Facile hoc exemplis *Tolandi*, *Collini*, *Paſſeratii*, aliorumque oſtendi poſſet, ſi res eſſet, de qua viri eruditi dubitarent. Juvat tamen in gratiam Eorum, quibus talia ſcripta ad manus non ſunt, unum alterumve teſtimonium adduxiſſe. *Spinozam* hominem fuiſſe Atheum, & omnis Religionis expertem, in vulgus notum eſt. Hic vero Religionem & Superſtitionem eodem loco habuit. Abunde hoc patet cum ex Syſtemate, quod ſecutus eſt, tum ex præfatione tractatui *theologico-politico*, præmiſſa. Ita enim incipit hæc præfatio. *Si homines res omnes ſuas certo conſilio regere poſſent: vel ſi fortuna ipſis proſpera ſemper foret, nulla ſuper-*

perſtitione tenerentur: ſed quoniam eo ſæpe anguſtiarum rediguntur, ut conſilium nullum adferre queant: & plerumque ob incerta fortunæ bona, quæ ſine modo cupiunt, inter ſpem metumque miſere fluctuant, ideo animum ut plurimum, ad quidvis credendum proniſſimum habent: qui dum in dubio eſt, facili momento huc atque illuc pellitur, & multo facilius, dum ſpe, & metu agitatus hæret, præſidens alias, jactabundus & timidus. Atque hæc neminem ignorare exiſtimo, quamvis plerosque ſe ipſos ignorare credam: & paucis interjectis: *Si quid porro inſolitum magna cum admiratione vident, id prodigium eſſe credunt, quod Deorum aut ſummi Numinis iram indicat, quodque adeo hoſtiis, & votis non piare nefas habent homines ſuperſtitioni obnoxii, & Religioni adverſi; eumque ad modum infinita fingunt, & quaſi tota natura cum ipſis inſaniret, eandem mirís modis interpretantur.* Sequitur *Spinoza*, quamvis ex alio fonte, ſententiam *Epicuri*, qui timori & ignorantiæ cauſarum tribuit, quod alii perſuaſioni conſcientiæ de Numine adſcribunt. Ita enim loquitur *Lucretius* Lib. VI.

Cetera, quæ fieri in terris cœloque tuentur,
Mortales, pavidis cum pendent mentibus ſæpe
Efficiunt animos humiles formidine Divum
Depreſſosque premunt ad terram: propterea quod
Ignorantia cauſarum conferre Deorum
Cogit ad Imperium res & concedere regnum.
Quorum operum cauſas nulla ratione videre
Poſſunt, ac fieri divino numine rentur.

Superſtitionem & Religionem in unam etiam claſſem retuliſſe videtur *Collinus*, in tractatu notiſſimo de *libertate cogitandi*. Saltem ita mentem ejus interpretatur Celeb. *Bentley* in libro cui titulus: *La Friponerie Laïque des prétendus Eſprits-forts.* Pag. m. 85. ita loquitur doctiſſimus Vir; *Ce mal ſi terrible* (de ſuperſtitione loquitur) *ce defaut ſi capital, ne ſe peut éviter ſelon lui, qu'en ſe rangeant au parti, qui penſe avec liberté: c'eſt à dire, dans le vrai ſens de ſon verbiage, qu'en renoncant à toute Religion. Choſe étrange! Il y a déjà deux mille ans que l'on a diſtingué & ſeparé la Religion de la ſuperſtition. Cependant cet Autheur les confond encore, & veut ſi bien, qu'elles ſoient la même choſe, & qu'à ſon avis on ne peut ſe guerir de l'une, qu'en ſe defaiſant de l'autre.*

III. Superſtitione prava captos, in *Deiſmum*, vel *Atheiſmum*, facile incidere poſſe, & rei natura, & confeſſio ipſorum Gentilium probat. Planus eſt locus *Plutarchi* jam jam adductus. Quod ſi vero ad naturam ſuperſtitionis rite attendas, *duplici* ratione id fieri poſſe, manife- Oſtenditur qua ratione homines ſuperſtitione deluſi, in Atheiſmum incidere poſſint.

nifestum erit. Qui ineptas de Numine, vel de Diis fovet opiniones; qui fictitios Deos vel creaturas religiose colit; qui non amore, sed servili metu Numinum tactus est; qui quosvis ineptos ritus admiratur, & nugacissimas opiniones, a Sacerdotibus traditas, admittit: Qui portenta quævis, inepta, & incredibilia pro divinis eventibus venditat, tumque demum se Numini placere existimat, si quam longissime recedit ab iis, quæ recta ratio & Revelatio, de Deo, cultuque ejus docent, perinde censendus, ac si omni Numinis cognitione esset destitutus: Quemadmodum enim is, qui negat Deum ullam curam gerere rerum humanarum, quantum in se est, omnia præsidia & incitamenta Deum colendi tollit, quamvis aliud sit asserere, Deum non dari, aliud, esse eum quidem, sed curam nullam gerere generis humani. Ita pariter si quis ridiculas plane & ineptas de Numine fovet opiniones; si ritibus ineptis placare Deum studet: & his vel Universum Religionis cultum, vel saltem id, quod in ea præcipuum est, absolvi putat, perinde plane agit, ac si Numinis rationali cultu, & cognitione careret. Si quis recentiorum pariter ac Veterum barbararum Gentium de Diis opiniones, ritusque Eosdem colendi, perpendit; Si cogitat quantam vim in animos hominum habeant opiniones cum lacte quasi materno haustæ, ridiculæ licet & ineptæ; si secum reputat, quam difficulter homines recedant ab iis, quæ a Sacerdotibus superstitioni pravæ deditis, tradita & inculcata sunt: facile deprehendet, fieri aliter non posse, quam ut mentes tantis tenebris obseptæ, & debili plane cognitione Religionis instructæ; nonnisi umbram Religionis pro cultu Numinis consectentur, & reliquiæ idearum de Numine tantum non penitus deprimantur. Unde quoties Veterum & recentiorum gentium opiniones de Diis legimus, quantam & quam incredibilem vim in hominum animos habeat superstitio, non sine stupore miramur, & dolemus. Hinc quidam Viri Docti omnem lapidem movere solent, ut Nationes quasdam antiquas pariter & modernas a Suspicione Ignorantiæ Numinis, vel Atheismi liberent. Qua ratione vero ita sensim sensimque homines, in ipsis Scholis quasi Superstitionis nati & educati, a cultu Numinis recedant, & loco illius, in stultissimis ritibus & opinionibus adquiescant, manifestum erit, si partim ad superstitionis vim, partim ad debilem cognitionem Numinis, quæ natura mortalibus inest, animos convertimus. Verum est, mentes humanas facultatibus ad Deum colendum & cognoscendum esse natura instructas; simul vero etiam in confesso est, non sine meditatione, studio, & acri mentis attentione

ad

ad accuratiorem Numinis cognitionem perveniri: Hoc norunt omnes, quot quot institutioni juventutis operam dederunt. Religio præcipue versatur circa res in oculos non incurrentes, sed circa cælestes, id est mente sola percipiendas: plerique vero mortalium solis sensibus ducuntur, & ad ea contemplanda & sectanda feruntur, quæ corporibus grata, atque accepta sunt. Certe, nisi mature accederet ingenua educatio, & institutio sedula atque prudens, plerique tantum non obbrutescerent. Hanc naturæ imbecillitatem bene agnovit *Cicero.* dicens: *Natura parvos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat; sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret; nunc autem simul atque editi in lucem & suscepti sumus, in omni continuo pravitate & in summa opinionum perversitate versamur; ut pœne cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero Parentibus redditi, id est Magistris traditi sumus, tunc ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat.* Tusc. quæst. Lib. III. S. 11. Hinc etiam videmus juvenes, non tam ad ea, quæ legibus divinis & humanis præscripta sunt, quam vero ad ea, quæ grata sunt, respicere. Quod si jam ad illam ingenii imbecillitatem, naturalem perversitatem, ac corruptionem accedat inepta & tetra superstitio, adeo ut pueri ab ipsa juventute nihil fere aliud audiant & videant, quam quod mentes opinionibus ridiculis imbuere potest, facile colligi potest, qualis futura sit illorum hominum Religio. Cum insuper pauciſſimi sint, qui Religionem excolant, & plebs, quæ maximam partem alicujus Nationis absolvit, corporis potius & pecorum, quam rationis curam habeat, fieri aliter non potest, quam ut homines, in ejusmodi locis, & inter homines superstitioni adeo deditos nati & educati, ineptissimis & perversissimis de Religione sententiis imbuantur. Hoc autem obtigisse opere ipso, tristis eheu! docet experientia. Verum quidem est, habuisse non tantum Barbaros sed & græcos & Romanos, suas scientiarum officinas & scholas. At in iis non tam ea tradebantur, quæ ad verum Numinis cultum facere poterant; sed quæ ad civilem vitam, artesque hominibus utiles, v. gr. ad Eloquentiam & disserendi peritiam comprobandam plurimum conferre poterant. Vide eruditum libellum *Wovveri de Polymathia Veterum.* Pone vero in his Gymnasiis Religionis etiam habitam fuisse curam, non poterat ea alia esse, quam publice recepta & Sacerdotibus probata. Jam vero notum est, Gen-

tes omnes, Revelationis luce destitutas, detestandæ superstitioni immersas quasi fuisse; hinc religionis præcepta, ultra quædam legis naturæ dictata eaque valde corrupta, vix extendebantur. Quod si ad Eos spectes, qui Religionis & rationis culturam promovere tenebantur, manifestum erit, plurima eos tradidisse, quæ ad notiones de Numine puriores potius obscurandas & pervertendas, quam vero ad eas elucidandas & commendandas facere poterant. Quis nescit Poëtas talia de Diis & Deabus tradidisse, quæ castas mentes non poterant non vehementer offendere? Fatetur hoc ipsum *Cicero*, loco jam jam laudato: *Accedunt* (inquit) *etiam Poëtæ, qui cum magnam speciem doctrinæ sapientiæque præ se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur & inhærescunt penitus in mentibus.* Hoc adeo erat notum, ut prudentes inter Gentiles viri, Platonici & Stoici potissimum, ea, quæ de Diis tradebantur a Poëtis, physice voluerint explicare, remque adeo pudendam honesto titulo exornare: Et si quædam de virtute & honestate scriptis hisce hinc inde inspersa erant, nihilominus ea publicis opinionibus erant attemperata, & absurdis de Diis commentis depravata. Philosophi potius de rerum omnium origine, innumerisque sophisticis quæstionibus explicandis, quam vero de vera, castaque Religione tradenda, & superstitione ex animis hominum evellenda, erant soliciti: cultus publicus ad leges non Philosophorum, sed Sacrificulorum, hominum vanissimorum & astutorum Impostorum, erat exigendus. Hunc qui rite; i. e. ex horum hominum mente perageret, pro religioso habitus erat. Quæ hic breviter exposita sunt, copiose, & erudite sunt excussa, a *Celeb. Barbeyracio*, in *doctissima præfatione*, *versioni operis Puffendorfii*, *præmissa*, quam veri amantes non sine fructu legere poterunt. Sed accedebant alia plura quæ Homines, acutioris inprimis ingenii pervertere, & religionem omnem explodendi opportunam occasionem suppeditare poterant, quæ strictim, quia res nota valde est Eruditis, exponere juvat. Huc pertinent ante omnia *Oracula*, quæ Numinis voluntatem Sacerdotibus revelare tradebantur; ubi tamen facile ab iis, quibus mens non læva fuerat, impostura detegi poterant, & non semel detectæ sunt; non certe Diaboli artibus sed Sacerdotum fraudibus deberi, illa responsa passim data, hodie inter Doctos fere Omnes, receptum est. Homines insuper sæpe nequissimi in Deorum numerum referebantur, quorum vita turpis & detestanda, plerisque plane nota erat. In quibusdam festis, v. gr. *Bachi*, talia committebantur scelera, quæ ennarrare pudor prohibet: quod si quis tamen vel pudenda illa

scelera,

scelera, vel ritus detestandos, propalare aggressus erat, pro homine atheo, & capitis pœna digno, habendus erat. Vid. August. de *Civ. Dei Lib. VII. cap. 20.* & *Lib. XVIII. cap. 5.* Neque semel factum, ut Sacerdotes sceleratissimi, in templis & locis, ubi oracula fundi dicebantur, uxores & virgines compresserint, idque a nescio quibus Diis, formam hominum scilicet induentibus, factum, asseveraverint. Vide *Herodot. Lib. I. Joseph. antiq. Lib. XVIII. p. 622. De Paulina ope Sacerdotum Isidis vitiata, vide Ruff. Hist. Eccl. Lib. II. cap. 25.* Iidem impudentissimi nebulones tamen contendebant, per se solos Deos conciliari, & variis purgationibus, lavacris, & sacrificiis, peccata quævis elui, & condonari, quum tamen id ipsum vel perspicacissimi inter Gentiles ipsos negarent. Videatur vel solus *Cicero Lib. de legibus.* Et qualis tandem ars erat illa adeo celebrata *Haruspicina?* meræ fraudes, quibus plebi illudebant, adeo quidem, ut ipsum *Catonem* dixisse referant, mirari se, Haruspicem, videntem alium, eandem artem exercentem, a risu sibi temperare posse. Denique, ut alia mittam, multi politici ordinis viri, ut majorem auctoritatem sibi conciliarent, nonnisi perpetuis Deorum consiliis sese uti, fingebant. Unum, sed commemorabile exemplum duntaxat afferam, quod suppeditat *Livius Lib. XXVI. cap. 19.* Describit hic ingenium moresque *Scipionis.* *Fuit Scipio*, (inquit) *non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab juventa in ostentationem earum compositus: Pleraque apud multitudinem, aut per nocturnas visa species, aut velut divinitus, mente monita, agens: Sive ut ipse capti quadam superstitione animi, sive ut imperia consiliaque velut sorte oraculi missa sine cunctatione assequeretur. Ad hoc jam inde ab initio præparans animos, ex quo togam virilem sumsit, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quam in Capitolium iret, ingressusque ædem consideraret & plerumque tempus solus in Secreto ibi tereret. Hic mos, qui per omnem vitam servabatur, seu consilio seu temere, vulgatæ opinioni fidem apud quosdam fecit, stirpis eum divinæ virum esse, retulitque famam in Alexandro prius vulgatam & vanitate & fabula parem, anguis immanis concubitu conceptum & in cubiculo matris ejus persæpe visam prodigii ejus speciem, interventuque hominum evolutam repente atque ex oculis elapsam. His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est; quin potius aucta arte quadam, nec abnuendi tale quidquam nec palam affirmandi. Multa alia ejusdem generis, alia vera, alia adsimulata, admirationis humanæ in eo juvene excesserunt modum: quibus freta tunc civitas, ætati haud quaquam maturæ tantam molem rerum, tantumque Imperium permisit.* Similibus fraudibus

dibus usum *Muhamedem*, & primos illius successores; cum ex vita hujus Impostoris a Viris doctis conscripta, tum ex recentissima *Eruditissimi Okley historia primorum Calipharum* constat. Quis autem, miretur, homines in illis tenebris natos, totque impostoris circumventos, & Sacrificulorum fraudibus delusos, omnem fere religionem animis excutere, aut saltem levem duntaxat aliquam speciem religionis retinere? Atque ita facile patet, qua ratione superstitio, homines, plebem inprimis, in Atheismum præcipitare potuerit. Fieri id vero etiam potest alia ratione. Notum est inter Græcos & Romanos, (ut de Barbaris nationibus nil dicam) fuisse Viros, judicio, & ingenio excellentissimos; neque dubium est, quin illi albis dentibus patriam illam religionem, jactata passim miracula, Haruspicum fraudes, narrationes de Deorum apparitionibus, concubitibus &c. riserint. Testimonia hujus rei extant plurima. Cum vero ab altera parte debilis plane fuerit Theologiæ naturalis cognitio, uti ex Systematibus Veterum Philosophorum abunde patet, fieri aliter non potuit, accedentibus pravis affectibus, adversus quos in Theologia illa Gentilium non satis præsidii reperiebant ad eos refrænandos, quam ut multi religionem ipsam cum superstitione simul animis penitus excusserint, præsertim cum doctrina de mentis immortalitate, debili plane fundamento fuerit superstructa, magnusque esset Philosophorum de hoc argumento dissensus:

Superstitio inter Christianos grassans, ad Incredulitatem promovendam plurimum confert.

IV. Hactenus vidimus, qua ratione superstitio, homines, luce Revelationis destitutos, facile in Incredulitatem conjicere possit: jam vero paucis adhuc dicendum de Superstitione, inter christianos grassante, & de periculo, quod inde Religioni imminet. Notum est in florentissimis Europæ locis (ut de Superstitione novo orbi illata, jam nil dicam) valde adhuc grassari turpem & Christianis indignam superstitionem. Animus non est rem exaggerare, aut omnibus promiscue Scriptoribus & Itinerariorum fabricatoribus, fidem habere. Neque etiam sola fide Protestantium eorumque testimoniis niti vellem, si probare aggrederer, data opera, quanta adhuc in cœtibus Pontificis religioni addictis, regnet Superstitio, quodve Sacerdotes Superstitionis auctores & promotores, in augendis ineptis ritibus, v. gr. circa reliquias, cultum sanctorum, vel ignotorum vel notorum; circa cultum Mariæ; Canonisationem Sanctorum, &c. modum omnem excesserint: passim etiam falsa miracula pro veris venditata, & Sanctos plane in rerum natura non existentes, religiose tamen cultos fuisse, fassi sunt Viri Ecclesiæ R. Doctissimi, *Mabillonius*, *Thiersius*, *Launojus*, quem

Galli

Galli *le Denicheur des Saints*, appellabant, *Baluzius*, *R. Simon*, *Dupinius*, *Illustris Auctor delineationis Ecclesiæ vere Catholicæ*, *Muratorius*, & plures alii. Testimonia in re nota satis, non adduco. Neque mihi dubium est, in Ecclesia Romana, gallicana præcipue, reperiri plures Viros Doctos, qui non minus quam Protestantes, ea, quæ ad superstitionem alendam manifesto facere possunt, sublata vellent, si absque metu Tribunalis Inquisitionis, vel Jesuitarum, id fieri posset. Solent Viri Docti hujus Ecclesiæ, quando illis cultus ille superstitiosus, & magnus rituum ineptorum apparatus objicitur a Nostris, inter alia respondere; non omnia, quæ ipsa praxi adprobari a plebe cumprimis, videantur, inter articulos fidei Ecclesiæ referenda, neque ad Essentiam Religionis Catholicæ pertinere; Quantum valeat hæc responsio, jam non quæram, cum hic animus non sit, in controversiarum campum exspatiari. Hoc tantum dico, me concipere nimirum non posse, quo jure Doctores Pontificii asserere possint, multa, quæ de reliquiarum valore, cultu sanctorum, aquæ lustralis efficacia, & multis aliis opinionibus, & superstitiosis ritibus dicuntur, inter fidei articulos & ritus ab Ecclesiæ R. membris observandos referenda non esse, cum tamen manifestum sit, & Scriptorum Ecclesiæ R. publicis testimoniis confirmetur, opiniones omnes, de cultu sanctorum reliquisque ritibus Ecclesiæ R. receptis, a *Missionariis Indiæ utriusque*, *& Africæ populis*, ad Religionem Christianam convertendis, credendas injungi. Inter Ecclesiæ R. Doctores Eruditissimos referendum R. *Simonem*, concors est omnium sententia. Hic vero publice taxavit consuetudinem Missionariorum miseris Gentilibus tot superstitiosos ritus & opiniones, nullis Revelationis testimoniis innixas, imo ab Eadem vetitas, imponentium. Pag. 83. *Biblioth. suæ Criticæ* ita loquitur: *Il auroit été à desirer, que les Missionaires n'eussent point porté dans les Indes la meilleure partie de nos devotions & de notre culte exterieur, pour ne pas donner lieu aux peuples grossiers de ce pays-là de se figurer, que la Religion chrêtienne ait rien de commun avec la leur. Car ce n'est pas ainsi que les Apôtres en userent, pour toutes les ceremonies de la Synagogue aussi bien que pour celles de la Gentilité. On ne peut rien voir de plus simple que les Rites de la primitive Eglise, & en effet ce n'est point par la conformité de notre culte avec celui des Juifs ou des Gentils, qu'on leur fait sentir la fausseté de leur Religion: c'est au contraire parce qu'il y a de singulier. Outre qu'il ne paroit gueres possible de faire bien comprendre à des Neophytes, que nous n'avons qu'un seul Mediateur au milieu de cette multitude infinie de Saints, qu'on lui joint,* &

& dont les fêtes se celebrent même quelquefois avec plus de solemnité que les siennes. Que peuvent-ils encore penser, quand on les charge d'images, de chapelets, de scapulaires, & de reliquies aussi-tôt après leur Baptême? & n'est-ce pas là étouffer leur Foi, à force de vouloir lui donner des appuis? La Science des Eglises naissante est, de ne connoitre que Jesus Christ, & Jesus Christ crucifié: le surplus étant seulement accessoire, doit être reservé à un tems plus convenable. *Hoc candidum & verissimum* judicium Viri Doctissimi valde displicet *Laubrusselio* Jesuitæ, in libello de *abusu artis Criticæ.* *En leges* (inquit) (utor versione Cl. *Weismanni*, quia libellus jam non est ad manus) *quas dictat Ecclesiæ Critica, non quæ fulta est ratione, sed quæ prodit ex fundo malæ Incredulitatis. Cur quæso eximere oportet Christianis bene institutis opem auxiliorum seu exercitiorum, mentem ad Deum elevantium? cur negare plantis recentibus cultum salutarem?* & mox: *In quam confusionem incideremus, si pretextu evitandi scopulos praxeos inusitatæ, quam placet nonnullis abusuum titulo insignire, cuivis liberum esset suo frui ingenio. Mox eversa essent omnia. Tollerentur statim pietatis quæcunque fulcimenta. Et quid tandem devotionibus istis in exilium actis substituerent nostri Critici præter monstrosam insensibilitatem respectu omnium eorum, quæ refocillant & resuscitant pietatem, vel mille dubia super iis, quæ optime stabilita sunt. Imo relinquant nobis in pace NB. ignorantiam nostram qua fruimur, & quam longissime præferimus contentiosæ & litiganti illi scientiæ, quæ nonnisi lites parit & scandala?* Quantum valeat hoc judicium hujus Jesuitæ, & quam acutum hoc ipso Criticum se se probet, hoc loco non disquiram; Hoc unum ex his verbis constat, Judicio hujus Jesuitæ, & ita etiam sanioris & orthodoxæ Ecclesiæ Catholicæ consensu, opiniones superstitiosas, & cultum ridiculum plane & ineptum, ita ad *fidem catholicam* pertinere, ut necesse sit, iis imbui Gentiles, ad cognitionem Religionis Christianæ adducendos. Et profecto ex ipsorum Missionariorum Scriptis, ubi statum & progressus Gentilium in Religionis christianæ cognitione exponere solent, patet, Eos tenacissime inhærere opinionibus, & ritibus ineptissimis qui in ipsa Europa recepti sunt. Legantur *Les Lettres édifiantes des Missions étrangeres*, quæ Parisiis eduntur. *Zuiccbelli Itinerarium* & inprimis collectio quæ titulo: *Allerhand so lehr-als geistreiche Brief, Schriften und Reiss-Beschreibungen von denen Missionariis der Gesellschaft Jesu*, &c. per *Stöklinum*, Augustæ Videlicorum edita est. Copiose & erudite ex his, & aliis monumentis, id quod probare intendo, necessario sequi, ostendit Clarissimus Tübingensium Theologus *Ch. Eb. Weismannus* in oratione

tione de *virtutibus*, *vitiis*, & *Fatis Missionum*, *quas R. Ecclesia per omnem terrarum orbem*, *convertendarum Gentium gratia*, *instituit Tubingæ* 1744. 128. cum aliis edita. Nos Strictim, specimina quædam duntaxat dabimus, quoniam data opera de hoc argumento agere animus non est. Inter ea, quæ nos improbamus in Romanensibus, merito referimus cultum ita dictorum Sanctorum. Qualis sanctus fuerit *Franciscus Assisius* notum Eruditis. Hic vero, ut in aliis orientis regionibus ubi *Capucini* & *Franciscani* Missionis munere defunguntur, sic in primis in regno peruviano quammaxime colitur, teste *Monſ. le Gentil.* in Itinerario, *ou nouveau voyage autour du monde.* Hic. pag. 99. Tom. I. narrat indulgentias plenarias concedi illis, qui singulari devotione *S. Francisci* commoti, ad Monasterium Franciscanorum, quod est in urbe *Lima*, exornandum aliquid conferunt. Quale sit Monasterium fratrum illorum, qui voto *paupertatis* sese obstrinxerunt, ita enarrat Auctor: *Le plus beau & le plus grand Monaſtere, eſt celui des Peres Cordeliers, qui occupe un terrain conſiderable. Il a ſept cloitres, & il n'en peut gueres moins avoir, attendu le nombre des Religieux qui compoſent cette Communauté. J'en comptois 600. au Chœur le jour de la fête de S. François. On m'aſſura que les Ornemens de l'Egliſe montoient ce jour là à plus de dix millions de Piaſtres: on ne pouvoit rien voir en effet de plus magnifique. In diſputatione aliqua philoſophica hanc theſin fuiſſe propugnatam ait: Divus Franciſcus Pater noſter ante ſuſcepta Vulnera non potuit peccare mortaliter, & poſt illorum ſuſceptionem nec venialiter quidem.* Neque dubitamus, quin Monachi illi, divinis honoribus elaturi sint *Franciscum*, postquam aliunde constat, quibus titulis illum exornarint dudum: Cl. *Ruchat Hiſt. de la Reformation de la Suiſſe* hæc refert; *On trouva dans le Couvent des Cordeliers de Rive un tableaux. On y voit François d'Aſſiſe leur Patriarche repreſenté ſur la figure d'un gros ſep de Vigne, d'ou ſortoient pluſieurs beau ſermens habillés en Cordeliers avec cette Inſcription tirée de l'Evangile* Joh. XVI. *Je ſuis le vrai ſep, & vous êtes les Sermens.* Adde *Usserium de Succeſſ.* Eccl. p. 323. & *Hottingeri Wegvveiſer* T II. pag. 263. In epistolis Jesuitarum, gallico idiomate editis, reperiuntur plurima testimonia, ex quibus manifestum est, *Xavierium* divino honore coli a miseris gentibus. Adducamus quædam Exempla. P. *Martinus* Jesuita Tom. V. p. 49. ita scribit ad *Gobienum* ejusdem Societatis Socium. *J'arrivais à Cotate peu de jours avant la fête de S. François Xavier. J'y fus témoin de l'affluence extraordinaire de peuple, qui s'y rend tous les ans pour cette ſolemnité. On y accourt de vingt & trente lieuës à*

la ronde: Quand l'heure de la grande Messe fut venue, on fit sortir de l'Eglise les Gentils, & alors un de plus fameux Missionaires du pays étant monté en chaire à l'une des portes de l'Eglise, pour être entendu également au dedans & au dehors, prononçant le Panegyrique du Saint. Après avoir exposé les travaux de l'Apôtre dans la predication de la foi au Royaume de Travancour, au Cap de Comoxin & à la Côte de Pécherie, il s'étendit sur les prodiges qu'il avoit faits, & qu'il continuoit de faire chaque jour dans l'Eglise de Cotate. pag. 26. ejusdem tomi ex his miraculis quæ a Xavierio edi dicuntur, Religionis Catholicæ veritas probatur. *Il y a* (inquit) *dans la ville de Goa presque autant des Prêtres & des Religieux que des Seculiers Européans; les ceremonies de la Religion s'y font toutes avec autant de dignité & d'appareil que dans les premieres Cathedrales de l'Europe: le corps de S. François Xavier tonjours entier, y a été jusqu'ici un miracle contiuel &* NB. *une preuve authentique de la verité de notre sainte Religion.* Idem affirmatur pag. 38. hujus epistolæ. Vide item Tom. XV. pag. 45. Ibid. pag. 325. ita loquitur Jesuita *Bouchet: Nos Neophytes ont pareillement une devotion tendre & affectueuse envers les Saints, dont ils implorent l'intercession dans leurs besoins. Ceux qu'ils invoquent le plus souvent, sont leur Ange Gardien, leur Patron S. Joseph, S. Jean Baptiste, S. Michel Protecteur de notre Mission, S. Pierre & S. Paul, S. Thomas l'Apôtre de ces contrées-là, S. Ignace & S. François Xavier. Il n'y a guere d'années que ces bons Chrêtiens ne ressentent les effets d'une protection particuliere des Saints, auxquels ils sont le plus devoués, surtout de S. François Xavier, qui dans le ciel n'a pas oublié les peuples, qui ont été les premiers objets de son zéle.* Narratur deinde, Neophytum quendam a militibus funiculis arbori alligatum, invocato *Xavierio* per miraculum liberatum, vide Tom. III. pag. 192. 204. plura exempla non adduco. Deberent autem Jesuitæ meminisse eorum, quæ de Sanctorum vitis ipsimet monuerunt, in commentariis Trivoltiensibus ad Annum 1707. Mens. Maj. & Juin. pag. 69. *Tout le monde* (inquiunt) *sçait, que ceux, qui ont composé les Legendes, ont eu plus de soin de ramasser ce qui pouvoit causer de l'admiration au Peuple, & faire honneur au Saint, dont ils écrivoient la vie, que de faire le discernement des histoires fausses d'avec les véritables.* Rationi & naturæ religionis contrarium esse, ignota plebi lingua uti in cultu sacro, omnes fatebuntur, quotquot sapiunt. Missionarios autem, hoc non obstante, latina tamen uti lingua apud Indos, & alios gentiles, ex iisdem Missionariorum editis scriptis, patet. Vide commemorabilem Epistolam Philippi *Coupleti*

Je-

Jesuitæ, insertam *Bibl. Bremensi* Tom. V. pag. 618. sq. & adjectas textui notas Eruditissimi *la Croze* τὰ νῦν ἐν Ἁγίοις. Improbamus in pontificiis, quod S. Literas omnibus promiscue legendas non communicent, in quibus tamen solis traditur salutaris doctrina Jesu Christi. At & inter Gentiles, quos ad amplectendam religionem Christianam adducere volunt, hanc consuetudinem servant, & versiones nullas S. Literarum illis in manus dare volunt. In continuat. XXIII. Narrationis progressuum Relig. Christianæ & Missionis Malabaricæ pag. 324. hæc narrat. Rev. *Schulzius: cum Maliaporæ Episcopum R. Catholicum visitassem, cum alio quodam Viro ordinis Ecclesiastici de religione contuli: Ille vero cum vidisset Biblia Malabarica a Nostratibus Tranquebariæ edita, hoc institutum non probavit, sed expresse professus est, non expedire ut hæ margaritæ gentilibus, tanquam porcis projiciantur.* De hoc argumento ita loquitur Celeb. la Croze, in additamentis, *Copleti* Epistolæ adjectis; *Rex vetustissimi Imperii Congo in Africa jam ab Anno MCCCCXCI. una cum tota gente sua Lusitanorum Religionem amplexus est, licet ab ea ætate, quicquid egerint, primo Lusitani Sacerdotes & Monachi, deinde Lojolitæ, subinde vero Capucini, nullam formam Ecclesiæ christianæ, etiam pontificiæ, hæ gentes induerint; nimirum quod neque S. Literarum cognitione imbuantur, neque indigenas concionatores habeant. Quam in rem digna est quæ legatur Antonii Zucchelli Capucini harum rerum descriptio edita Venetiis A. MDCCXII. Quisquis attenderit ad innumeros Monachos & Sacerdotes Pontificios jam à ducentis annis in Asiam & Africam missos, jure mirabitur, tam exiguum tot sumtuum & laborum fructum apparere nec vel unam gentem Sacra Pontificiorum esse amplexam; cum tot aliæ in India Orientali intra brevius temporis spatium Mubamedismo nomen dederint. Scio doctissimum Maraccium in præfatione ad refutationem Alcorani arbitrarias quasdam hujus diversitatis causas comminisci: rem enim fatetur: at manifestum erit, propositas ab utraque parte rationes perpendenti, hoc idcirco fieri, quod Evangelium & cæteros N. Testamenti libros bis gentibus Pontificii Sacerdotes abscondant, Mabumedanis e contrario Alcoranum suum ultro obtrudentibus. Hinc nemo non laudaverit Danicorum Missionariorum Ziegenbalgii præcipue* τὸ Μακαρίτης *prudens consilium, qui Christianæ Religionis prædicationem apud Indos Malabarenses a N. Testamenti versione feliciter auspicatus est.* Hactenus Vir ille doctus. Mirum vero est, Eosdem Missionarios, dum S. Literas miseris gentibus occultant, in omnibus minutis superstitionibus, opinionibus, & ritibus inculcandis tantam tamen tamque incredibilem navare operam: audi-

vimus supra ingenuam confessionem Episcopi illius Maliaporæ. Ex collectione vero illa Stökliniana, *Zucchellio*, & Literis illis, quæ vocantur *edifiantes*, abunde hoc patet. Utramque (verbis utor Cl. *Weismanni* Orat. supra citatæ pag. 289.) hic in Commentariis Missionum paginam faciunt, To *Ave Maria*, *Rosaria*, *Agni Dei*, *aqua lustralis*, *fraternitates*, *processiones*, *auricularis confessio* (quam jugiter miseris gentibus eam inculcent Missionarii, & qualia de hoc argumento catechismis tradita comprehendantur, vide Cl. *la Croze Hist. du Christianisme des Indes pag. m. 679. Edit. Germ.*) *jejunia hebdomodaria*, *Sanctorum invocationes*, *flagellationes*, *aliaque id genus plura*, *eaque notissima : Docentur miseri homines perpetuo in ore habere formulam Hispanorum: laudes immaculatæ virgini & sanctissimo Altaris Sacramento sc. in ciborio repositio atque in templis prostanti*, *ad cultum perpetuum.* Tantum vero abest, ut viri prudentes & Cordati inter Pontificios talia Gentilibus inculcanda putent, ut potius asserant, a Religione Catholica tales opiniones & ritus abesse debere. Illustris Auctor *Delineationis Ecclesiæ vere Catholicæ*, qui viris doctis, Germanis certe in pretio est, ita mentem suam de hoc argumento aperit l. cit. pag. 252. *Fehrner sind nicht vor Römisch-Catholisch, am vvenigsten für allgemein catholisch zu halten, alle sonderbare Andachten und Nebencultus, als da sind : Des Rosenkranzes; des Scapuliers; von St. Augustinus Gürtel; von St. Franciscus Stricke; zu diesem oder jenem Bild : Item die Bruderschaft dieser und jener Heiligen; vvie ingleichem die auf etliche Wochen, Tage oder Stunden, gesetzte Devotiones und Andachtsdienste zu gevvissen Heiligen und dergleichen,* pag. 254. *Weiter ist nicht vor Römisch-Catholisch, noch vveniger vor allgemein catholisch zu halten, die übermässig grosse und fast alleinige Verehrung und Anruffung der Heiligen : vvorbey des lieben Gottes (ausser vvas etvvan in der Mess, bey vvelcher doch auch die meisten durch Recitierung des Rosencranzes und heimlicher Ablesung allerhand Gebetter ihre Andacht zu der Mutter des Herrn oder andern Heiligen richten) fast ganz vergessen, selbiger vvenig und nur obenhin angebettet, auch auf Ihn nicht das Vertrauen allein, sondern de facto vveit mehr auf die Heiligen gesetzet vvird.* pag. 264. *Noch vveiter ist nicht für Römisch-Catholisch, vielvveniger für allgemein Catholisch zu halten die Einbildung, so die Occidentalischen Christen vvohl des mehrentheils eingenommen hat, dass in denen genannten Gnaden-Bildern der heiligen Jungfrau und Mutter des Herrn eine gevvisse göttliche Kraft stecke, Gnaden zu ertheilen, Krankheiten zu heilen und Wunder zu thun. Daher geschiehet es auch, dass sie zu einem*

Bild

Bild mehr Andacht und Zuversicht tragen, als zu einem andern, nachdem sie davor halten, daſs eines mehr Kraft und Macht zu helffen habe, als ein anderes. Zu einem der Einbildung nach recht kräftigen, lauffen sie mit Hauffen, bringen Geschenke, zünden Wachskerze demselben zu Ehren an, oder opferen sie, liegen davor auf den Knyen, und betten das Bild (von dem gemeinen Mann kan man es je nicht läugnen) durch einen vvahrhaften Gottesdienst an. pag. 274. Es ist nicht zu zvveifflen, daſs der Cultus derjenigen, die heutiges Tags so grosse Andacht zu denen also genannten Gnadenbildern tragen, der Heyden ihren gleich gehe. Wenn einmal ein solches Bild in Ruff kommen ist, so glaubet man festiglich, es befinde sich darinnen eine himmlische Kraft, die demselben einverleibet sey, und sich bey selbigem ausbreite. Daher kommt es, daſs man die Rosenkränze, Tüchlein, Gebetbücher, Bilder, Ablaſsgroschen, Kreuzlein und andere Ding daran halt oder reibet. Man glaubt sodann, daſs durch das Bild eine übernatürliche Kraft in diese Ding gleichsam transplantiret vverde. Hätte man diese Opinion von diesen Bildern nicht, so vväre kein Ursach anzuzeigen, vvarum man an dergleichen Orten lieber als an anderen die Heiligen anruffe, und bey selbigen mehr als anderswo ihrer Hülff sich getröste. Also überredet man sich festiglich, vveil man es gern haben vvil, der Heilige, der durch die Statuam repræsentiret vvird, præsidire unfehlbar diesem seinem Bilde, auf eine ganz besondere Weise, und vvürke dabey Wundervverke. Derovvegen gehet man Wallfahrten dahin, und nicht an einen anderen Ort. Man ist auch der beständigen Meynung, daſs die Hülffe vom Himmel und die Kraft der Heiligen so fest an dieses gevveybete Bild gebunden sey, daſs vvann selbiges zerfiele oder vvegkäme, alsdann auch der Heilige aufhören vvurde an diesem Ort zu seyn und Wunder zu thun. Taceo alia hujus Auctoris loca. Loco Evangeliorum, *Xavierii* Historia Jesu Christi, & Apostoli Petri plenissima fabulis & mendaciis, inter Indos prostat. Ein anderer Jesuit, (Ejusdem Cl. la *Croze* verba sunt) der Pere Alexander von Rhodes hat einen historischen Catechismum in Tonquinischer Sprache geschrieben, nebst einer lateinischen Version, in vvelchem man auch lauter solche Fabeln findet, vvelche zu nichts dienen, als die Römische Staats-Religion und des Papsts Authoritet den Leuthen beyzubringen. Ex citatis Epistolis Jesuitarum hoc quammaxime constat. Afferamus quædam testimonia. Tom. XXIII. pag. 150. miles ope reliquiarum quarundam, collo suspensarum, ab obsessione Diaboli liberatur. Ibid. pag. 397. narrat Jesuita *Wibault*, incolas Philippinarum Insularum singulari

gulari devotione colere Mariam, eamque plurima in his terris patrare miracula. Tom. XVIII. pag. 26. 27. laudatur ſtudium Indorum in celebrando feſto S. Mariæ. Ibid. pag. 393. Jeſuita *Barbier* laudat ſtudium chriſtianorum & miram devotionem incolarum Inſulæ *Carnatæ* in frequentandis ſanctis proceſſionibus: *Il y a* (inquit) *un autre ceremonie qui s'obſerve inviolablement parmi les Portugais. Ils choiſiſſent un Dimanche de Carême, quils nomment Domingo da Cruz. On repreſente dans une Proceſſion N. S. portant ſa croix. Cette ceremonie ſe fit avec un ordre admirable. La Statue de N. S. étoit faite au naturel, quoique de grandeur plus qu'humaine; elle étoit poſée ſur un brancard, & le Sauveur étoit repreſenté à genoux & portant ſa croix. Vingt-quatres hommes portoient le brancard, & le Pere en chape tenant un crucifix voilé ſous un dais violet, terminoit la Proceſſion. Les ſtations qu'on faiſoit de tems en tems, joint au chant lugubre & pénitent nous pénetrerent de devotions. La Proceſſion fit le tour du quartier par quatre ruës tirées au cordeau. Mais ce qui m'édefie le plus fut, la demarche grave & modeſte avec laquelle ſe fit la rencontre d'une autre ſtatue repreſentant la Sainte Vierge, & d'une troiſieme repreſentant S. Veronique avec ſon voile empreint de la ſainte face de N. S. Ces ſortes*, NB. *de repreſentations ont quelques choſes de majeſtueux & touchant: elles frappent extraordinairement ces peuples & moi-même, je ne pus m'empêcher de repandre des larmes.* leg. pag. ſq. 394. & 395. Tom. XVII. pag. 300. narratur, Miniſtrum quendam Anglum, cum Canadenſibus Neophytis collocutum fuiſſe, atque riſui expoſuiſſe Sacramenta Eccleſiæ Romanæ, purgatorium, invocationem S. Scapulare, crucem & imagines. Ex reſponſione Jeſuitæ *Rasles* manifeſtiſſimum eſt, talia dogmata miſeris gentibus ſolicite tradi. Vide Tomum XXV. pag. 61. & ſq. in quibus pietas quorundam Gentilium Americæ Meridionalis, laudatur, & inde judicium fer de religione Miſſionariorum pariter & gentium iſtarum. Vide Tom. XIII. pag. 246. ſq. Tom. XVI. p. 143. aſſerit Jeſuita *Caron*, magnificentiam externam & cærimoniarum apparatum, in publicis feſtis adhibita, multum conferre ad venerationem quam de myſteriis Religionis habeant. Loquitur Jeſuita de incolis Inſulæ *Carnate*. *A dix heures du ſoir* (inquit) *je commençai dans une vaſte pleine une belle proceſſion ou l'on porta ſur un brancard bien orné la ſtatuë de la S. Vierge. La nuit fut eclairée par trois cens flambeaux, & par quantité des feux d'artifice, qui joüoient ſans diſcontinuer. Une grande multitude des Chrétiens & d'Idololatres furent charmés de cette ceremonie, qui dura depuis dix heures du ſoir, juſqu'à trois heures du matin.*

tin. L'appareil de ces sortes de fêtes contribuë beaucoup à donner aux Indiens une grande idée de nos Mystéres. Vide Tom. IX. pag. 235. ubi Jesuita *Martinus* simili utitur oratione. Eodem Tomo pag. 354. sq. morbi gravissimi ope *aquæ benedictæ*, *Scapularis*, & *Crucis*, *sanati* dicuntur. Idem asseritur Tom. VI. p. 94. Legi omnes illas epistolas a Jesuitis editas, at nullibi legi Neophytis Evangelia vel Novum Testamentum tradita vel commendata fuisse, sed longe alia. Tom. IX. p. 179. cum Jesuita *Martinus* nobilem fœminam baptizasset, *Je lui* (addit) *fis present d'un Chapelet de jais dont ces peuples fond grand cas, de quelques Medailles & d'un Agnus Dei. Ces marques de notre Sainte Religion me dit-elle en les recevant me sont infiniment plus pretioses que l'or, les perles* &c. Ut gratum autem pro his testaretur animum hæc fœmina, statuam Mariæ, ibi locorum positam, exornari jussit. Tom. XVI. in epistola Celeb. Jesuitæ du *Halde* ad Jesuitas Gallos, refertur, singulis annis Catechistas mitti in Chinam, qui (ut verbis ipsius utar) *y raniment la foy des Neophytes, qui leur fournissent des calendriers, des livres, & des images de pieté.* Altum autem silet de libris N. Testamenti. Mitto innumera exempla invocationis S. *Josephi*, S. *Annæ*, quæ Dea tutelaris est quorundam Chinæ districtuum, ut ex Tom. XXII. patet, aliorumque Sanctorum. Hæc est *imago pietatis*, quam Missionarii incredibili cum labore, diligentia, & non sine periculo vitæ miseris Gentilibus repræsentare solent. Falsis & ementitis miraculis nonsolum in Europa, sed & in India utraque plebi illudi, manifestissimis exemplis constat. In collectione illa Stöklini pag. 24. 272. & passim innumeræ referuntur miraculosæ narrationes de expulsis per *Agnos Dei*, cereos, & aquam lustralem Dæmonibus, sanatisque ægris, in illis quoque casibus, quibus invocatum nomen Domini & Jesu nil ante profuit. Vir Doctus, *Sartorius*, Missionarius Danicus in Collect 38., quæ *Halæ* editur sequentia narrat: *Den 27. hielte ich etliche Stund lang ein Gespräch mit einem Pandaram, der ein Römischer Christ ist, und zur Aufbauung einer Kirche im Land Almosen bettlete. Vor dem hat er als ein heydnischer Büssender die Haare lang wachsen lassen, und gab vor, dass er durch das Wunder, dass Xaverii Leib nicht verwese und einen lieblichen Geruch von sich gebe, seye bekehrt worden. Denn er sey nebst etlichen anderen expresse deswegen nach Goa gereiset, weil er, ohne solches Wunder zu sehen, sich nicht habe wollen tauffen lassen, da die Patres im Tanschurischen ihme Recommendation mitgegeben. Gedachten Leib des Xaverii habe er in einem Sarge, dessen Deckel von Spiegel-Glas gemacht seye, liegen gesehen. Er*

habe

habe ihn zvvaren nicht berühret, sey aber nun von der Gevvißheit solches Wunders völlig überzeuget.

Vide plura Exempla in citata Cel. la *Croze Hiſtoria Chriſtianiſmi indici.* In iisdem epiſtolis Jeſuitarum, innumerorum miraculorum, quæ inter Indiæ orientalis & occidentalis incolas patrata dicuntur, mentio fit. Tom. IX. contendit Jeſuita *Bouchet* in epiſtola ad Jeſuitam *Baltum* data, per univerſam indiam oracula ab hominibus ope Dæmonum fundi, ad præſentiam autem crucis, imo hominis chriſtiani duntaxat, ſilentium imponi dæmonibus. Vide pag. 104. ſqq. vix tam facile Dæmones in Europa fugarentur. J. du *Halde* in epiſtola ad Jeſuitas Gallos data, nonſolum hoc teſtimonium probat, ſed & pag. 16. miracula talia in China, & utraque America, teſtibus Miſſionariis evenire aſſerit (*) Tom. XXIII. p. 379. in Philippinis Inſulis ſtatua Mariæ miracula patrat. Part. XVI. epiſtolarum p. 146. Dæmones per exorciſmum ejiciuntur. Tom. XII. p. 120. narratur vita Canadenſis *Sanctæ*, quæ cum St. *Genoveva*, Dea tutelari Pariſienſium, comparatur, & ne quid comparationi deſit, pariter miraculis illuſtris fuiſſe dicitur. Tom. XI. pag. 406. divinæ virginis ſtatua morbos & peſtilentiam tollit. Tom. XV. pag. 310. nonſolum Dæmones pelluntur ex obſeſſis, ſed & ipſe Dæmon fatetur, religionem a Miſſionariis traditam, ſolam viam tutam & certam ad cœlum monſtrare. Audi Jeſuitam *Bouchetum*: *Quelquefois le Demon eſt forcé de rendre temoignage à la verité de notre ſainte Religion. Ce qui eſt arrivé au Pere Bernard de SA, mérite de vous être rapporté. Je n'ajoute rien à ce qu'il m'a raconté. Il gouvernoit la chretienté d'Ariapatti, qui eſt de la dependence de Maduré. Les Gentils lui amenerent un Indien, que le Demon tourmentoit d'une maniere cruelle. Le Pere l'interroga en preſence d'un grand nombré d'Idolâtres & ſes reponſes ſurprirent fort les aſſiſtans. Il lui demanda d'abord ou étoient les Dieux qu'adoroient les Indiens; la reponſe fut qu'ils étoient dans Enfers ou ils ſouffroient d'horribles tourmens. Mais que deviennent, pourſuivoit le Pere, ceux, qui adorent les fauſſes Divinités? Il vont aux Enfers, repondit il, pour y bruler avec les faux Dieux, qu'ils ont adoré. Enfin le Pere lui demanda, qu'elle étoit la veritable Religion, & le Demon repondit par la bouche de l'obſedé, qu'il n'y en avoit de veritable que celle qui étoit enſeignée par le Miſſionaire, & que c'étoit la ſeule qui conduiſit au ciel.* Hiſce recitatis,

(*) Obſervandum probe, Jeſuitam Baltum contra Cl. Viros Van Dalen & Fontenelle tueri conatum, non impoſturis & fraudibus Sacerdotum, ſed malis Dæmonibus tribuenda Oracula Gentilium.

citatis, sequentem, quam nostro judicio omittere debuisset, adjicit ratiocinationem. *Je ne doute pas* (inquit) *que cette puissance que les Chretiens ont sur le Demon, ne soit en partie la recompense de leur Foy. Ils croyent avec simplicité, & Dieu ne manque pas de se communiquer aux simples, tandis qu'il rejette ces esprits superbes qui voudroient soûmettre la foy à leur foible raison.* Ibid. pag. 3121. Jesuita ait: *On ne peut avoir de veritable amour pour J. Christ qu'on n'en ait pour sa sainte Mere. C'est pourquoi les Missionaires ont soin d'inspirer aux Neophytes une tendre devotion pour la sainte Vierge. Cette Devotion est fortement établie dans ces contrées nouvellement chretiennes. Il n'y a pas de Neophytes qui ne fasse une loy de reciter tous les jours le chapelet en son honneur. Dans l'Eglise Aour est une Lampe qui brûle nuit & jour en son honneur. Ces bons Neophytes viennent des extrémités de la Mission pour prendre de l'huile de cette Lampe, & ils l'appliquent sur leurs malades. Dieu a souvent recompensé leur foy par des guerisons miraculeuses & par d'autres evenemens, qui ne pouvoient être que l'effet d'une protection singuliere de la Mere de Dieu.* Tom. XVIII. p. 173. cum Jesuita *Buccharelli* cum aliquot Christianis ad locum supplicii deductus esset, sequens φαινομενον non sine miraculo eveniſſe dicitur: *Dans ce tems-là, parut en l'air une sorte d'oiseaux tous blancs qu'on n'avoit jamais vû dans le Pays, & qui attirerent les regards, & causerent la surprise de ce grand Peuple assemblé. Ces oiseaux voltigoient sans cesse sur la tête des Chretiens & plus souvent sur celle du Pere Buccharelli, se joüant ensemble avec leurs ailes & faisant en l'air comme une espece de Fête. Les Gentils eux-mêmes remarquerent que ces animaux affectoient de ne point voltiger sur la tête des Infideles.* Mitto plura alia exempla, quæ in his Literis Jesuitarum referuntur. Quid de his cogitent Protestantes, facile judicabunt Doctores Ecclesiæ R. nimirum vix adduci poterunt ut credant, Deum sanctissimum ad promovendum Cultum Mariæ & sanctorum, reliquiarum insuper & hujus generis rerum, miracula patraturum, prorsus autem nulla facturum iis in locis, ubi Christi & Apostolorum scripta Christianorum manibus teruntur, & omnis superstitio exulat plane. Miramur sane in tanta luce ad talia provocari, postquam dudum Viri cordati Ecclesiæ R. doluerunt, tot ficta miracula passim a Monachis & Sacrificulis venditata pro veris. Juvat unum alterumve adduxisse testimonium. Stephanus *Baluzius*, Vir Doctissimus in notis ad vitam S. *Maximini* ita loquitur pag. 487. op. *Serv. Lupi. Ergo jam tum constabat Sanctorum Acta multis & prodigiosis fabulis esse conspurcata, semperque in hoc orbe*

fuisse nonnullos, quibus nil placere potest absque portentis fabularum. Et paucis interjectis: *Certe olim miracula data sunt ad tempus Incredulis. Postea vero confirmata Christi fide apud omnes ubique gentes, miracula passim ad quamlibet occasionem patrari opus non fuit, præsertim prodigiosa illa & anilia, quibus pleni sunt libri quorundam Scriptorum sequioris ætatis.* R. Simon Biblioth. Criticæ Tom. III. cap. 22. integro agit de fraudibus effictorum miraculorum, quod legisse juvat. Inquirit in causas magnorum redituum & divitiarum, quæ Monasteriis accesserunt. Inter alia sic loquitur: *Les Ecclesiastiques & principalement les Moines abuserent de la simplicité du Peuple sur tous dans l'onzieme & dans le douzieme Siecle, par des certaines fraudes pieuses, s'il m'est permis de parler de la sorte. Ils firent des vies des Saints selon leurs idées: Ils supposerent des reliquies, qui venoient la plupart, selon eux des Pays de Levant, & pour leur donner plus d'authorité ils en dressoient de procès verbaux, tels qu'il leur plaisoit: On divulgoit par tout les frequens Miracles qu'operoient ces Reliquies. Le peuple credule qui ajoutoit foi à ces fictions accouroit de toutes parts aux Eglises des Moines pour y faire leur offrandes. Les Histoires pour ne pas dire les fables, qu'on trouve encore presentement dans les Archives des Monasteres, & dans leur Sacristies touchant l'origine de ces reliques, font des preuves évidentes de ce qu'on vient d'avancer. Et ce qu'il y a de plus surprenant, c'est que les Monasteres le plus riches se servirent de ce pieux artifice.* Celeb. *Muratorius* Lib. III. cap. 6. de *Ingen. Moderat. in Religionis negotio* prudenter monet superstitioni in Ecclesia occurrendum, atque, cum narrasset, quosdam existimare, pro opinione immaculatæ conceptionis Mariæ, mortem esse subeundam, ita respondet pag. m. 271. *Si hoc ferendum est, non video, quî in immensum protendere non liceat novum hoc Martyrii genus. Nam & alii vitam vovebunt atque exponent, quo exempli causa Lauretanam ædem sustineant Servatoris ortu illustratam revera fuisse, & Francisco Assisinati atque Catherinæ Senensi stigmata fuisse divinitus impressa, & ab aliis S. Viris miracula quædam procul dubio fuisse patrata. Quod certè* NB. *in Ecclesia Dei nunquam tolerandum, ne idem divinis atque humanis habeatur honor, neve temerè & pro mendacio interdum, projiciatur pretiosa hominum vita.* *Idem* Lib. III. p. 487. quid de miraculis modernis plerisque sentiat, aperit, dicens: *Fidelibus non sunt quærenda miracula; non enim amplius iis eget vera fides & Ecclesia ut suam veritatem ostendat. Neque supernaturali fide ulla credere cogimur iis miraculis, quæ extra canonicas Scripturas ab Historicis sanctissimisque etiam viris referuntur. In hoc autem negotio*

gotio *duplex potest animadverti excessus : alter eorum, qui nimis multa, alter eorum, qui nimis pauca credunt: Judicio illi, temeritate isti peccant. Nam exploratum est, fuisse olim, & adhuc esse, imo eorum Sobolem diu duraturam, qui miracula confinxere, sive pravum, sive bonum in finem; aliosque plures fuisse qui sine ullo criterio atque indiscriminatim tam veris quam fictis mirabilibus adjunxere fidem, eaque ad posteros bona fide transmiserunt.* Et quis miretur sequiore ætate & nostra, talia confingi, cum jam suo tempore *Hieronymus* Epist. IV. conquestus sit, *fingi à Monachis dæmonum contra se pugnantium portenta, ut apud imperitos & vulgi homines miraculum sui faciant & exinde lucrum sectentur.* Religioni, humanitati, & conscientiæ contrariam esse coactionem in causa Religionis, res est evidentissimis argumentis probata. At fieri tamen etiam hoc, opera Missionariorum in utraque India, ex Relationibus *Zucchelli*, aliisque constat. *Franciscus Xavier* (verba sunt Celeb. *la Croze* l. c. p. 688.) *selbst, den man doch zum rechten Wunderthäter macht, pflegte nach dem Bericht seiner Ordens-Brüdern zu sagen : Man richte kein daurhaftes Christenthum unter den Heyden auf, es sey dann, daß man die Zuhörer mit einer Mousqueten-Kugel erreichen könne. Der Pater Tellez macht keine Schwürigkeit, eben das zu bekennen, wann er im vierten Buch seiner Aethiopischen Historie im 3. Capitel spricht: Bey Grundlegung der Catholischen Religion ist es unserer geistlichen Brüder beständige Meynung und Maximen gewesen, wornach sie sich regulirt haben, daß selbige von keiner Daure in Æthiopien seyn könte, wo sie nicht durch die Waffen unterstüzet wurde.* Summam autem superstitionem & ineptum Zelum sapiunt, quæ Cl. *Weismannus*, loco citat. ex collect. *Stöklin.* p. 2. 4. 7. 8. de baptismo infantum gentilium narrat : *Cum apud Sinas* (inquit) *ob immanem Incolarum copiam ac plerorumque adeo Civium paupertatem multa infantum recens natorum millia, de nocte non sine præsentissimo vitæ eorum periculo, exponantur, diligentissime curare solent Missionarii, ut quot quot possunt Infantes sive ipsi, sive per Neophytos suos Christianos, quærant, inventos baptizent, baptizatos autem suo tamen loco, quo inventi sunt, perituros relinquant. Referunt interea, se, oblata pecunia, ab ipsis Sacerdotibus Bonziis nonnunquam impetrasse, ut Infantes hujusmodi vel in ipsis eorum templis liceret baptizare. Nec minus ægrotos Parentum gentilium Infantes, quos specie medicinæ invisunt, & adeunt, cum morti vicinos intelligunt, clam aspersa aqua quasi medicata, & mussitatis apud se ipsos verbis, Sacramentalibus solent tingere.* Vide etiam Lettres edifiantes Tom. XII. pag. 114. Sed hæc speciminis loco sufficiant,

ciant, ad probandum, plerorumque Pontificiorum judicio, *necesse esse*, ut opiniones illæ minutæ, & ritus superstitiosi, etiam illis inculcentur, qui religionis christianæ cognitione vera imbuendi essent. (*) Jam vero quantum inde roboris accipere possit *Incredulitas*, nemo, cui religio casta curæ cordique est, & qui hominum ingenia perspecta habet, ignorare potest. *Primo* enim si attendatur, ab una parte ad gentium illarum stuporem, crassissimam rerum divinarum ignorantiam, superstitionem barbaram plane & ridiculam; ab altera vero ad cultum Sanctorum, Mariæ, cæterasque partes cultus pontificii, manifestum est, exurgere inde Systema religionis adeo absurdum & ridiculum, ut dubites, utrum non perinde esset, si religione christiana plane essent destitutæ Gentes illæ. Certe aut vera rerum vocabula amisimus, aut religionis nomine indignæ sunt opiniones plane ineptæ, ridiculæ, ritusque leves & superstitiosi. Ita superstitionibus superstitiones aliæ adjiciuntur, & dum salutari luce Evangelii, quæ in solis S. Literis reperitur, miseri destituuntur, nihil nisi tenuis umbra & nomen religionis, relinquitur. Augetur difficultas quod Missionariorum testimonio, cæcæ illæ Gentes sine ullo examine cuncta, quæ traduntur, arripiant. Duo testimonia ex Collectione illa Stökliniana adduxit Cl. *Weismannus* l. citato pag. 288. unum est Jesuitæ *Bonani*, alterum *Richteri*, ejusdem Societatis Viri. Prior ita de Septentrionalis *Californiæ* Incolis loquitur: *Non alio loco inveni tam cupidos veræ fidei Indos, ac tam capaces assequendi christiana Mysteria. Omnia enim NB. sine mora credunt, & explorata ipsis res est, quicquid ex ore nostro audiunt.* Posterior vero de Indis in genere verba faciens ait: *Si abessent oppressiones Præfectorum civilium, christiani sc. nominis, nihil dubitandum, quin universa India Evangelium Christi esset amplexura: ad hoc enim nihil ultra acquiritur, quam certa a tributis libertas & instructi Manusculis Missionarii. Cum primario cuidam inter eos Viro securim donavero, totus continuo grex præeuntem in ovile Christi sequitur.* Potest Incredulitas promoveri *secundo loco*, si, quæ narrantur a Missionariis, de stupendo progressu religionis

(*) Possem hic prolixe ostendere, plerosque ritus, & cultum Romanensium a Gentilibus esse petitos & ad cultum christianorum efformatos. Sed quoniam nonsolum Cl. *Mussardus* Genevensis hoc ex instituto dudum probavit in libro cui titulus: *Conformités des Ceremonies modernes avec les anciennes, où l'on prouve par des Authorités incontestables que les Ceremonies de l'Eglise Romaine sont empruntées des Payens*, hicque liber a Celeb. *Middleton* nonsolum in Anglia recusus sed & insigni additamento auctus est, atque utrumque opusculum in linguam gallicam transfusum, Lectores eo remittimus. Vide imprimis *Middletoni Discours pour servir de Préface*. Uterque libellus editus est gallice Amstelodami 1744.

ligionis catholicæ pro veris habeantur. Solent Theologi christiani, inter alia argumenta, quibus divinam originem Religionis christianæ probant, etiam provocare ad mirum illum & plane stupendum progressum Religionis christianæ qui statim post Christi Soteris nostri mortem obtinuerat. Jam vero quid tandem dicent homines non satis Religionis castæ gnari, & ad Incredulitatem inclinantes, vel morbo hoc jam laborantes, si audiant, superstitionem vanam eam vim habere in animos mortalium, ut multa millia hominum lubentes illi vacivas præbeant aures, eamque amplectantur? an non clamabunt, argumenta nostra ab excellentia religionis christianæ & provida Numinis erga eam cura, petita, vana esse? an non potius stupori hominum successum illum Religionis christianæ tribuendum esse contendent? an non argumenta a miraculis petita ad confirmandam religionem christianam omni robore destituta esse ingeminabunt? verum quidem est, illos male ratiocinari, & multa huic argumento opponi posse. At hoc non obstante verissimum erit, eos, qui tetræ superstitioni tantam vim tribuunt, argumentum præcipuum, pro veritate religionis christianæ enervare, & Incredulitati patrocinari. *Tertio* denique Superstitio Incredulitatem vehementer promovet, quia omnibus rectæ rationis principiis contraria est: Nemo cui sana mens est, quique naturam veræ Religionis perspectam habet, superstitionem calculo suo probare poterit. Qui vero Religionis christianæ non est rite gnarus, simul vero pravis affectibus deditus est, facile in ipsam Incredulitatem incidit. Quid enim homines variis disciplinis, philosophicis præsertim, qualium in *Italia* v. gr. magnum numerum esse constat, imbuti, sed Religionis christianæ solida cognitione destituti, cogitabunt, si audiant; dari quidem veram religionem, sed eam non esse examinandam: in S. Literis certam salutis viam monstrari, sed eas tuto a quovis legi non posse; Legendas, quas vocant sine periculo evolvi posse: vi nescio quarum reliquiarum vel Sanctorum portenta edi: Transsubstantiationem inter Mysteria religionis præcellentissima referendam: colendos esse sedulo Sanctos, aut imaginarios, aut tales, quorum cerebrum atra bilis, qualis erat S. *Franciscus*, si vera sunt, quæ ipsimet auctores biographiæ de eo narrant, labefactasse videtur: aut qui superstitionis & violentarum persecutionum, qualis *Dominicus* erat, promotores erant, &c. &c. An non hisce auditis, omnem religionem, utpote rationi plane contrariam, (loquimur de homine acuti quidem ingenii sed qui de vera Religione in Sacris Literis tradita, nullum gustum habet) abjiciet?

jiciet? an non credet, eos, qui talia credenda imponunt, aut superstitione prava plane captos, aut ipsosmet in sinu omnem religionem explodere? Et sane Itinerariorum Scriptores testantur, in ipsa Italia, fœcundissima superstitionis matre, plures reperiri Deistas & Atheos. Causam præcipuam hujus mali tetram illam superstitionem in his locis grassantem esse, suo, jam tempore perspexit Celeb. Polyhistor *Conringius*, uti ex epistolis Ejus ad Illustrem *Böneburgium* datis, & præterito anno *Gottingæ* editis, patet. Idem observavit recentissimus Scriptor *Keyslerus*, Vir doctus & veri amantissimus, in descriptione Italiæ, ut de aliis nil dicam. Non negabo, dari multos in Ecclesia R. qui opiniunculas illas, superstitionesque non magis probent quam nos; at & longe plures dari, qui conspectis tot insulsis opinionibus & ritibus, vel in sola Religione naturali adquiescant, aut omni religioni plane nuntium mittant, nemo facile, cui ingenium humanum perspectum est, & Historicorum præstantissimorum & fide dignissimorum scripta evolvit, negabit. Hoc certum, Scriptores omnes, qui in causas Incredulitatis inquisiverunt, *Superstitionem* pro fœcunda matre Incredulitatis habuisse. (*)

Persecutiones ob reli-

V. Sed pergamus ad aliam Incredulitatis causam detegendam. Et

(*) Huic meæ sententiæ adstipulatur Vir Elegantissimi ingenii & exquisitæ Eruditionis Alb. Hallerus, ob insignem artis anatomicæ & poëticæ peritiam famigeratissimus in *den Gedanken über Vernunft, Aberglauben und Unglauben.* pag. 46. Poëmat. redet er von einem klugen Mann, wo ein falscher Glaube herrschet, und vom wahren keine Nachricht haben kan, also:

Ein Weiser, der vielleicht, mit ruhmlichem Verdruss,
Den Aberglauben höhnt, und bessers suchen muss,
Hasst alles Vorurtheil, und sucht aus wahren Gründen
Beym Licht von der Vernunft sich in sich selbst zu finden:
Im Anfang führet ihn sein forschender Verstand
Nah zu der Wesen Grund und weit vom Menschentand.
Bis wann er izt entfernt von irrdischen Begriffen
Im weiten Ocean der Gottheit wagt zu schiffen,
Vernunft der Leitstern fehlt, und er aus Menschheit irrt,
Ein falsches Licht ihn führt, und seinen Lauff verwirrt;
Er selbst im trüben Tag, den nur ein Irrwisch heitert,
Sich nach den Klippen lenkt, und endlich plötzlich scheitert:
Der arme Weise sinkt im Schlamm des Zweifels ein,
Er kennt sich selbst nicht mehr, meynt, alles seye Schein,
Sein Wesen zweifelhaft, die Sinnen nur Betrüger,
Verwirft, was jeder glaubt, und glaubt sich desto klüger
Je weniger er weiss: der Gottheit helles Licht
Durchstrahlt den dunkeln Dunst, verblendter Weisheit nicht;
Die Stimme der Natur rufft allzuschwach den Tauben,
Wer zweifelt ob er ist, kan keinen Schöpfer glauben.

Et hæc est *vis conscientiis illata*, & *violentæ persecutiones*, quæ contra errantes, vel contra eos, qui errare existimantur, adhiberi solent. Homines ob dissensum Religionis mutuis oppressionibus & violentissimis persecutionibus, usos, eheu! tristis omnium Seculorum docet experientia. Gentiles in Christianos; Christianos in Gentiles & Judæos; Christianos in Christianos sæviisse, non sine horrore & detestatione, historiarum monumenta testantur. Quoties oppressiones non tantum adversus primos Christianos; sed Pontificiorum inprimis contra *Waldenses*, *Hussitas*, *Protestantes* in *Germania*, *Gallia*, *Belgio*, *Pedemontio* &c. susceptas lego, toties animus horret, luctuque refugit, adeo ut in ea opinione, quæ altissime menti dudum infixa est, magis magisque confirmer, nimirum nullum forte dari magis exitialem errorem, quam eum, quo homines sibi persuadent, licitum esse violentia omnis generis uti, contra eos, quos in negotio Religionis errare putamus. Certe, nisi tot manifestissimis monumentis & documentis compertum esset, vix fidem haberem narrationibus, de tot execrandis & plus quam ferinis oppressionibus, quas Christiani (si tamen hoc nomine digni sunt homines, qui humanitatem exuisse videntur,) adversus Christianos exercuerunt, cum nil magis tam horrendum, atque divinis pariter & humanis legibus contrarium excogitari possit, quam violentis & exquisitis suppliciis sujicere eos, qui de rebus divinis aliter sentiunt, quam nos, cum tamen illi, qui nobis errare videntur, existiment, se gravissime contra Deum peccaturos, si aliter sentirent, aliaque ratione Numen colere conarentur. Unde & nullos minus in Societatibus tolerandos esse puto, quam eos, qui contendunt, dissentientes in Religione quibusvis pœnis subjiciendos esse, quia ita prima Juris divini & humani jura violantur. Hinc etiam *Celeb. Barbeyracius* in notis ad *Pufendorfii Jus N. & Gentium* occasione Inquisitionis Hispanicæ, & Tribunalis Inquisitionis, tuetur, recte facturos christianos, si, de exterminandis horrendis illis tribunalibus, consilium inirent. Et profecto, si ad animos revocamus innumera mala, quæ per ejusmodi hæreticæ pravitatis inquisitores florentissimis regnis illata sunt, manifestum erit, plus eos generi humano nocuisse, quam Hæreses deterrimas. Hinc doctissimi inter Protestantes Viri, & nullius Heterodoxiæ suspecti, opinionem illorum, qui contendunt, licitas esse illas oppressiones ob dissensum in religione, pro pestilentissima habent Hæresi. Inter mille unum duntaxat testem adfero, nimirum *Reverendum & Doctissimum Roque, Pastorem Ecclesiæ Gallicæ Basileensis præstantissimum.*

gionem, Incredulitatem vehementer promovent.

tissimum, (jam vero Cœlitum choro adscriptum) Hic vero pag. 574. *du vrai Pietisme*, ita de hoc argumento loquitur: *Il n'y a presque point d'hérésie plus odieuse, ni plus à craindre que le dogme de l'intollerance à l'égard de ceux, qui n'ont pas de la Religion les idées, que nous en avons. C'est une Hérésie grossiere parce qu'elle est opposée aux declarations les plus expresses de l'Ecriture, qui permet* (Tite Chap. III. v. 10.) *tout au plus d'éviter l Hérétique, après la premiere & la seconde sommation: mais qui ne met jamais les armes entre les mains de l'Eglise, ou du Magistrat pour dominer sur les consciences. C'est une Hérésie, qui attaque la Divinité, en lui ravissant le droit de juger en dernier ressort de la verité, & de la fausseté, de la créance d'autrui, & de le punir de ce qu'il se trompe: c'est* (2. Thess. II. v 4.) *s'asseoir comme Dieu dans le temple de Dieu, & revêtir le caractere de l'homme de péché, destiné à périr. C'est une Hérésie propre, par ses suites les plus necessaires à bouleverser les Eglises, les Etats, puisqu'elle fait croire à chaque parti, qu'il est en droit de persecuter ceux, qui errent en matiere de Religion. L'Experience de tous les Siecles où cette Hérésie suggerée par l'ennemi du genre humain, à fait repandre tant de ruisseaux de sang, doit convaincre, que l'intolerance est la fatale pomme de discorde, qui rompt tous les liens de l'humanité & de la charité, & qui sous le prétexte specieux de travailler pour la gloire de Dieu, permet aux passions les plus fougeuses de tout ravager impunement.* Inter alia vero mala, quæ per violentas persecutiones dissentientium excitantur, sine dubio & hoc referendum, quod nimirum plurimi homines ob Religionem vehementer afflicti vel in crassissimum Indifferentismum, vel in ipsum Atheismum præcipites dentur, quod qua ratione fiat breviter est ostendendum. Et I. quidem non possunt non Gentiles & Judæi, qui a Christianis ob Religionem vehementibus persecutionibus premuntur, si rationis lumine utuntur, neque prima Juris Naturæ principia ignorant, vehementer abhorrere a Religione Christiana. Cum enim illos, qui tam barbare in eos sæviunt, putent secundum principia Religionis Christianæ agere; tam violentæ vero oppressiones cum primis æquitatis regulis nulla ratione consistere possint, nomen dare Religioni christianæ non possunt, quæ tam crudelia facinora licita imo bona esse, probare ipsis videtur. Jam vero notum est, quam horrendis & omni humanitati contrariis divexationibus usi sint, v. gr. Hispani contra *Mexicanos* & *Judæos*. Res est in vulgus nota, neque testimoniis ad hoc probandum opus. Et profecto si Religio Christiana talia injungeret præcepta, recte ratiocinarentur Gentiles. Non potest enim id a Deo

O.

O. M. Originem habere, quod omnia legis naturalis præcepta pedibus conculcare jubet. In eo sane conveniunt omnes sanæ mentis Theologi & Philosophi, Religionem divinam esse non posse, nisi Theologiæ Naturalis & Juris Naturæ præcepta admittat, probet, & confirmet. Jam vero neque cum amore Dei & proximi, neque cum justitia & æquitate conciliari possunt, tam barbaræ & execrandæ violentiæ, quibus tot millia hominum diversis temporibus subjecti fuerunt. Erunt fortasse, qui nobis objiciant exemplum Israëlitarum, qui jussu Dei Cananæos, aliosque populos idololatriæ deditos internecioni dederant. Sed fuse dudum a Doctissimis Viris ad hanc objectionem responsum est. Nos brevitati studentes hoc tantum monemus 1) populos illos, gravissimis sceleribus sese contaminasse, dignosque pœna fuisse, non tam propter errores intellectus quam vero ob vitam omnibus vitiis & sceleribus contaminatam. 2) Aderat hic manifestissimum & expressum Numinis mandatum, tale autem non poterant monstrare Hispani, nisi voluntatem Pontificis R. rationibus destitutam, pro Oraculo habere voluerunt; Quod si hoc solum jus ipsis concessit, ut nimirum populos idololatriæ deditos, neci traderent, Protestantes, qui Pontificiæ religioni addictos pro idololatris habent, eodem jure, & pretextu uti possent, non tantum contra Hispanos, sed adversus omnes, qui cultum sanctorum &c. probant, & ita perpetuum Christianis bellum esset alendum, 3) Deus habet jus in vitas hominum: sive igitur variis morborum generibus, vel opera hominum, malos e medio tollat perinde est, modo adsit expressum mandatum, quale tamen adversus errantes in N. Testamento non reperimus. Breviter sed nervose Grotius: populi Cananæi divina sententia damnati sunt, ejusque sententiæ Israëlitæ erant executores delegati. Unde hæc bella in Sacris DEI bella proprie nominantur. Hæc verba Grotii cum adduxisset Celeb. *Heumannus* Dissertat. de Zelo in hæc verba erumpit: Quam horrendum igitur peccavit olim peccatum Bernhardus Abbas cum argumento ab hac Israëlitarum in Cananæos expeditione ducto, animos Regum incendit ad Religionem Christianam armorum vi amplificandam, bellique vere sacri auctor suasorque extitit! Et in nota textui subjecta: Pessime igitur *Bongarsius* volumen illud quo complexus est Historicos bellorum illorum inscripsit *Gesta Dei per Francos*, cum inscribi oportuisset. *Gesta Paparum per Francos.*

II Persecutionibus & violentis oppressionibus fieri solet, ut homines amore vitæ, facultatum & deliciarum, primo errores publice

admittant, reluctante licet conscientia, paulatim vero aliorum exemplis inescati & seducti, morsus conscientiæ supprimere quantum possunt incipiant, atque adeo sensim sensimque assuescant novo cultui sese accommodare, & sibi persuadere, perinde esse, quas de Deo, rebusque divinis, tueamur sententias, atque hac ratione in crassissimum inducuntur Indifferentismum, parati posthac ingruentibus persecutionibus vel ad Judæos, vel ad Muhamedanos transire. Quod si tandem homo eo pervenit, ut ipsi perinde sit, quid de Deo, rebusque divinis sentiat, non longe ab ipso Atheismo abest. Gravia sunt de hoc argumento verba Celeb. nostri *Heideggeri Dissertat. de violenta conversione errantium Thes. LIII.* Tantum vero abest (inquit) ut violentia externa homines vi veritatis nondum convictos, religiosos efficiat, ut hypocritas, Atheos turbulentos efficere apta nata plane sit, adeoque sic pietas pietate pereat. Quod experientia, locuples testis confirmat. Nam ut necessitatem credendi aliis te maxime imposuisse credideris, quid aliud quam hypocrisin, ac simulationem, rem si quæ alia, pietati validissime repugnantem, induxeris & fortassis ἀλεργιδα, ἐ θεον θεραπευοντας, *purpuræ tuæ cultores effeceris non Dei* (uti Themistius apud *Socratem* Hist. Eccles. Lib. loquitur) si veram: aut Idoli si aliam religionem urgeas. In iis enim in quibus tanta probitas, tantaque vis conscientiæ non est, quanta esse deberet, cum religionis causa vexantur, conscientia opprimitur: Unde hypocrisis & simulatio religionis, ad quam adiguntur, tum hypocritis, qui æternum hac ratione exitium sibi afferunt, tum Ecclesiæ, quam intus flagrantissime oderunt, & maledictis incessunt noxia maxime oritur, vel etiam penitus vis conscientiæ extinguitur, & sic Atheismus & profanitas, nihil revera sacrum habens nascitur. Ita Cl. *Heideggerus.* Facile autem persecutionibus hoc obtineri posse, deprehendent omnes, quicunque ad plerorumque hominum mores atque status attendunt. Multi sacræ alicui Societati adhærent, non quod dogmata, quæ Ecclesia hæc vel illa docet, examinarint, & rite perspecta habeant; sed quia in ea nati, alti, & educati sunt. Hi sequuntur opiniones Parentum, cognatorum, & civium suorum. Ubi vero ingruunt persecutiones, præsertim si sophisticæ fraudes & speciosæ rationes accedant, facile ad mutandam religionem inducuntur. Accedit quod plerique amore rerum terrestrium sint capti: his autem bonis cum defraudari nolint, vim passionum non sustinentes, cultum publicum, quem corde detestantur, frequentant. Hi vero, dum Deo hominibusque imponere volunt, & ab eo quod publice

publice adorant & colunt, abhorreant, quam parum absunt a Religionis irrisoribus? In oculis certe Dei pro talibus habebuntur. Verum quidem est Imperantes & Inquisitores, qui pro causa principali persecutionum merito habendi sunt, graviter peccare, quod homines in tam gravia peccata præcipitarunt: neque dubitamus etiam, quin, si adscriptus pœnæ dies venerit, gravissimas experturi propterea sint pœnas. Interim tamen & hi, qui contra conscientiæ dictamen agunt, amore quippe rerum terrestrium capti, cum Deo potius obedire deberent quam affectuum desideriis, a culpa certe vacui non sunt.

III. Possunt denique vi persecutionum homines in Incredulitatem incidere, quia hac occasione sæpe de sapientissimo Dei regimine & provida erga pios cura incipiunt dubitare, & adversus id murmurare. Experientia notum est, homines, in quorum cordibus vera pietas altas non egit radices, cum variis morbis colluctantes, & adversitatibus pressos, sæpe de bonitate & Sapientia Dei iniqua ferre judicia, & nonnunquam ipsam providentiam Dei in dubium revocare. Hoc etiam piis aliquando, sed per tempus duntaxat, obtingere potest, ita tamen, ut anxiæ illæ dubitationes sint temperatæ variis solatiis, quæ, lenis adinstar venti, animos refocillare possunt. Quod si homines morbis, quos sibi utplurimum ipsimet contrahunt, in hæc mala incidere solent: multo magis hoc eveniet, quando violentæ ingruunt ob religionem persecutiones; difficulter, ut ait poëta, continetur Spiritus, integritatis qui sinceræ conscius, a noxiorum premitur insolentiis. Homines certe illi, qui tam violentis persecutionibus premuntur, existimant, se recte de Deo & rebus divinis sentire, & graviter peccaturos, si aliter sentirent, deumque colerent: sciunt, hominibus in conscientiam jus competere nullum: & persuasi simul sunt, Deum iis, qui Eum rite colunt, bene cupere, atque adeo non posse non Eum innocentium causam tueri. Hæc vero cum conciliare non possint, cum violentissimis oppressionibus, quibus eos expositos esse Deus finit, incipiunt de certitudine Providentiæ primo dubitare, imo aliquando eam prorsus infitiantur. Non quæritur utrum hæc ratiocinatio legitima sit: sed quæstio est duntaxat quid illa valere possit in animis horum hominum. Illi certe, quorum pectora vera pietate & amore Dei munita non sunt, quique parati adeo non sunt, quidlibet propter verum Dei cultum pati, & durissima propterea subire fata (quorum eheu! in omnibus christianorum cœtibus numerus magnus est) non potuerunt sæpe sibi temperare, quominus credant, perinde esse quamcunque tueamur

mur Religionem, cum Deus veritatis amantissimorum non majorem curam habere videatur, quam vero graviter errantium, & vitiis contaminatorum. Quo violentiores autem ab una parte sunt persecutiones; quo longius durant, & quo magis ab altera parte homines persecutionibus pressi, magnifice de se suisque virtutibus sentiunt, & quo minus adversa fata ferre possunt, eo facilius in gravissimum hunc errorem incidere solent. Atqui hi sunt egregii illi fructus violentarum persecutionum, ob dissensum in causa religionis susceptarum. Unde optandum esset, ut tandem omnes homines meliora de hoc argumento edocerentur, & rectius sentirent. Sed sperare potius, quam credere possumus, homines unquam dogma de libertate conscientiæ, omnibus concedenda, quo melius & Societati civili in genere, omnibus vero promiscue hominibus in specie utilius excogitari non potest, plene admissuros, cum videamus, in ipsis cœtibus Protestantium, quorum principia ab omni violentia abhorrent, dari tales, qui quidem violentiam omnem verbis detestantur, simul tamen sæpissime talia adversus errantes media adhibenda esse suadent, quæ ipsa morte magis intolerabilia sunt; ut nihil dicam de doctoribus plerisque pontificiis, qui sine violentia, aut politicis artibus, in suam sententiam pertrahere non possunt eos, qui defœcatiora rationis & Revelationis præcepta sequi solent, & puri, castique cultus divini amore sunt capti & incensi. Certe ex ipsis libris, ut supra vidimus, a Missionariis E. R. scriptis, constat, nonnullos confiteri, absque violentia fieri non posse, ut Gentiles ex animo subscribant opinionibus, & cultui in Ecclesia Romana receptis. Nos vero cum Sapientissimis & Eruditissimis Doctoribus, Confessionibus Protestantium addictis contendimus, opinionem de persecutionibus & violentiis omnis generis errantibus inferendis, inter *pestilentissimam Hæresin* esse referendam.

Varius abusus doctrinæ de Providentia Incredulitatem promovet.

IV. Sed pergamus ad aliam, eamque gravissimam, Incredulitatis causam exponendam. Et hæc quidem petita est a *vario abusu doctrinæ de Providentia divina.* Omnes, qui serio unquam ad varia Systemata Theologorum & Philosophorum; ad objectiones, quæ providæ Dei Curæ, circa actiones morales & physicas versanti, ad ea denique quæ cottidie contingunt inter mortales, animos adjecerunt; fatebuntur, argumentum de Providentia navi esse simile, ventis agitatæ, in qua facile vel in scyllam vel in charybdin incidas, id est, vel administrationi divinæ aliquid detrahas, aut talia illi tribuas, quæ vel virtutes divinas lædere, vel obligationes hominum tollere possunt.

Quod

Quod qua ratione fiat, jam quidem exponendum est. Et *primo* quidem notum est, quosdam Eruditos talia de Providentia systemata concinnasse, in quibus libertati humanæ & obligationi actiones ad legis normam componendi multum detrahi videtur, cum, si eos audias, tam effectuum naturalium quam moralium Deus unus Auctor statuitur immediatus. Specioso quidem hi viri uti solent prætextu, dum contendunt, se id præstare ad extollendas Dei virtutes, nimirum independentiam & omnipotentiam Numinis. Sed dum hanc sententiam, neque cum aliis virtutibus divinis, neque cum obligatione hominis, ejusque naturali facultate, quæ libertas appellatur, conciliare possunt, mirum non est, si homines vitiis dediti, lubenter eas opiniones arripiant, & in Deum transferre culpam scelerum suorum velint: qui error sine dubio gravis est, & ipsa Religionis fundamenta concutit. Non hîc mentionem faciam Systematis *Epicuri*, vel *Spinozæ*, quæ opposita sibi invicem sunt, sed ita comparata, ut providentia omnis per ea tollatur. Sed mentionem duntaxat faciam Systematis causarum occasionalium, quod exornaverat primus *Malebranche* minus autem circumspecte ab aliis adhibitum & probatum est. Secundum hoc systema, omnes actiones hominum morales & physicæ nonnisi sunt effectus immediati omnipotentis Dei; creatura nullarum actionum proprie causa dici potest; & dum homines libere hoc vel illud se fecisse putant, vehementer decipiuntur; neque igitur stante hac hypothesi vel liber Dei cultus statui, vel actiones malæ & bonæ creaturis rationalibus tribui possunt. Res adeo evidens est, ut quicunque in ratiocinando vel leviter versatus est, facile id sit deprehensurus. Hæc tamen non eo fine dico, ac si putem, viros doctos hoc systema ideo probasse, ut felicius Providentiam divinam oppugnare possint: absit hoc a me longissime. Ex aliis enim articulis de Religione, quibus subscribunt, manifestum est, eos aut ad consequentias, quæ ex hoc systemate fluunt, animos non satis advertisse, aut, si viderunt, eas abhorruisse, & sibi imputari eas noluisse. Quo jure jam non quæram.

Ex hoc certe Systemate, & minus circumspectis locutionibus quorundam Auctorum, factum esse putarim, ut non solum plebs, sed & alii, qui sapientiores esse deberent, minus honorifice de Dei providentia sentiant. Audias quosdam ita loqui, ut putes, eos credere, omnes actiones hominum bonas & malas Deum efficere. Deprehendimus sæpe homines nequissimos, ubi non deliberato animo, sed ira, æstu, & prava lubidine in gravia scelera inciderunt, ea a se amoliri, &

neſcio cui occultæ Dei directioni tribuere velle. Qui vero ita de Deo ſentit, bellum indicit Religioni, & a ſupremo gradu Impietatis non longe eſt remotus. II. Sunt inter viros doctos tales, qui ita de impotentia phyſica creaturarum intelligentium loquuntur, ut putes, eos exiſtimare, ne quidem in naturalibus, negotiisque œconomicis & civilibus, eas quicquam præſtare poſſe, ſed neſcio quibus machinis & ſpeciali directione omnia agi. At quascunque ob cauſas ita ſentiant, manifeſtum eſt, eos regulis univerſalibus, ab optimo Numine per juris naturæ leges præſcriptis, contraria tueri; quandoquidem hæ omnes homines, etiam revelatione deſtitutos, & præmii & pœnæ capaces eſſe ponunt, & creaturas omnes rationales, ad præſtanda officia jure Naturæ impoſita obligant. Qui igitur ita loquuntur, ut putes, eos omnem, etiam in naturalibus, vim agendi creaturæ rationali adimere, ii aut præter mentem & intentionem utuntur verbis durioribus & obſcurioribus; aut Syſtemati cauſarum occaſionalium, quod periculoſiſſimis conſectariis obnoxium eſt, ut audivimus, addicti ſunt. Quod ſi vero ab hoc ſyſtemate abhorrent, neceſſe eſt, ut clarius mentem ſuam exprimant, ne ſimpliciores offendantur, & negligentiæ & peccatorum prætextum non ſine ſpecie veri aliunde quærant, & neſcio cui neceſſitati tribuant. Atque hoc eo magis neceſſarium eſt, quia chriſtiani omnes, in certis quibusdam principiis, ubi de hoc argumento agitur, conveniunt. Conveniunt enim 1) omnes, Deum peccatorum cauſam non eſſe, nec eſſe poſſe: Hinc licet inter ſe in multis articulis religionis non conſentiant, omnes tamen (ut de argumentis ex ratione petitis nil dicam) loca Scripturæ, quibus probari videtur, Deum peccatorum quorundam auctorem eſſe, rectius explicanda, & a malignis interpretationibus vindicanda eſſe exiſtimant. 2) Conveniunt in eo, Deum mala permittere, occaſiones peccandi per miraculum non impedire; omnia tamen ita moderari, ut ſuis virtutibus conveniens eſt. 3) Tandem omnes fatentur, homines, in rebus ad vitam hanc ſuſtentandam facientibus, & ad negotia hujus vitæ præſtanda neceſſariis, nativis viribus tantum valere, ut certis defungi officiis, a certis vero actionibus abſtinere poſſint. Hinc etiam omnes Juris N. Interpretes probant, omnes homines ad æquum juſtumque præſtandum natura teneri, neminemque vel intrinſeca vel extrinſeca neceſſitate ad officia moralia transgredienda, trahi. In his inquam Chriſtiani omnes conveniunt. At ſi ad ea, quæ quotidie dicuntur inter homines, ſimpliciores præſertim, attendas, putares ſane omnes in Scholis vel *Thomæ*

vel

vel *Malebranchii* educatos; ita enim loquuntur, ac si homines ad omnia civilia negotia ineptos esse putarent, neque ulla esset vis facultatum naturalium, quibus homines instruxit benignissimus Deus. Ita ubi puer nequam sufficientibus licet corporis & animi dotibus instructus, animum ad artificium aliquod addiscendum admotus, ob negligentiam illud, quod præstare deberet, omittit, sæpius a Parentibus ejus audias dici; *Puer ille destituitur auxilio divino*; quasi singulari quadam, & insolita ratione, Deus illi adesse teneretur: Sic cum homines pravis vitiis correpti peccant, sæpe audias hæc ingeminari: *Deus ipsos labi passus est*: quibus verbis non id sibi volunt, ac si Deus non impediisset, quo minus lapsus esset, quod verissimum est: sed verbis hisce designare volunt, ac si Deus arcana quadam vi eum in hoc malum præcipitasset. Quod tamen de Deo dicere impium est. Sane ab Incredulitate non longe absunt, qui ita sentiunt: imo æque peccant ac illi, qui vel pleraque, vel omnia divinæ providentiæ regimini subtrahunt. Hoc certum, eo pejores esse hasce opiniones, quo magis in mores hominum vim suam exercent, eosque ab officiis, Deo, hominibus, & nobis præstandis revocant; Atque id eo magis, quod homines omnes ita comparati sint, ut culpas omnes a se remotas, & in alios translatas esse cuperent. Et licet tales per vitam de *Malebranchii* & *Thomistarum* sententiis nil audiverint, perinde tamen est, si ita sentiant & agant, ac si horum hominum Systemata probe perspecta haberent.

Inquiritur in causas huius abusus de providentia Dei.

V. Quod si in causas inquiramus, quæ effecerunt, ut multi ex Doctis & indoctis in infaustas hasce opiniones inciderint, plures se se offerunt, quarum aliquas hîc repræsentabo. Et 1) quidem, ut in aliis capitibus Religionis, sic etiam in hoc a simplicitate, quæ in explicandis & tradendis rebus divinis locum habere deberet, passim hinc inde discessum est. Passim queruntur Viri veri amantissimi, nimis artificiosam factam esse Religionem; de multis disputatum publice, quæ salva pietate & religione ignorari potuissent, multos articulos religionis ita subtiliter fuisse discussos, ut a plebe nulla arte intelligi possint, cujus saluti tamen Deus in rebus ad salutem necessariis quammaxime prospectum esse voluit. Plures extant hac de re Virorum præstantissimorum querelæ. Jam vero qui ea, quæ de conservationis, & concursus divini ratione, inter Theologos & Philosophos disputata sunt, perspecta habet, fatebitur, multos longius quam par est, in hac materia progressos fuisse. 2) Eruditi, insatiabili quadam omnia sciendi desiderio commoti, sine necessitate modum administrationis divinæ

divinæ providentiæ in singulis casibus & actionibus determinare aggressi sunt; hinc sæpe in tales sunt conjecti augustias, ex quibus difficulter, vel plane non, eluctari potuerunt; ut nihil dicam de malis, quæ exinde ad vulgus dimanarunt. Omnia, maxima, minima, medioxuma, a Deo esse producta: Eadem ab eo conservari & gubernari; Deum vim suam in corpus & mentem cottidie exercere; facultates mentium conservare, & dirigere; quicquid boni est in nobis, Deo, quidquid mali vero nobis tribuenda &c. &c. Hæc, & talia statuendo, sufficissent, ad id, quod de Providentia divina cognosci posset, & deberet. At hæc eruditis & curiosis ingeniis non sufficerunt, sed quærendum erat in singulis hominum actionibus, quæ ratio concursus Dei; quantum præcise creatura agat, & Deus; definiundum, quæ causa sit excitationis idearum in mente, quæ ratio operationis divinæ in sensibus & appetitu; quis modus divini motus in corpore, &c. &c. Hinc orta sunt diversa Philosophorum Systemata, eaque sæpe cum religione christiana conjuncta, de quibus postmodum inter se Docti digladiati sunt, & quantum ex statu rerum præsenti conjici potest, seram disputationum de hisce reciprocare non desinent; dum vero adeo magistraliter omnia definire, & modos rerum in obscuriore argumento exponere volunt, sæpe talia statuunt, quæ periculosissimis consectariis sunt obnoxia, quæque ipsimet solvere non possunt. Lege tu, quisquis es, cui id, quod dico nondum satis constat, responsiones *Malebranchii*, quas dederat illis, qui Systema suum de causis occasionalibus impugnabant; & cernes in quas partes se vertat vir acuti ingenii; quam vehementer sudet, & quam subtiles adferat responsiones, quæ utplurimum ipsis principiis, quibus nititur hoc Systema, obscuriores sunt. Ita enim plerique eheu! Eruditi comparati sunt, ut potius ineptis etiam ratiunculis causam suam tueri malint, quam cedere, & fateri, se longius, quam oportuisset, progressos fuisse. Quidam dum in hoc argumento versantur, quando dubia opponentium solvere non possunt, cum ad rei cognoscendæ difficultatem, tum ad ingenii humani imbecillitatem provocant. At debuissent illi, antequam cuncta sine necessitate definire aggressi fuissent, hujus consilii memores fuisse; non vero tum demum, postquam tenebras offuderunt menti quas discutere postea non valuerunt. Accedit huc 3) sinistra quædam opinio, de ratione promovendæ gloriæ divinæ. Si quis gloriam virtutum divinarum rite æstimare vult, non ad unam duntaxat vel ad binas, sed ad omnes pariter animum convertere debet, singulasque inter se conferre,

ferre, atque diligenter cavere, ne invicem committantur, unaque alteri adversetur. Deinde etiam respiciendum est ad hominem, obligationis, religionis, atque adeo pœnæ & præmii capacem. Hæc inter se ita concilianda, ut, sive ad hominem in statu naturæ vel gratiæ positum respicias, nihil statuatur, quod virtutibus divinis omnibus, inter se collatis, contrarium: nihil, quod obligationi hominis, & facultatibus ipsius essentialibus manifesto repugnet. Si quis jam Systema causarum occasionalium rite introspiciat, manifestum erit, auctores hujus Systematis id tantum agere, ut potentiam & Independentiam Dei extollant, cæterarum vero Dei virtutum, non eam, quam oporteret, habent rationem; de homine adeo parum sunt solliciti, imo tam abjecte de viribus ejus naturalibus sentiunt, ut putes, eum pro ligno, alienis nervis mobili, æstimari. Ego vero vix crediderim, opinionibus illis subtilioribus ex metaphysica petitis, quæ captum simpliciorum superant, Dei gloriam maximopere extolli. Ille potius mihi vere gloriam Dei vere agnoscere, & celebrare censendus videtur, qui Deum, prout is nobis in S. Literis cognoscendus sistitur, amat, in eo fiduciam reponit, incredibili studio præcepta divina rite custodiendi ardet, a vitiis, quantum in hac rerum imperfectione licet, sibi cavet, atque omnes vitæ adversitates patienti animo fert, atque ut Deum per Christum Jesum sibi habeat propitium, omnem impendit curam. Nisi forsan putent homines huic sententiæ addicti eum demum rite colere Deum, qui *Malebranchii* & *Thomistarum* de concursu Dei opiniones perspectas plane habeat, & ad digitos rationes eorum referre, & omnes difficultates hic occurrentes solvere possit. 4) Quod vero inter plebem passim opiniones divinæ providentiæ & libertati contrariæ obtineant, non alii possum adscribere causæ, quam Theologorum quorundam, inprimis vero Oratorum Sacrorum minus circumspectis de hoc argumento locutionibus. Plebs certe ad dicta Pastorum magis quam vero ad Philosophorum Systemata attendit. Jam vero experientia notum est, multos dum impotentiam hominis moralem demonstrare, gratiosæ vero Dei voluntatis potentiam & efficaciam deprædicare volunt, adeo hyperbolicis verbis, & exaggerationibus uti, ut, si verba eorum ad literam sumere, & ad vivum, ut ajunt, resecare velles, merito colligi deberet, homines etiam in naturalibus, & actionibus ad vitam hanc animalem pertinentibus, omni prorsus libertate destitui. Recte quidem agunt Theologi & Oratores publici, si secundum S. Literarum manuductionem, auxilii divini ad consequendam æternam salutem necessitatem, vim, & efficaciam.

ciam, ostendunt, at est modus in rebus, neque exaggeranda sunt, quæ certis duntaxat veritatis tetminis sunt conclusa. Certe, dum de impotentia hominis morali verba facere debemus, cavendum quammaxime, ne Lector, vel auditor, non sine specie veri existimet, hominem non majori ad agendum vel ad non agendum, libertate instructum, quam lapidem & stipitem. Duo enim ex incautis illis locutionibus oriuntur mala; prius est, quod homines illis utantur ad peccatorum suorum gravitatem vel minuendam vel plane excusandam. Notum est homines impios, quorum numerus eheu! inter christianos valde magnus est, ex ipsa hac impotentia male intellecta præsidia quærere, ad malitiam tegendam: unde vehementer sibi plaudunt, quando audiunt, Doctores publicos causam suam, uti illi putant, perorare: mentem enim eorum ita interpretantur, ac si docerent, homines ab iis etiam natura sibi temperare non posse, quæ lege naturali cunctis mortalibus sunt præscripta. Atque hinc fieri aliter non potest, quam ut pravis adfectionibus fræna laxent, atque animo ægre sequaci officiis suis defungantur. *Posterius* est, quod hac ratione multi de bonitate Dei, ejusque sapientia, incipiant minus reverenter sentire, quod non parum veræ pietatis studio obstat. Nulla enim inter virtutes Dei magis hominem allicit, quam ipsius Bonitas. De hac si minus recte judicant homines, incitamenta ad virtutis studium præcipuum suum amittunt robur. Dolendum igitur est, hoc malum plures homines veneni adinstar infecisse! multos certe ita præpostere & impie de providentia Dei sentire ex promiscuis hominum sermonibus, & imprimis excusationibus, quibus utuntur, ad peccata sua extenuanda, manifestum est. Unde hortandi sunt Theologi & Oratores publici, ut caute & circumspecte semper de hoc argumento loquantur. Interim fatendum est, Theologos diversis sententiis de extensione providentiæ ad mala imbutos, ubi ad clarum locum S. Literarum, in quo Deus ab omni malo absolvitur, neque quenquam ad malum tentare vel invitare dicitur, deventum est, omnes inter se amice convenire. Vide tu Interpretes ad locum *Jacobi cap.* 1. v. 13. Inter recentissimos hujus Epistolæ Interpretes est referendus, *Heisenius*, Theologus Reformatus *Bremensis doctissimus*. Hic vero enumeratis quibusdam crudioribus locutionibus antiquiorum Reformatorum pag. 516. ita loquitur: *Quicquid sit, præstat abstinere ejusmodi phrasibus, & Dei ad omnia ipsaque etiam peccata se extendentem providentiam, hominisque a Deo dependentiam ita tueri, ne fraus fieri illibatissimæ ejusdem Dei sanctitati, & libertati*

tati humanæ voluntatis, & ne immunis pronuntiari peccator a culpa videatur. Patent inconsultæ illæ & inconditæ voces antagonistarum criminationibus, & adversa fronte cum stylo N. Testamenti videntur pugnare. Nam quid amabo, Candide Lector! Deus impellit ad opera mala, aliud est, quam Deus tentat ad malum, quod diserte Jacobus nos & credere & dicere vetat? Mosis & Prophetarum dictio sublimior est, sobrieque frequentius per tropum explicanda. Nunquam ego adducar, nunquam spero alius quicunque prudens & Dei reverens adducetur ad existimandum verba Ezech. XIV. v. 9. Ipse (falsus) Propheta si pellectus fuerit, ut eloquatur verbum, ego Jehova, pellexi prophetam illum: proprie & secundum Literam esse intelligenda. Primi Reformatorum Theologi Theodorus Beza, P. Martyr, aliique, locutionibus sæpe æquo durioribus usi sunt: sed ne ipse Lutherus satis sibi ab iis cavit, ut vulgo constat. At recentiores, quod laudo, emollitum iverunt. Postquam hæc *Heisenii*, ut & *Vitringæ* ad Esaj: VI. v. 10. & *Witsii Miscell.* Tom. II. Exercit. I. eandem tibiam inflantium, verba adduxisset *Clarissimus Tübingensium Theologus Weismannus*, in hæc verba erupit. *Nos hujusmodi declarationes omnino attendendas esse existimamus, Heiseniique maxime candorem laudamus sincere. Quod si porro Reformatæ partis Theologi abstineant a renovandis principiis crudioribus, nostrique contra æquitatem omnem heic adhibeant, cessabit tandem, ut opinior odiosa illa de Deo auctore & causa peccati controversia.* Utinam non de hoc tantum argumento, sed & de reliquis, quæ restant, controversiis, unum sentirent Protestantes; aut ubi id fieri per omnia non potest, non obstante levi dissensu, in unum corpus tamen tandem coalescerent!

Felicitas Impiorum sinistras de Dei providentia excitat opiniones.

VIII. Sed & aliæ causæ sunt, quæ efficiunt, ut homines sæpe de Providentia Dei sinistras foveant sententias, imo aliquando eo impietatis perveniant, ut Rectorem mundi dari inficientur. Inter eas non minima est Impiorum felicitas, & e contra piorum oppressiones & adflictiones. Dantur nimirum nobiles & ignobiles, qui exigua Numinis reverentia tacti sunt; qui divina humanaque rident, Religionemque pedibus conculcant; dantur qui proximum variis dolis & fraudibus circumveniunt, viduas & pauperes bonis suis spoliant, uno verbo dantur homines, qui omnibus sceleribus sunt contaminati & cooperti. Hi tamen sæpe florent, & abundant iis, quæ prima mortales putant, nimirum divitiis, honoribus, & omnis generis deliciis hujus vitæ: contra vero sæpe videas homines optimos & pietatis amantissimos, vel cum pertinacissimis morbis colluctari, vel a noxiorum inso-

insolentiis premi, vel gravi paupertate laborare, vel mala bellorum injustissimorum sentire, vel aliis miseriis & adflictionibus obnoxios esse. Jam vero fieri aliter non potest, quàm ut diversa de his statibus hominum ferantur judicia. Qui de Religionis Christianæ præstantia & veritate non satis sunt persuasi, & exiguam simul Theologiæ Naturalis habent peritiam; qui amore rerum terrestrium sunt incensi; qui vivendi ratione delicatiori antea erant assueti, postea vero ad incitas rediguntur: qui commotiore sunt animo, & temperamento cholerico; qui falsam veræ felicitatis ideam animis alte habent infixam: qui existimant veræ pietatis studium necessario & semper sua præmia in his terris reportare debere; qui magnificentius quam par est de se & suis virtutibus sentiunt, hi inquam omnes facile, aut in perpetuas de Numinis providentia dubitationes incident, aut prorsus negabunt, Deum rerum humanarum curam habere. Quo majora autem sunt mala, quibus ejusmodi homines premuntur; quo florentiore in statu fuerunt, antequam in calamitates varias incidissent; quo magis de sua innocentia persuasi sunt, eo profundiores in animis excitantur dolores & querelæ. Jam vero affectus illi sæpe tam vehementes sunt, ut rationes quæ ad eos sedandos adferuntur, non satis ponderis habeant, quantum necesse esset, ad tranquillitatem mentis revocandam. Piis etiam & optimis obtigisse, ut per intervalla, de cura Dei erga se dubitaverint, & propterea quærelis omnia repleverint, Exempla, cum ex S. Literis petita, tum experientia omnium Seculorum, contestantur, quæ a viris doctis hinc inde collecta fuere. Unum tantum aut alterum locum adduxisse juvat. Ita testatur *Lactantius Instit. div. Lib. III. cap. 17.* inter alia argumenta, quibus usus sit *Epicurus*, ad impugnandam Providentiam etiam hoc, de quo loquimur, fuisse. *Videbat* (inquit) *Epicurus bonis adversa semper accidere, paupertatem, labores, exilia; eorum amissiones; malos contra beatos esse, augeri potentia, honoribus affici. Videbat innocentiam minus tutam, scelera impune committi; videbat, sine delectu morum, sine ordine ac discrimine annorum sævire mortem; sed alios ad senectutem pervenire, alios infantes rapi, alios jam robustos interire, alios in primo adolescentiæ flore immaturis funeribus extingui, in bellis potius meliores & vinci & perire. Maxime autem commovebat, homines inprimis religiosos gravioribus malis affici; iis autem, qui aut Deos omnino negligerent, aut non pie colerent, vel minora incommoda vel nulla.* Notissimi sunt versus *Claudiani* Lib. I. in *Rufinum* ita loquentis:

Sæpe

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem
Curarent Superi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu

& allatis quibusdam, pro divina providentia pugnantibus argumentis, rurſus in hæc verba erumpit.

Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Adſpicerem, lætosque diu florere nocentes
Vexarique pios: rurſus labefacta cadebat
Religio, &c. plura exempla & teſtimonia attulerunt *Pfannerus Theolog. Gent. cap. VIII.* & *Hadrianus a Cattenburg Spicileg. Theolog.* pag. 284. 285. E Sacris exemplo eſſe poſſunt Liber *Jobi*, *Pſal. LXXIII. v. 2. ſq. Erem. XII. 1.* Quid vero ad ſpecioſam hanc objectionem reſpondendum ſit, alibi videbimus. Legantur Doctiſſimorum virorum, qui cum P. *Baylio* congreſſi ſunt, meditationes, & reſponſa. Interim non dubito, quin ſubtiliores controverſiæ de origine mali moralis & phyſici in vernaculas linguas translatæ, multos potius in dubitationes conjecerint, quam vero ab iis liberaverint: facile enim objectiones illæ intelliguntur; at ut quis nervos reſponſionum intelligat, accuratiore cognitione Theologiæ & Philoſophiæ eum inſtructum eſſe oportet. Tandem & id haud parum conferre putem, ut homines quidam dubitanter de provida Dei cura ſentiant, quod nimirum in communi hominum ſermone ſingulæ Electiones, munerum & dignitatum diſtributiones, in dignos pariter & indignos collatæ, ſingulari alicui providentiæ directioni tribuantur, ubi tamen ſole meridiano clarius eſt, quibus artibus ad has vel illas ſpartas ornandas homines fuerint evecti. Permittente Numine hæc fieri nemo dubitat; nec negamus, aliquando ex omnium circumſtantiarum collatione patere, hominum quorundam animos, ad alios adjuvandos non ſine Numinis directione diſpoſitos fuiſſe. In cœteris vero quotidianis Electionibus & munerum per vota factis diſpenſationibus, ſingulare quid intercedere, mentesque inſolita quadam ratione adflari, ut hic potius quam alius eligatur, & plerorumque ferat puncta, credibile non eſt. Interim tamen omnes, qui viliſſimo etiam muneri admoti fuere, ita in communi ſermone loquuntur, ac ſi ſingulari Numinis diſpenſatione hoc factum fuiſſet. Hac ratione autem fit, ut multi, deprehenſis rationibus hujus vel illius promotionis, quæ palpari utplurimum poſſunt, quæ Numinis tamen ſingulari directioni tribuitur, incipiant dubitare de Regimine ipſo divino rerum humanarum. Certe quemadmodum nihil divinæ

providentiæ est subtrahendum, cum illa se se ad maxima, medioxima, & minima extendat; ita ab altera parte inter omnes constat, quædam Deum non impedire, sed permittere, non vero in rebus singulis, civilibus certe, quasi per miraculum semper intercedere.

Abusus Juramentorum efficit, ut multi de providentia divina, aut sinistras foveant opiniones, aut plane eam infitientur.

IX. Inter ea, quæ in animis hominum Reverentiam Numinis excitare deberent, merito referenda sunt juramenta. Ea certe apud omnes populos pro re sanctissima habita fuere, adeo ut ipsi Gentiles perjuros, nonsolum inter genus hominum profligatissimorum retulerint, sed & adseruerint, tales in tartaro gravissimis pœnis adfectum iri, quod fuse ostenderunt Viri docti, qui data opera hoc argumentum excusserunt. Unicum adduxisse juvat locum, nimirum Platonis. Is de legibus Lib. II. ita loquitur: ψευδος μηδεις μηδεν μηδ᾽ἀπατην, μηδε τι κιβδηλον, γενος ἐπικαλȣμενος Θεων, μητε λογω μητε ἐργω πραξειεν, ὁ μη θεομισεςατος ἐσεσθαι μελλων. ȣ̓τος δέςιν ὁς ὠν ὁρκȣς ὀμνυς ψευδεις μηδεν φροντιζη Θεων. i. e. *Nemo quisquam invocatis Diis falsum, dolosum depravatumque quidpiam vel verbis, vel reipsa admittat, ni Diis infensissimus esse velit. Deus nimirum illum odio prosequitur, qui sacrosancta divini Numinis auctoritate neglecta, falsum juramentum dicit.* Et profecto, quisquis ad naturam juramenti serio animum advertit, facile de rei gravitate erit persuasus. In Juramento enim nonsolum Deum cordis, dictorum & factorum, infallibilem testem esse profitemur; sed & iram divinam ultro in nos, si rei sumus, provocamus. Hoc tamen non obstante verissimum est, inter christianos multos dari perjuros; multos, qui ob levissimas rationes ad juramenta præstanda paratissimi essent; multos denique, qui perjuria inter peccatilla referant. Cum vero homines illi, licet divinam excandescentiam contra se provocarint, rarius pœnis subjici videantur, alii, quorum Religio aut nutat, aut animus valde corruptus est, incipiunt dubitare, utrum Deus rerum humanarum curam gerat. Existimant, Deum, ad terrendos cæteros, gravissimis pœnis subjicere debere tam graviter peccantes, quasi Deus in instanti præstare hoc deberet; aut post hanc vitam pœnis nullus futurus esset locus. Quod si vero in causas tot falsorum juramentorum, quæ passim, inter Christianos locum habent, inquiramus, variæ se se offerunt, quas strictim heîc, quandoquidem data opera de hoc argumento non agimus, repræsentabimus. Et 1) quidem certum est, inter eos, qui in cœtibus Christianorum vivunt, multos existere sceleratos, nulla vel exigua cura Religionis tactos. Hi quicquid sacrum & venerabile est, parum curant, de iis duntaxat solliciti, quæ ad vitam suaviter

viter ducendam, facere possunt. Mirum autem non est, tales, sanctissimas leges & officia transgredi. 2) Sunt inter Christianos, qui crassa rerum divinarum & moralium ignorantia laborent. Hi naturam juramentorum, eorum vim, obligationem, & gravitatem, non satis habent cognitam: rarius etiam de hoc argumento differi audiunt. Quo autem minus de officiis suis persuasi sunt homines, eo proclivio-res etiam sunt, ad ea negligenda & transgredienda. Multi inter Gentiles hac in parte reverentius de Juramentis cogitarunt, quam christiani: ita ille apud *Terentium in Hecyr. Act. V. Sc. 1. ait: Aliud si scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem sanctius, quam jure jurandum, id pollicerer tibi Laches.* 3) Ipsa consuetudo frequentiora juramenta præstandi efficit, ut homines minus religiose sanctissimo hoc officio defungantur. In quibusdam Regnis & Rebuspublicis, multis, ubi agitur de rebus non adeo magni momenti, imponuntur tamen Juramenta. Atqui cum ingeniis hominum ita comparatum est, ut id, quod frequentissime præstandum est, vilescat. Sic novimus frequentiorem illam consuetudinem toties templa frequentandi, penes multos efficere, ut ad religionis negotia minus sint attenti, neque ex auditis Orationibus sacris eam capiant utilitatem, quæ percipienda esset, ex re tanti momenti. Ita pariter cum multis in locis nemo ad administrationem muneris alicujus, sæpe levis, admittatur sine juramento intercedente, fieri aliter non potest, quam ut homines consuetudine jurandi commoti, juramenta negligentius tractent. Certe, si rariora essent, & nonnisi in gravissimis negotiis & casibus talia imponerentur, tot perjuriis locus non esset relictus. Ipsi sane Gentiles agnoverunt, juramenta *rarius* esse præstanda quod adductis variis Veterum locis Viri docti probant. Juvat unum saltem & alterum adduxisse. *Quintil. Instit. Orat. Lib. IX. cap. 11.* ait: *In totum jurare, nisi ubi necesse est, Viro gravi parum convenit.* Epictetus Enchirid. cap. 44. ὁρκον παρειτισαι εἰ μεν ὁιον τε εἰς ἁπαν. Εἰ δε μη ἐκ των ἐνοντων. *Jusjurandum recusa, si fieri potest* omnino: *sin minus quantum potes. Hierocles in aurea Carmina Pythagoræ* ad versum 2. σεβε ὁρκον vers. 1. edit: Curterii p. 33. ait: *Fuerit autem cultus ejus* (sc. Juramenti) *servandi optima ratio, & cura, si eo nec frequenter utaris; nec temere: nec quibuslibet in rebus; nec ad Sermonis amplificationem: nec ad narrationis confirmationem atque fidem.* & pag. 34. Το δη σεβε ὁρκον ἐ μονον ἐυορκειν, ἀλλα καὶ ἀπεχεσθαι ὁρκε παρενγυα: ἑτω γαρ ἀν τηρησαιμεν το ἀιει ἐυορκειν, εἰ μη καταχρησοιμεθα τοις ὁρκοις. καὶ γαρ ἐν τη συνεχεια τε ὀμνυειν ῥαδιως ἀν μεταπεσοι τις εἰς ἐπιορ-

ἐπιορκιαν. φειδοι δε τηρησις ἐπεται. ἡ γαρ ἐκ ὀμνυται. ἡ ὁταν ὀμνυσιν, ἐυορκησει. κἀι ἐτε ἀν ὑπο συνηθειας προδραμη ἡ γλωσσα, ἐτε ὑπο παθων ἀκρατειας ἡ διανοια σφαλειη. i. e. *Quod autem jusjurandum colere præcipit: nonsolum non pejerare, sed a jurejurando etiam abstinere docet. Ita enim perjurio semper vacabimus, si jurejurando nunquam abutamur. Jurandi siquidem consuetudine in perjurium facile prolabimur. Contingit autem ut abstinentiam sequatur observatio. Aut enim non juratur; aut cum juratur sancte juratur, & juste: consuetudine deinde nec præcurrit lingua: nec cupiditatum intemperantia mens labitur.* confer. *Illust. Grotium ad Matth. V. v. 33. 34.* Accedit huic, quod passim homines audiant, solemnia pacta, fœdera juramentis etiam confirmata, a principibus Viris parum religiose servari, imo prout e re sua esse putent, dissolvi: ex quibus, cum non semel, quod audiunt, verissimum sit; colligunt homines, quibus pietas non adeo cordi est, juramenta forte eum in finem duntaxat excogitata, ut Subditos in officio contineant Principes & specie sanctitatis ipsis imponant jugum, quod ipsimet tamen ferre nolint. 4) Sæpe imponuntur juramenta talibus, de quibus non levibus indiciis constat, eos religionem & conscientiæ leges parum curare. Tales sane, inprimis si sacra auri fame laborent, non dubitabunt, ubi e re sua esse putabunt, rem omnium sanctissimam vilipendere. 5) Impunitas hujus Sceleris plures allicit. Solet enim successus multos ad perniciem devocare. Sæpius illi, qui non contemnendis argumentis & testimoniis perpetrati sceleris possent argui, impuniti dimittuntur, quod cum alii vident, iisdem artibus utuntur. 6) Denique haud parum etiam ad hoc conferre existimo formulas quasdam verborum quibus Juramenta conceptæ sunt. Sæpe illæ ita sunt comparatæ, ut si ad literam interpretari verba velles, statuendum esset, juramentum nos ad impossibile obligare. Ex quo ipso homines levis animi colligunt, non adeo stricte observationi Juramentorum esse insistendum, cum nemo ea, si vocum vim sequi vellet, servare posset. Nullus equidem dubito, quin talium formularum auctores bono animo tam efficacibus, imo hyperbolicis locutionibus aliquando usi sint. Existimarunt enim obligationis vim ita intendi: at si in ullo, hoc certe in negotio, cauti esse debent illi, qui formulas juramentorum facere solent; nonsolum enim verba juramentorum debent esse clara, perspicua, definita, & ab omnibus metaphoris aliena; sed & juramentum ipsum, quod præstandum est, viribus hominum attemperatum esse debet. Id nisi fiat, incipiunt homines variis exceptionibus & restrictionibus uti,

uti, & quidem sæpe talibus, ut obligationis vis vel minuatur valde, vel prorsus tollatur.

His denique Incredulitatis causis, hactenus recensitis, accedunt (ut plures non adducam) variæ *injuriæ & impostura Sanctitatis & pietatis titulo ornatæ, a Viris Ecclesiastici & politici ordinis excogitatæ, ut aliis imponant, aut eos facultatibus suis defraudent.* Hæ efficere sæpe solent, ut homines, non satis prudentes, & religionis amantes, de universa Religione incipiant dubitare. Eas vero impostura & fraudes singillatim exposuit, & ingenti Exemplorum numero confirmavit, *Doctissimus Jure Consultus Samuel Treverus, Professor Helmstadiensis* tribus editis, de hoc argumento dissertationibus, quæ lectu sunt dignissimæ. Sed hæc, de Causis Incredulitatis dicta, sufficiant.

ΈΠΙΜΕΤΡΟΝ

THESIUM THEOLOGICARUM.

I. Argumenta pro existentia Dei, a posteriori, uti vocantur, seu ab effectibus pulcherrimis, quos in hoc mundo deprehendimus, petita, omnium ingeniis sunt attemperata, eoque nomine a Concionatoribus publicis potissimum sunt urgenda: Ea vero quæ nimis sunt subtilia, cum a promiscua turba non intelligantur, omittenda censemus.

II. Nemo exitio æterno addicitur, nisi ob perseverantiam in peccato.

III. Quemadmodum certum est, Dei Providentiam ad maxima, medioxuma & minima, se se extendere, atque adeo illos omnes male agere, qui aliquid Providentiæ divinæ subtrahere volunt: Ita ab altera parte cavendum est, ne quicquam statuamus, quod obligationem hominis, tanquam creaturæ rationalis & liberæ, tollere posset. Libertate enim sublata, perit omnis Religio.

IV. Qui negant, dari in S. Literis hyperbolicas locutiones, aut nesciunt quid sint hyperbolæ; aut in verbis ludunt.

V. V. D. Minister, nullis, vel exiguis animi dotibus ornatus, & superficiaria duntaxat rerum theologicarum cognitione instructus, non solum parum conferet ad veram Religionem confirmandam; sed & Ministerium sacrum, & religionem in contemtum adducet. Ex

quo sequitur, non solius pietatis, licet ea virtus principalis sit Pastoris, sed & Eruditionis, qua instructus esse debet Theologiæ Candidatus, rationem habendam esse iis, qui munus Ministrorum illis imponere solent. Gravia sunt hoc de negotio verba perspicacissimi Theologi, *Steph. Gaussen.* Sonant autem ita: *Nos ita existimamus, adulterum & homicidam Societati nunquam tantum obfuisse, quantum Ecclesiastes obest, qui, invita, ut loquuntur Minerva, nullis plane dotibus ad eam rem instructus, totos triginta annos apud eundem populum, nullo meliore Collega sublevatus,* ἐκκλησιαζει: *nam primo ea res Ecclesiastæ ipsius contemtum atque odium parit: Contemtus atque odium Auditores ad sacras conciones audiendas remissiores facit: a Sacrarum autem concionum contemptu, quam minimum absit, ab ipso rerum sacrarum fastidio, facile intelligitis: rerum porro sacrarum fastidium, quid aliud, quam impietatem ex se dabit? Impietas & animæ & Reipublicæ ruinam inducet. de arte Concion. pag. 147. Edit. Cassell.*

VI. Non magis ex verbis Christi ad Petrum Joh. XXI. v. 17. *pasce oves meas*, sequitur, Episcopum Romanum esse Monarcham totius Ecclesiæ, quam ex Virgiliano illo: *Tityre, dum redeo (brevis est via) pasce capellas* sequitur, Tityrum, & omnes successores ejus, fore infallibiles; aut eos esse Reges terrarum, quia apud Homerum Reges ποιμενες appellantur.

VII. Quamvis eheu! negari non possit, plures Protestantium, doctrina de justificatione per fidem ad suam perniciem abuti; certum tamen est, dogma ipsum verum & innocuum esse: statuunt enim: ab una parte quidem, bonis operibus, aut ipsi etiam fidei nostræ nullum statuendum esse ejusmodi pretium, cujus efficacia justificationem apud Deum promereatur; ab altera vero fidem mortuam non esse veram fidem, sed fidei tantum larvam, censeri autem *mortuam*, quæ sit *sine operibus* (Jacobi II: 26.) id est, quæ bona opera, nisi forte facultas ea operandi, aut occasio penitus defuerit, sibi conjuncta non habeat.

VIII. Quantum absurda dogmata conferre possint ad Incredulitatem promovendam, patet inter alia exemplo *Averrois*, Celebris inter Arabes Philosophi, qui sic locutus esse fertur: *Quandoquidem Christiani edunt quod colunt, moriatur anima mea morte Philosophorum.*

X. Cum certum sit, neminem, in vita & morte, verum solatium ex eo capere posse, quod *Universalistarum*, vel *Particularistarum* addictus sit systemati, sed ex eo, quod *singularis* & *individualis* gratiæ fructus,

fructus, & bonæ conscientiæ testimonium in se deprehendat: manifestum est, Theologis, & V. D. Ministris non tam laborandum esse, ut prolixe coram plebe de ordine & modo gratiæ operantis disputent, quam vero, ut serio & graviter adhortentur Christianos, ut characteres verè Electorum & Justificatorum possidere nitantur. Veritas hujus sententiæ vel ex eo etiam patet, quod Reformati pariter & Lutherani asserant, neminem de electione sua, & justificatione certum esse posse, nisi, cui salutaris fides, cum pœnitentiæ & bonorum operum studio, insit.

X. Ne tamen cui hæc thesis nostra insolita videatur, duorum Theologorum Eruditionis & pietatis laude florentium testimonia adducam. Prius est τε Μακαριτε Cl. *Grynæi* Theologi longiore vita dignissimi, viri non tantum ob singularem Eruditionem, sed & ob pietatem inclyti. Hic vero in λειψανοις nuper demum a Cel. *Frey* editis (cui eo nomine gratias agent, quotquot veræ Eruditionis gustum habent) pag. 171. ita pronuntiat: *Utinam nobis liceret æterno silentio involvere controversias, quæ nobis cum Augustanæ Confessionis fratribus intercedunt, & quarum asperior tractatio, dum infelici discidio ortum dedit, Ecclesiæ Dei vulnus inflixit immedicabile & Rei Protestantium publicæ damnum irreparabile intulit. Parum sane abest, quin dicam multa, imo plurima, de quibus inter nos dissentimus, curiose potius quam utiliter disceptari. Hortatur equidem fideles, quotquot sibi introitum in regnum æternum Domini nostri & Servatoris nostri J. C. subministrari cupiunt*, Divus Petrus, (Epist II. cap. I. v. 10. 11.) *ut vocationem suam & electionem firmam efficere studeant; At ut in vocationis hujus & electionis arcanas causas inquirant, non jubet, multo minus ab iis exigit, ut decretorum divinorum ordinem, modum, ac rationem omnem non aliter in numerato habeant, quam si Deo fuissent a Consiliis.* Posterius est, Viri itidem *Clarissimi & pacis amantissimi*, nimirum J. C. *Klemmii*, *Theologi Tubingensis Præstantissimi.* Hic edidit A. 1742. Dissertat. Exegetico-dogmaticam ad Lucæ XIII: 23. 24. Verba Evangelistæ ita sonant: Ειπε δε τις αυτω, κυριε, ει ολιγοι οι σωζομενοι: ο δε ειπε προς αυτους, αγωνιζεσθε εισελθειν δια της στενης πυλης &c. Hæc verba postquam breviter explicasset, Responsionem Jesu Christi sapientissimam esse probat, melioremque omnibus responsis, quæ a Theologis, ex suis systematibus dari possent. Probat autem suam sententiam sequenti generali syllogismo: *Quod omnes in suo genere habet perfectionis gradus, est optimum. Quod tutissimum, quod sapientissimum, quod sanctissimum, quod infallibile, quod adæquatum,*

& decisivum; quod planum & perspicuum non perplexum, non spinosum, quod maxime pacificum est &c. illud omnes in suo genere habet perfectiones. Quod omne errandi atque detrimentum capiendi avertit periculum est tutissimum. Quod finem mediis aptissimis, remotis impedimentis assequitur, est sapientissimum. Quod sanctitati Christianorum seu officiorum erga Deum, seipsum & proximum quammaxime inservit, est sanctissimum. Quod falli & fallere est nescium, est infallibile. Quod omnes difficultates tollit, pleneque satisfacit est decisivum. Quod sine involucris, ambagibus, spinisque, sententiam edicit planum est, & perspicuum. Quod lites omnes præcidit, & paci consulit, est pacificum: denique contrariorum contraria est ratio, &c. Jam vero per partes probat Vir. Cl., talem esse responsionem Christi, cui attributa illa omnia competant.

XI. *Admissorum flagitiorum conscientia, sæpe pessimis hominibus terrorem injicit, eosque angoribus conficit: Vis ista conscientiæ fortassis non directe probat, existere, quem impii ultorem scelerum metuunt, Deum. At hoc tamen probat: reliquis argumentis, quæ Dei existentiam evincunt, & undique sese menti nostræ ingerunt, tantam inesse vim, & efficaciam, ut vel invitis assensum extorqueant.* Thesis hæc est τε, Μακαριτε Cl. *Grynæi* l. cit. p. 125. sq. Idem dici potest de argumento pro existentia Dei petito a communi Gentium consensu. Consensus ille vel omnium vel plurimarum Gentium directe non probat existentiam Numinis; sed hoc tamen ex eo colligi potest; veritatem de existentia Numinis ita esse claram & perspicuam, ut ab unoquoque, non plane stupido, adhibita modica diligentia, cognosci possit.

XII. Qui mysteria Religionis christianæ rejiciunt, & miraculis nullam probandi vim inesse contendunt, simul tamen pro membris Ecclesiæ Christianæ haberi volunt, stulte sibi persuadent, veros Christi Sectatores ratiocinandi arte destitui, se vero solos sapere.

XIII. Methodus concionandi recentiorum Anglorum, omnium, doctorum pariter & indoctorum ingeniis, mihi attemperatissima esse videtur.

XIV. Theologi & V. D. M. eruditi & prudentis est, controversiarum numerum non augere, sed quantum veritas, & natura rerum patitur, minuere; veras controversias ad minimos terminos redigere, inutiles plane resecare, & nonnisi ἰσορίας ἕνεκα earum mentionem facere. Idem sensit laudatus amicissimus, dum fata sinebant, vir, *Grynæus* l. cit. p. 158. *Misera* (inquit) *est hoc ævo nostro Ecclesiæ tot Sectis, χισμασι, discordiis, dissensionibus distractæ facies: fœdum*

in

in modum dilacerata est inconsutilis illa Christi tunica. Sperari vero vix potest, fore, ut, qui de sanandis ac consolidandis istis Ecclesiæ vulneribus soliciti sunt, γνησιοι, pacifici, Servatoris discipuli aliquid conatibus suis proficiant, nisi ostendant, non esse tantum, quantus vulgo existimatur, controversiarum vere theologicarum numerum, litesque multas, quæ magnas animorum peperere divulsiones, non dignas esse, quæ tanta contentione agitentur, imo persæpe, ubi si diligenter animum advertas, nulla dissensus materies subest, meram altercandi libidinem esse, quæ controversiam perpetuet.

MEDITATIONIS DE CAUSIS MAGIS MAGISQUE INVALESCENTIS INCREDULITATIS, ET MEDELA HUIC MALO ADFERENDA.

PARS IX.

Sect. I.

Scopus Auctoris in hac dissertatione ostenditur.

IN antecedentibus Dissertationibus de hoc argumento editis, in causas Incredulitatis diligenter inquisivi, & plerasque, quæ homines a religione alienos reddere possunt, in apricum produxi. Tempus jam esset, ut ostenderem, quod & titulus harum meditationum promittit, quænam sint optima media malo huic occurrendi, & qua ratione cum iis, qui morbo hoc laborant, agendum. Sentio autem me id rite præstare non posse, nisi prius expendam generalia quædam argumenta, vel potius præjudicia, quibus illi, qui a religione vel omni, vel saltem a christiana abhorrent, uti solent. Hoc non solum nobis occasionem suppeditabit, de rebus magni momenti differendi, sed & animos Incredulorum, eorum saltem, qui aliquo amore veri sunt incensi, præparandi ad fata accipienda, id est, ad rationes pro veritate religionis christianæ in medium prolatas serena fronte expendendas. Hoc vero dum agimus, Lector a nobis non exspectabit demonstrationem Religionis vel Naturalis vel Revelatæ, nedum operosum examen objectionum, quibus Increduli gravissima Religionis capita impugnare solent. Id enim a Viris, pietate, eruditione, & Ingenii acumine eminentissi-

nentissimis, quæ Seculi nostri Felicitas est, ita præstitum, ut quoad summam rerum nihil addi posse videatur. Id tantum operam dabimus, ut generales quasdam horum hominum objectiones, quas illi *præjudicia legitima* appellare solent, sincere Lectoris oculis subjiciamus & expendamus. Deum vero nos ex animo progamur, ut unum vel alterum hujus tribus, ab erroribus & vitiis liberatum, in viam veritatis, quæ secundum pietatem est, reducat.

Objectio quædam generalis Deistarum fictitur.

II. Antequam vero rationes illas generales Deistarum adduco, objectio primo quædam est in medium proferenda, quæ est opposita iis, quæ initio nostrarum meditationum de causis Incredulitatis disserui. Nimirum inter præcipuas Incredulitatis causas retulimus, ambitionem, inclarescendi studium, & pravarum voluptatum amorem. Hic vero quidam ex Incredulis conquerentur, & injuria se se affici clamabunt, contendentes, se amore veri inquirendi, & religionis cognoscendæ studio commotos, ad amplectenda sua dogmata inductos esse: Trivialem nimis esse hanc objectionem, quæ in hos, qui talia objiciunt, retorqueri facile possit: multos religioni christianæ addictos esse, eamque ob varia commoda defendere, licet vere de ejus divina origine persuasi non sint. Non esse, ubi de his vel illis sententiis religionis agatur, judicandum ex incentivis, quibus hi vel illi ad ita vel aliter sentiendum adducantur: rem ipsam in se spectatam esse considerandam, cætera non operose esse indaganda, sed Deo cordium scrutatori (res enim nobis potissimum est cum iis, qui Theologiæ naturalis præcipua capita admittunt) ea esse relinquenda: Experientiam testari, multos Deistarum vitam vivere honestam, neque adfectuum impetu se se pati abripi. Plerosque mortales non semper suis opinionibus convenienter agere. Constare hoc ex ipsa confessione multorum Ecclesiæ christianæ Doctorum; ipsos enim docere, Religionem christianam insignem quidem sua natura habere vim in animos hominum, simul tamen eosdem diffiteri non posse, longe maximam christianorum partem, eos quinetiam, qui Duces aliorum esse deberent, variis vitiis contaminatos esse, ex quo pateat, non tam varias de religione opiniones, quam vero pravas mentis inclinationes vitiorum causas esse.

Responsio ad hanc objectionem.

III. Necesse est, ut has objectiones per partes expendamus. Et (I.) quidem notari velim, nos, dum pravos affectus Incredulitatis causas esse statuimus, non tam ad certas quasdam personas, quam vero ad vitiorum illorum naturam, vimque, quam in animos hominum quorumvis habere possunt & solent, respicere. Cum igitur ambitio, aliique

aliique adfectus, Philosophum ad tuendas ridiculas opiniones, Theologum ad paradoxa dogmata invenienda abducere possint, cur eadem vitia efficere non possent, ut quis veritates, quæ ab aliis pro sanctissimis habentur, studio nominis famam consequendi, impugnaret? causam non video cur increduli, serena mente hoc perpendentes id infitiari velint; nisi forte putent, se solos ab omni vitiorum labe immunes esse. (II.) Facile concipi potest, qua ratione quidam in Incredulitatem cadere possint, sine pravis affectibus tamen. Dantur nimirum homines, qui incredibili desiderio omnia accurate sciendi adeo flagrant, ut nulli propositioni firmiter adhærendum esse existiment, nisi evidentissime omnia demonstrata esse putent, etiamsi natura rerum id non patiatur: sunt, qui ab ipsa juventute eorum consortio usi, qui acutis argumentis Religionem impugnare solent; Sunt qui mature in tales libellos inciderunt, in quibus de Religionis præstantissimis capitibus utramque in partem disputatur: Sunt quibus responsa quorundam Religionis christianæ Defensorum leviora esse videntur, quam ut de gradu hactenus receptæ sententiæ dejiciantur: Quædam ingenia naturaquasi ad dubitationes facta videntur; quæcunque argumenta excutiunt, scrupulis, ea obsepta esse putant haud facile solvendis, adeo quidem, ut sæpe per totam vitam quid de religione sentiendum sit, dubii hæreant. Quod si his accedunt dissensiones Theologorum de variis Religionis capitibus: examen religionis proscriptum; persecutiones ob religionem, aliaque in antecedentibus Dissertationibus a nobis adducta, facile fieri potest, ut animus ejusmodi hominis, sine pravis affectibus, in incredulitate adquiescere possit. Distinguendum igitur probe est, inter Sententias mere speculativas, & inter talia dogmata, quæ voluntati difficile jugum imponere videntur. Prioribus multi possunt adhærere sine adfectuum adminiculo; posterioribus non item. Placent, quæ de hoc argumento scripsit Vir *Clarissimus de Beausobre filius*, disserens de Incredulitate *Thomæ. Vol.* 1. *des Discours Historiques &c.* pag. 10. 11. *Il faut* (inquit) *bien distinguer, entre les Sources de l'Incredulité. Elle a sa source dans l'esprit, ou dans le cœur. Dans l'esprit, quand il s'agit des verités incomprehensibles à la raison. Dans le cœur, quand il s'agit d'adopter des maximes qui gênent & qui demandent des grands sacrifices. Pour n'avoir pas fait cette distinction, l'on a mis, & l'on met tous les Jours tous les Incredules dans la même classe. Cependant il y a une très-grande difference entre les uns & les autres. Car enfin, si l'esprit ne peut acquiescer aux verités, qu'on lui presente à croire, faute d'eviden-*

d'évidence ou dans l'objet, ou dans les preuves peut-il être condamnable? J'aimerois autant, que l'on condamnoit un homme, parce qu'il ne se peut resoudre à dire, qu'il voit, quand il ne voit pas. Jesus Christ lui-même à decidé la question: Si vous étiés aveugles, dit-il, vous n'auries point de peché. Mais quand l'esprit embrasse certaines verités, & que le cœur ne peut se resoudre aux sacrifices, qu'elles exigent, c'est alors proprement que l'Incredulité est criminelle. C'est un malheur tout pur dans le premier cas. C'est une faute toute volontaire dans le second, & par cette distinction, que les gens dans le monde, qui declament contre les Incredules, & qui sont infiniment plus coupables qu'eux, ils croyent, ou font semblant de croire une Doctrine, qui les oblige à mener une vie pure & innocente, & ils s'abandonnent à des vices honteux, que la raison ne condamne pas moins, que la foi, pendant que l'incredule speculatif, fidele à sa raison l'écoute, la suit, & vit en homme de bien. Thomas est de ce charactere. Sa faute ne part point de son cœur. Elle part uniquement de son esprit, & s'il ne croit pas la Resurrection de son Maître, ce n'est que parce qu'il n'a pû se persuader, que son Maître pût ressuscite: Comme il n'a pû se mettre dans l'esprit, que son Maître dût mourir, & beaucoup moins mourir d'un supplice aussi honteux, que celui de la croix, il n'a pû se mettre dans l'esprit, qu'il dût ressuscite. Le voyant mort toutes ses esperances s'evanuissent. Mon Dieu! Quels obstacles les prejugés ne mettent-ils pas à la Foi, & qu'ils sont difficiles à deraciner. Pour peu que nous ayons d'équité, quel support ne devons nous pas avoir pour les prejugés des autres, nous, qui avons si souvent besoin de support pour nos propres prejugés! Ita doctus ille Vir: Concedamus igitur, non omnes qui *Deistæ* vocantur, pravis affectionibus compulsos esse, ad eas, quas fovent sententias, tuendas; non tamen propterea negari poterit plures huic turbæ nomen dare, & Religionem Christianam, in qua nati sunt, impugnare, vitiosis causis impulsos. Qui nonsolum horum hominum scripta evolvit, sed & ad ea, quæ inter homines doctos etiam geruntur, diligenter attendit, probe videbit, paucos numero religioni nomen dare, de quibus adserere possis, eos accurato examine demum instituto & evidentiæ ponderibus commotos fuisse ad eam amplectendam. Quidam huic familiæ addicti jactitant, *Collinum* v. gr. solo amore veritatis pugnasse: at qui ea legit, quæ auctor *de la Friponerie Laïque des prétendus Esprits forts*, in medium adduxit, dubitare de hoc incipiet. Hinc Auctor Eruditus, qui huic libello præfationem præmisit, postquam monuisset, Collinum, omnes fere ordinis Ecclesiastici Viros vel pro Impostoribus, vel indoctis habuisse,

buisse, ita calamum stringit adversus eum pag. 15. *A ses yeux, tous les gens d'Eglise étoient ou des* Fripons, *ou des* Sots; *& se bornant aux premiers, qui conduisent toujours les autres, il en concluoit, avec aussi peu de raison, que beaucoup de confiance, que la Religion elle-même n'étoit en son tout, qu'un tissu d'impostures. On ne scauroit nier, que le principe, sortant de la bouche d'un Homme d'honneur, ne fût capable de porter quelque coup. Mais Monsieur Collins étoit-il lui-même honête homme? étoit-il vrai? étoit-il integre? N'entroit-il dans son fait, & dans ses vûes, ni mauvaise foi, ni prévarication, ni friponnerie? Je sai que Messieurs les Deistes trouveront ces questions choquantes de ma part. S'il faut les en croire, il n'y a d'honneur, de droiture, & de bonne foi, que chez eux. C'est là où ils se retranchent; c'est par-là principalement, qu'ils prétendent se faire valoir. Eux! les soupçonner d'obliques finesses, de lâches detours, des sentimens & des mœurs de la Canaille! Pour qui les prend on? Ce n'est pas les connoitre. Eh! Messieurs, on vous connoit mieux que vous ne pensés, & l'on ne fait, que vous rendre justice! Un homme, qui se moque de Dieu à tout hazard, peut bien se moquer des hommes, sans consequence: & Mons. Collins, vôtre Orateur & vôtre Héros a poussé si loin le mepris, & le jeu du Public, que vôtre charactere & le sien, ne tromperont plus que des sots.* Lege sequentia hujus Præfationis. Quicquid autem de eo sit, aliquando sine formidine erroris satis probabiliter colligi poterit, utrum quis ambitione, vel aliis affectibus inductus, errori subscripserit nec ne. Alibi hanc regulam posuimus: Si quis ingenio valens & Eruditus, veritates, aut prudentissimorum & oculatissimorum hominum consensu, certissimas: aut saltem summa verisimilitudinis specie munitas, rejicit; simul tamen opinionibus pertinaciter inhæret, quæ aut plane ineptæ & ridiculæ, aut sagacissimorum hominum opinione nulla ratione, si ad evidentiæ gradus respicias, cum iis, quas negat, veritatibus, conferri possunt, Eum ambitione potius, aut aliis pravis studiis, quam inquirendæ veritatis amore duci, apud omnes Cordatos in confesso erit. Huic regulæ statim adjiciam exemplum. Anonymus quidam, data ad Cl. *Clericum* epistola, ni fallor, Bibliothecæ antiquæ & modernæ inserta, probare aggressus est, Religionem christianam originem suam debere, nescio quibus hominibus, Seculo V. viventibus, ex gelidissimis Septentrionis regionibus erumpentibus. Quod si quis jam historica duntaxat argumenta, quibus veritas Religionis christianæ probari solet, paululum expendat, & cum opinione hac ridicula conferat, aliter judicare non potest, quam hominem

hunc,

hunc, novam & insolitam opinionem defendendi studio, ad tantam amentiam abreptum fuisse.

IV. In disputationibus cum aliis (quod quarto loco notari velim) ad rem ipsam de qua agitur esse attendendum, nec curiosius de incentivis, quibus quis ad ita vel aliter sentiendum induci possit, inquirendum, ipsimet agnoscimus. Imo fatemur, in certaminibus theologicis frequenter hoc in casu peccari. Sunt, qui, ut errantem exosum valde reddant, innumeras causas fingunt, quibus inductus sit, ad ita sentiendum. Vident etiam ubique periculosa consectaria. Sub omni lapide dormit scorpius: Ita v. gr. si quis rationis vim, præstantiamque, in examine rerum ad religionem spectantium extollit, non desunt, qui dicant, eum hoc facere, ut religionis christianæ mysteria extenuare possit. Qui punctorum hebraicorum antiquitatem admittere nolunt, id eo fine facere sæpe censentur, ut dubiam nimirum & incertam reddant S. Litterarum auctoritatem. Mille alia exempla transeo silentio. Tantum autem abest, ut tales aliquid contra errantem abtineant, ut potius eum in sua sententia confirment, atque impediant, quominus serena mente rationes, quibus error impugnatur, expendat. Interim rursus hoc non obstat, quo minus dici possit, ambitionem, aliosque pravos affectus, homines ad portentosas opiniones defendendas sæpe inducere, eosque præpedire, quo minus lucem veritatis cernere possint. Cumque quotidiana experientia constet, multos etiam inter eos, qui Religioni christianæ nomen dant, hoc morbo laborare, causam non videmus, cur pari jure asseri non possit, Incredulitatis, aliarumque opinionum nullo fundamento superstructarum, at non sine confidentia singulari prolatarum, causas esse prava animorum studia. Neque etiam nos (V.) omnes promiscue, qui religionem revelatam non admittunt, nonnisi pravis affectibus regi, vitiisque fræna laxare, contendimus. Quod si enim quis leges naturales & morales vere tales, i. e. quæ Numinis nutu & auctoritate nituntur, admittat, causam non videmus, cur tales non possint, si velint, eas in multis quantum fragilitatis humanæ ratio permittit, sequi. Non sunt homines pejores fingendi quam sunt, neque tanquam scelerati repræsentandi sunt omnes illi, qui Religionis christianæ vel plane sunt ignari, vel diversis ex causis eam rejiciunt. Interim & hoc mihi concessuros esse veri amantes crediderim, homines, quo laxioribus religionis vinculis constringantur, eo frequentius a vero virtutis tramite deflexuros. Notum est, magnam habere temperamenta & affectus efficaciam in animos, præci-

Amplius ad objectiones respondetur.

præcipue in intellectum hominum. Vel optimi & de Religionis christianæ divina origine persuasissimi, & quorum cor sincera Numinis reverentia tactum est, impedire tamen sæpe non possunt, quo minus in nervum erumpat affectuum intus latentium vis, & impetus. Quid igitur exspectandum de homine, qui exiguis religionis incitamentis ad pie vivendum se instructum esse sentit, cum adfectuum æstu commovetur? Quemadmodum supra diximus, homines non fingendos esse pejores, quam sunt; ita etiam in contrarium homines non censendi sunt meliores, quam vero constans omnium temporum praxis id docet. (VI.) Homines non semper sua principia sequi, certum est; Hoc enim si esset, omnes Christiani pii essent; licet enim sententiarum divortiis inter se sint distracti, pietatem tamen omnes, alii quidem puriorem & solidiorem, alii cum aliqua superstitione contaminatam, commendant. Ita pariter concedimus, non omnes Incredulos semper convenienter principiis suis agere. Hocque etiam inter alia argumento usi sunt illi, qui conscientiarum libertatem & tollerantiam politicam errantium urserunt, asserentes, multos errantium principiis suis convenienter non agere, neque adeo commodis Societatis civilis officere, de quo tamen hîc agendi locus non est. Hoc autem principium non eo extendendum est, ac si inter errores nullum daretur discrimen, aut quasi perinde esset quam quisque de Numine animo agitaret sententiam. Hoc certum, plerosque mortales eas opiniones lubentes sequi, quæ pravis adblandiuntur adfectionibus. Ita plerique magis vacivas præbebunt aures, Doctori, qui portam ad cœlum patentiorem facit, quam ei, qui genuinam officiorum christiani hominis ideam sine fuco repræsentat. Quamvis igitur Increduli non semper sua principia sequantur, certum tamen ab una parte est, religionem christianam rite intellectam, longe certiora & validiora suppeditare ad pietatem incentiva, quam vero religionem Naturalem, de quo infra uberior dicendi occasio erit. Ab altera vero negari non potest, eos, qui periculosas sententias de religione fovent, valde pronos esse ad vitia.

Repræsentatur primum argumentum generale quorundam Incredulorum.

V. Hisce in antecessum ad objectionem allatam adductis, pergimus ad argumenta quædam generalia, Incredulorum, quibus uti solent, ad ostendendum, se non sine causa a Religione christiana abhorrere. Et 1) quidem ajunt, Eos, qui Nomen dare velint Religioni christianæ valedicere oportere libertati de religione ratiocinandi, quod ingenuo homine indignum sit. Neque postquam in Sectas itum sit, licitum esse, id eligere, quod optimum esse videatur; subscribendum omni-

omnibus illis articulis, quos hæc vel illa Secta semel amplexa est. Hoc ni fiat, eos a Theologis pro hominibus nullius religionis habitum, odioque & insectationibus expositum iri. Præstare igitur, servata philosophandi libertate cunctaque inquirendi licentia in iis adquiescere, quæ sola ratio de rebus divinis tradat. Multa sunt, quæ hisce opponi possunt, sed ea summatim repræsentabimus. Et 1) quidem injuriam adferunt doctoribus Ecclesiæ christianæ, quando sine discrimine pronuntiant, admissa semel Religione christiana valedicendum culturæ rationis; contendunt contra sapientissimi inter eos, in examine religionis omnes rationis vires esse intendendas; asserunt, nonnisi ratiocinando ad certam, immotam, & salutarem Religionis cognitionem perveniri posse: neque aliter in probanda veritate religionis christianæ procedere solent Christiani, quam quidem sapientiæ & veritatis leges deposcunt. Admissa religione christiana argumentis adstructa, rationis præceptis Christianus rite obtemperare debet, nisi forsan putent Increduli, hoc esse rationi valedicere, si quis, admissa revelatione in quibusdam propositionibus obscurioribus adquiescere tamen velit, & debeat, idque ob rationes gravissimas. At si hoc esset, & ipsis Deistis religio Naturalis esset abjicienda, quia fieri non potest, ut accuratam habeant naturæ & attributorum Dei cognitionem, ut de administratione divinæ providentiæ nil jam dicam. Haud ignorant insuper Increduli, dari inter Christianos Philosophos acutissimos, quibus adeoque religionis christianæ amor non obstat, quo minus acerrime philosophentur. Certe quemadmodum inter Christianos sunt, qui rationis vires rite intendunt, & quam vim habeat in examine rerum divinarum & humanarum pulchre ostendunt: ita pariter non negamus, dari etiam christianos passim, qui antecedentium turbam sine examine sequantur. Ita etiam pariter inter Deistas sunt, qui rite religionis naturalis Principia expendunt; at & alii sunt, qui cæco impetu huic familiæ nomen dant; nisi forte asserant, omnes rusticos, milites, aulicos, & aliorum ordinum homines, Deistarum tribui adscriptos, instituto examine rigidissimo Religionem christianam proscribere, & soli religioni Naturali, expensis omnibus, quæ ab utraque parte adferri solent rationibus, adhærendum duntaxat existimare. Neque propterea, quod quidam Theologi christiani in rationem, ejusque culturam minus circumspecte invehantur, omnibus hoc doctoribus in universum est adscribendum. Scimus & dolemus non paucos extitisse & adhuc dari, qui tum demum se rigidos veritatis satellites esse

esse putant, & Theologorum orthodoxorum officio defunctos, si tragicis clamoribus periculum, quod ex cultura rationis & philosophiæ religioni, si eos audias, accedat, extollere possint. Quo ipso tantum abest, ut Deistas in viam veritatis ducant, ut potius eorum animos a Religione christiana reddant alieniſſimos. Sed ita non agere solent Theologi inter Christianos Eruditi & sapientes. Hinc merito, ut de aliis nil dicam, perstrinxit Cl. *Pfaffius Collinum*, Theologis christianis insultantem, quod omnes promiscue rationis usum & examen religionis in rebus ad religionem spectantibus damnent. Vide dissertationes ejus de *præjudiciis* pag. m. 85. Idem objecerat *Collino* Celeb. *Crousatius*. Tantum abest, ut hoc a Deistis probari possit, ut potius Eos rogemus, ut adhibita omni diligentia, examen Religionis christianæ instituant accuratissimum, & ad æternas veritatis leges eam expendant.

2) Nihil quod a ratione alienum sit, adserimus, quando profitemur, probata rite veritate Religionis in sensum Revelationis rite esse inquirendum. Aliter enim ea rite intelligi non posset. Dispiciendum sedulo monemus, ut omnes veritatis amantes rectæ ratiocinationis & Interpretationis regulas sequantur, atque quid potissimum urgeatur, expendant. Christiani doctores omnes, qui revelationem admittunt, fatentur tamen, quosdam articulos ita cognitu esse necessarios, ut sine eorum professione nemo pro veri nominis Christiano haberi possit; eosdem etiam vel disertissimis verbis a Christo & Apostolis injunctos, aut per evidentissimam consequentiam ex iisdem elicitos. Contendimus insuper, veri amantem, lectis diligenter Evangelistarum & Apostolorum scriptis, tales articulos facile deprehensurum. Pone jam Deistam instituto serio religionis examine, persuasum esse, Jesum e mortuis in vitam fuisse revocatum, verum ergo erit, Eum Messiam esse cœlitus missum: verum erit, miracula sua divinæ esse originis; vera erit doctrina ab ipso tradita: verum erit, mortem ipsius non tantum esse exemplar constantiæ, quod sectari debeant genuini ipsius discipuli, sed & manifestum erit, ex universo corpore religionis christianæ, disertissimisque testimoniis, mortem ipsius cruentam, unicam esse reconciliationis nostræ cum Deo causam: verum erit, dari resurrectionem mortuorum; verum erit mentes æternum duraturas esse, &c. &c. Hinc ipse Illustris *Lokius*, qui contendit, omnes pro Christianis habendos esse, qui Jesum tanquam cœlitus missum Messiam agnoscant, nihilominus tamen manifeste asseruit, Christianos de hoc articulo persuasos, omnia postea admittere debere, quæ in S. Litteris perspicue

incul-

inculcari deprehenderint. *On eſt* (inquit) *obligé de recevoir toutes les parties de la Revelation divine avec docilité, & avec un eſprit diſpoſé à embraſſer, & à croire toutes les verités, qui viennent de Dieu, & à conſentir avec ſoumiſſion à tout ce qui lui paroîtra porter ce charactere. Que la Religion chrêtienne eſt très-raiſonable. Lib. I. cap. XV. & Lib. II. reſponſ. ad primam objectionem. pag. 87.*

3) Quemadmodum Deiſtæ, qui religionem naturalem quoad theoriam & praxin admittunt, nolunt confundi cum *Spinozæ* diſcipulis, qui præter adſpectabilem hunc mundum Numen admittunt nullum; ita non debent iniquo ferre animo, quod Chriſtiani, confœderata diſciplina utentes, publice profiteantur, ſe in confeſſione graviſſimorum religionis chriſtianæ articulorum conſpirare; ſufficit, quod illi tollerantiam civilem gravius errantibus concedant, neque ob leviores errores, ſi rite inſiſtant principiis ſuis, quenquam cœtibus ſuis excludant.

4) Theologi cordati & ſapientes, quorum in cœtibus Chriſtianorum, quidquid dicant Deiſtæ, non exiguus eſt numerus, homines, qui initio examinis inſtituti nondum omnia minoris momenti dogmata cognoſcunt, ſciendi tamen cupiditate & amore veri ardent, & ulterius pro ingenii capacitate tendere nituntur, non duriter habebunt, ſed exſpectabunt placide tempus, quo meliore luce perfuſi eſſe poſſunt: modo illi religionis publice receptæ articulos graviores ſcurriliter non impugnent.

5) Deiſta ob incommoda quædam, quæ forte obtingere ipſi poſſent, ab examine tamen Religionis chriſtianæ deſiſtere non debet. Quæſtio certe non eſt de nihilo, utrum nempe Religio chriſtiana divinæ ſit originis, nec ne. Quod ſi hoc credat, ſerio ad examen hujus quæſtionis ſeſe accingere debet: quod ſi examine facto deprehendat, rationi conveniens eſſe, ut religionem chriſtianam amplectatur, de ſucceſſu rerum ſuarum ſollicitus eſſe non debet. Deus & dies omnia feliciter expedient. Si vero de primariis capitibus rite eſt perſuaſus, licet forte cum Syſtematum horum vel illorum Conditoribus, in ombus non conveniat, & genium religionis chriſtianæ rite perſpectum habet, quædam occurrentia forte incommoda æqua feret mente. Si vero examen ſerium religionis inſtituere non vult, aut eo facto a ſe impetrare non poteſt, ut Religioni huic ſubſcribat, quid juvat tandem de incommodis loqui, quæ forte obtingere poſſent, ſi religionem chriſtianam profiteretur?

VI. Ob-

Repræsentatur II. a objectio Incredulorum.

VI. Objiciunt secundo loco Increduli, *Christianos in partes esse scissos, omnes tamen simul talibus subscribere oportere dogmatibus?* (v. gr. *Trinitati*, Transubstantiationi, &c.) *quæ nulla ratione cum rectæ rationis decretis possint in concordiam redigi: cum vero in potestate hominis non sit positum, credere quæ velit, præstare, si quis rationis Oraculum audiat, repudiata revelatione.*

Respondemus (I) verissimum esse, Christianos opinionum diversitate inter se distractos esse. *Scimus & dolemus* simplici castæque religioni multas adsutas esse minutas & non necessarias quæstiunculas; *scimus & dolemus* multos doctores omnia sciendi & determinandi studio, superbiaque commotos, de quibusvis cum aliis contendere; *scimus & dolemus* de multis sæpe quæstionibus, quæ salva pietate ignorari potuissent, vehementer & non sine detrimento amoris fraterni, disputatum fuisse. *Scimus & dolemus*, multos Christianorum non tam de pietatis studio promovendo, quam vero de minutis opinionibus tuendis & defendendis sollicitos esse. Hæc omnia scimus & dolemus. Interim propter hunc dissensum, ipsa religio christiana non est repudianda. Dissentiunt inter se nonsolum Theologi, sed & Philosophi, Medici, Juris Consulti cæterarumque disciplinarum Doctores. Nemo tamen propterea disciplinas, circa quas versatur cura Docentium, prorsus inutiles esse pronuntiabit. Et profecto si Incredulorum quisque sua animi de religionis articulis cogitata aperiret, manifestissimum fore crediderim, eos inter se vehementer dissentire: Et quid opus verbis, cum experientia & lectio librorum ab iis scriptorum hoc doceat, imo ipsimet aliquando id fateantur. Auctores de la *Bibliotheque Françoise Tom. XXVII. Part. II.* sequentia de Comite *de Passeran*, narrant: *Il avoit beaucoup refléchi sur les difficultés de son système plus grandes que celles, qui l'avoient choqué dans la Revelation: Sur la prodigieuse diversité des sentiments, qui regnent parmi les Incredules, jusques-là, qu'il n'en avoit pas trouvé deux, qui eussent les mêmes principes.* Hæc narraverat Comes, cum mox ad plures esset abiturus. Quod vero in Religionis negotio tantus sit dissensus, adscribendum est potissimum pravis affectibus. Immemores ut plurimum sunt multi Doctorum publicorum, cæterorumque christianorum, imbecillitatis humanæ, quæ nos, dum in his terris sumus, circumstat. Unus altero doctior & oculatior esse vult. Hinc disciplinæ Theologicæ partes in immensum auctæ, & dilatatæ; novæ semper quæstiones in medium non malo animo prolatæ, postea vero dum impugnatæ fuerant, propter hujus

vel

vel illius] Magistri auctoritatem necessariis adjunctæ fuerunt. Atque pro his accessoriis quæstiunculis sæpe ita pugnatum est, ac si ageretur de rebus momentosissimis. Et quod pessimum est in hoc casu, vix medelæ est relictus locus. Si quis enim optimo fine minutas controversias resecare, servatis duntaxat cognitu quammaxime necessariis, utilibus, & a Christo & Apostolis inculcatis, suspectus est, odiosa illi imponuntur nomina, & monstri aliquid talem alere, clamatur. Hinc desunt, qui meliora suadeant, cum suasisse periculum sit.

(II.) Si scholasticis opinionibus & quæstionibus rejectis tantisper, attendatur ad ea, quæ maximi sunt in religione momenti, manifestum erit, non tantum esse inter Christianos, ac perhibetur, opinionum dissensum. De quo argumento cum alibi prolixius egerim, verbum hîc non addam.

(III.) Deistæ, qui Theologiæ Naturalis principia theoretica & practica admittunt, non solum inter se non conveniunt, in delectu argumentorum, quibus singulas veritates probare aggrediuntur, sed & velint nolint, mysteriosum aliquid admittere tenentur. Non enim Naturam Dei petfectissimam utpote infinitam, cognoscunt perfecte; nesciunt quæ ratio idearum rerum intelligibilium & sensibilium perfectissimo Dei intellectui ab omni Æternitate obversantium, ignorant, quomodo Deus singula præterita, futura & contingentia, intueatur. Ubi deventum est ad contemplanda attributa divina, perspicuum quam maxime est, finitum infiniti capax non esse. Omnia enim attributa sunt in Deo infinito modo. Deum omnia attributa in perfectissimo gradu possidere, utrinque in confesso est; sed quis gradum illum explicare poterit? Deum cuncta conservare iisque prospicere, Deistæ æque fatentur quam nos; Potentissimus est Deus fateor; sed quis tamen explicet, qua ratione actus voluntatis divinæ, rei intectualis, vim suam in corpora exerat? Nihil dicam de origine mali moralis & physici, ad quam quæstionem *penitus* solvendam, in hac vita pertingere mortales non posse, summi & acutissimi Philosophi fatentur; Providentiam tamen admittunt plures Deistæ, & ad eam asserendam & vindicandam, non minus tenentur quam Christiani. Et quid mirum est, nos circa hæc cæcutire, cum Philosophi ipsi de natura idearum, sensationis, phantasiæ, memoriæ, conjunctione mentis cum corpore, post tot meditationes & disputationes non conveniant? natura minimi atomi & monadis imperfectissime cognoscitur. Hodienum, opera Virorum doctorum, factis experimentis, multa in apricum proferuntur,

tur, quorum veritas a posteriore, uti loqui solemus, satis constat, sed causas, naturamque eorum introspicere sæpe non datur. Mysterium Trinitatis quod impugnant (ut de cæteris jam nihil dicam) data opera hic vindicare nolo. Hoc tantum dico, Christianos, Revelationi subscribentes, unicum tantum perfectissimumque admittere Numen. Testante vero eadem Revelatione divina, in unico illo & inennarrabili Ente esse distinctionem quandam, quam verbis satis, dum perspicua notione ejus destituimur, exprimere non possumus, non satis causæ esse existimant, cur characteribus Revelationis hujus vere divinæ rite detectis, propter obscuriorem quorundam dogmatum cognitionem universam religionem repudient.

(IV.) Quæstio manebit semper, utrum Deistæ credant, possibilem esse revelationem nec ne: vel ut clarius loquar, quæritur utrum adfirment, Deum posse hominibus tales veritates revelare, quæ ex fundo mentis & cognitionis humanæ principiis ratiocinando ipsimet elicere non possint. Vix crederim, Deistas, sua intelligentes principia, hoc negare ausuros. Deum enim omnipotentem admittere, Sapientissimumque, & negare Illum hoc præstare posse repugnat. Quod si hoc vellent probare, ostendendum esset occurrere hic ἀδύνατον τι. Hoc vero vel in Deo, vel in homine, vel in utroque esset quærendum. Cur Deus, cujus intellectus est infinitus, & scientia perfectissima, novas veritates revelare non posset, causam non videmus. Homo ipse majorum graduum cognitionis capax est. Videmus pueros crescente ætate, diligentia & meditatione adjutos, subtilissimas scientias addiscere posse: quid igitur impediret, quo minus mens plures hactenus incognitas addisceret veritates? Quodsi possibilis est revelatio, nondum quidem inde sequitur Deum propterea vel voluisse vel debuisse generi humano aliquam concedere; hoc tamen probabiliter colligas, Deum siquidem hoc beneficium mortalibus præstare vellet, talia cum iis communicaturum, quæ ope solius ratiocinationis adhibita omni cura & sollicitudine cognosci tamen non possent. Post tot secula Philosophi ea, quæ ad religionem pertinent, ad capita quædam generalia retulerunt, ex quibus innumera consectaria elici possunt. Et si posteri nostri forte in demonstrandi methodo & applicatione dogmatum Theologiæ naturalis ad alias veritates nobis feliciores erunt, semper tamen omnia, nonnisi ex certis rationis principiis erunt petenda. Jam vero cum Deus, Ens sapientissimum nihil agat sine rationibus gravissimis, homines autem adhibita omni diligentia & ingenii acumine, nihil aliud,

quam

quam quod certis rationis principiis nititur, detegere possint, vero quammaxime consentaneum est, Deum, siquidem revelatione aliqua eos dignari vellet, tale quid aperturum, quod rationis captum superaret; ita tamen, ut principia jam cognita non tolleret sed amice cum iis conspiraret. Quodsi jam historicis argumentis probari potest, extitisse homines fide dignos, qui sufficientibus præsidiis muniti, non solum se se a Deo missos esse ad veritates novas detegendas testari possint, sed & talia dogmata in medium proferant, quæ omnium sapientum consensu, e penu rationis depromi non possunt, ad felicitatem vero hominum promovendam tutissimam monstrent viam, causa tandem dicenda esset, cur obsequioso animo veritates illæ, quas mysteria appellamus, recipiendæ non essent. Existimant vero Christiani, satis gravibus argumentis ostendi posse, talem revelationem Deum mortalibus dedisse. Minus prudenter autem quærunt homines, cur hæc dogmata non alia mortalibus revelaverit; si enim alia horum loco data fuissent, similis rediret quæstio. Sanus quisque facile concedet, ea, quæ concessa sunt, talia esse, quæ statui generis humani sint attemperantissima, scituque necessaria.

(V.) Regerunt Increduli, se facile hæc admissuros, si modo illa nova dogmata, quæ mysteria appellamus, essent rationi convenientia; at contradictoria ea esse contendunt. Non respondebo, quæ centies a viris doctis ad hanc objectionem monita sunt. Hoc unum jam quidem dico, si quis velit probare hanc vel illam propositionem esse contradictoriam, necesse est, ut is terminos propositionis clare habeat cognitos. Jam vero Christiani fatentur, se distincte non cognoscere, qualis sit v. gr. personarum illarum in Trinitate ratio; non igitur possibile est, ut ostendatur, manifestam hoc dogma involvere contradictionem. Contrarium ostendi potest, ubi de Transsubstantiatione sermo est. Novimus enim quantum satis est, quid corpus sit; quid sit existere, & non existere simul, quid unum, quid multa. Ex notis hisce terminis facile de Transsubstantiatione judicari potest.

(VI.) Hisce addimus: fieri aliter non posse, quam, ut posita Religione, nostra cognitio maneat tamen imperfecta, & mysteriorum, id est talium propositionum, quæ imperfecte a nobis cognoscuntur, plena. Hoc patet cum ex indole religionis sive naturalis, sive revelatæ; tum ex cognitionis nostræ imbecillitate. Neque naturam spirituum, vel corporum adæquate cognitam habemus, quod vel ex eo etiam constat, quod viri oculatissimi & a partium studio alieniissimi,

in tanta Litterarum luce de hisce disputare soleant : vel solus atomus ad ἐποχὴν Philosophum redigere potest. Nostra & Patrum nostrorum ætate, Philosophi nobis, contra omnem verisimilitudinem, persuadere voluerunt, bruta meras esse machinas. Jam vero singulis viventibus, seu animantibus anima quædam tribuitur, imo recentiores omnes, scalam Entium intelligentium dari contendunt. At quis, cum infinitus sit numerus talium Entium, horum naturam, gradus cognitionis, & capacitatis, aperiet? Quod si animantia illa per aliquot annos, verbis, quæ, ab omnibus intelligi possent, interiores animarum cogitationes exprimere possent, o quanta nos hactenus in ignorantia circa hæc versatos fuisse commonstratura essent! quot Philosophos in ruborem essent datura! Quo magis homines in rerum divinarum & humanarum naturam inquirent, eo magis etiam imbecillitatis humanæ deprehendent vestigia. Quod si respiciamus ad Religionem in genere manifestum denuo erit, eam plenam esse rebus, quas imperfecte valde cognoscimus; Religio agit de Deo: at in Deo omnia sunt infinita. Infinita natura Dei, infinitæ sunt ejus perfectiones; infinita cognitio Dei, ejus potentia & sapientia; infinita consilia Dei. Quis autem miretur nos in hisce multa ignorare! Quis miretur etiam concessa revelatione, multa nobis incognita esse & in posterum futura? O quam felices essent mortales, si parabili rerum divinarum cognitione contenti, non tam id agerent, ut omnia subtiliter rimari, cuncta cognoscere, & de quibusvis disputare vellent, quam vero ut in hac cognitione imperfecta adquiescentes, in id omnibus viribus incumberent, ut secundum cognitionem divinam, quam possunt consequi, vitam suam instituerent & ut perpetuo in amore Dei & virtutis exercitio, crescerent. Certe quemadmodum oculus non datus nobis est ad naturam corporis nexumque particularum minimarum perspiciendum, sed eum in finem, ut ope visus felicitatem nostram promoveamus: ita pariter religio non data ad naturam rerum divinissimarum perfecte cognoscendam, sed ad voluntatem emendandam & perficiendam. Eleganti similitudine plerorumque hominum circa hoc argumentum insaniam depinxit ὁ Μακαρίτης Cl. *Turrettinus* in cogitationibus de controversiis, Thesi tertia: *In Nosodochium* (inquit) *ingreditur Medicus, & explorato ægrorum statu, apta iis remedia præbet: Mox discedit, se postero die reversurum policitus. Statim vero atque est egressus ægroti illi de variis sermones miscent: puta de barba Medici illius, de ejus capillis, de toga: item de ejus statura, patria, Majoribus; tum de phialis, quibus sua includebat*

debat pharmaca, utrum vitreæ, an cristallinæ, an ex ignota materia essent? &c. *De his, aliisque non placide & amice, ut res ferebat, sed acerbissime inter se disputant; atque a rationibus ad convitia, a convitiis ad ictus deveniunt. Non pugnis, non colaphis parcitur.* Jamque faces & saxa volant, furor *arma* ministrat. *Tum aliquis forte adveniens.* Quid agitis miseri, clamat? quæ vos rabies, qui vos febris æstus agitat? sumite modo allata vobis remedia, cumque sanati fueritis, tum commodius de bellis istis quæstionibus disputabitis. *At illi, neque dictis audiunt, neque monitori pepercissent, nisi ille præcipiti fuga eorum se unguibus surripuisset.* Pone autem cognitionem rerum divinarum longe esse ampliorem, quam quidem multi putant, quid cognitio illa excellentior juvaret, si mens ad majorem Dei reverentiam & amorem non incitaretur? probe Deus perspectam habet mentium humanarum capacitatem; novit quantum quisque pro statu suo de rebus divinis cognoscere possit. Quisque igitur tantum hoc agere debet, ut pro cognitionis modulo, ea quæ per rationem & revelationem cognoscere potest, ad salutarem revocet usum. Claudam hanc responsionem verbis Celeb. *Werenfelsii.* Hic postquam multis ostendisset, nos nescire quid sit atomus, ita tandem colligit: *Videmus hîc quantilla & mens nostra atomus sit, si cum ea comparetur mente, quæ non modo omnia & singula corpora, sed & omnia & singula in singulis corporibus; neque in corporibus tantum, quæ sunt, sed quæ esse possunt; neque solum in corporibus, sed aliis rebus omnibus intime & perfectissime idque una sola cogitatione cognoscit: quæ simul perfectissime cognoscit, non unum, non mille non tot quot in mari guttæ sunt, rerum myriadas, non, quod his majus est, indefinita, non indefinities indefinita &c. Sed, (quod cunctis, quæ ita pergendo unquam homines attingere possent, infinities majus est) absolute infinita* i. e. *omnia. Quid est ad hanc mentem nostra mens, cui millesima particula minimi pulvisculi abyssus est imperveſtigabilis? Disce hic modestiam homo; tu, cui mens tua rerum mensura videtur, & qui, quod non comprehendis, imo quod stultius est, quod non imaginaris, audacter ne esse quidem dicis. Quicquid dicat de se, de se infinito, Deus ipse infinitus, non credis: quare tandem? Non capio, ais. O vocem insanam. Exerce industriam, exerce, qui tantum tribuis, perspicaciam in hoc pulvisculo; videbis quousque acumen tuum penetrare possit. Tum demum meditando, inquirendo, perscrutando, fessus, cum vidisti, quam parum profeceris accede, & ita tecum reputa; Si minima tam parum cognosco; si innummerabilia esse scio, quæ, quid sint, qualia sint, quomodo sint, non percipio, quantum a*

cognitione infiniti abſum! in hac caligine, quæ alia tutior via eſt, quam mentem menti infinitæ ſubmittere, quæ ab Ea revelantur, credere, tenere, neque extra ea unquam evagari. Confer Illuſtris Philoſophi *Chriſtiani Wolfii ſpecimen Phyſicæ ad Theologiam naturalem adplicatæ, ſiſtens notionem intellectus divini per opera naturæ illuſtratam.*

Adducitur tertium argumentum generale Incredulorum.

VII. In ore multorum Incredulorum, frequens eſt iſta, quam mirantur valde, tanquam ſpecioſam argumentationem, neceſſitati Revelationis oppoſitam, reſponſio Regis Siamenſis, data Legatis Regis Galliæ Ludovici XIV. qui ipſum, ad amplectendam Religionem chriſtianam inducere voluerunt. Verba hujus Regis alibi a nobis producta ſic ſonant, teſte *Tachardo*. *Je m'étonne, que le Roi de France, mon bon Ami, s'intereſſe ſi fort, dans une affaire, qui regarde Dieu; ou il ſemble, que Dieu même ne prenne aucun interêt, & qu'il a entierement laiſſée à notre diſcretion. Car ce vrai Dieu, qui a crée le ciel & la terre, & toutes les creatures, qu'on y voit, & qui leur a donné des natures & des inclinations ſi differentes, ne pouvoit-il pas, s'il eut voulu, leur inſpirer les mêmes ſentimens pour la Religion, qu'il falloit ſuivre, & pour le culte, qui lui étoit le plus agréable, & faire naître toutes les Nations dans une même loy. Cet ordre parmi les hommes & cette unité de Religion, dependant abſolument de la Providence divine, qui pouvoit auſſi aiſement l'introduire dans le monde, que la diverſité des Sectes, qui s'y ſont établies de tout tems, ne doit-on pas croire, que ce vray Dieu prend autant de plaiſir à être honoré par des cultes & des ceremonies differentes, qu'à être glorifié par une prodigieuſe quantité des creatures, qui le loüent chacun à ſa maniere? Cette beauté & cette varieté, que nous admirons, dans l'ordre naturel ſeroient elle moins admirables dans l'ordre ſurnaturel, ou moins dignes de la Sageſſe de Dieu?* Non diſquiram, utrum vera ſit hæc narratio, quoniam notum eſt, *Tachardi* fidem vacillantem plane eſſe; neque etiam dicam, argumentationem illam Regis Siamenſis, nimis ad guſtum Deiſtarum in Europa viventium eſſe attemperatam; denique neque hoc examinabo, utrum nimirum probabile ſit, hominem in tanta ſuperſtitione educatum, & religioni patriæ valde addictum, tam libere ita locuturum eſſe: Ponam hæc omnia vera eſſe: rem ipſam in ſe ſpectatam expendam. *Primo* itaque dico, hanc argumentationem plus probare, quam probandum eſſet, atque adeo nihil probare. Quod ſi enim Deo perinde eſſet, quamcunque homines tuerentur religionem, idem etiam dicendum eſſet, de vivendi hominum ratione, de vitiis nimirum & virtutibus. Prouti enim ideæ de religione compa-

ratæ

ratæ sunt, ita communiter etiam homines agere solent. Et quanquam homines non semper sua sequantur principia, dijudicandæ tamen sunt Eorum actiones, juxta certas, quas admittunt, regulas. Jam vero, si Deo plane perinde esset, quibus homines de religione addicti essent opinionibus, causa dari non posset, cur magis attentus esset ad virtutem quam ad vitia: unde sequeretur, perinde ipsi etiam esse, utrum homines vitia vel virtutes sequerentur, quod tamen ne ipsi quidem, *qui Indifferentistæ* vocantur, tueri solent. Ita enim omnis notio religionis penitus tolleretur.

2) Hæc sententia nequidem cum systemate Deistarum convenit. Illi enim certa quædam Theologiæ Naturalis capita admittunt & defendunt; quo ipso adserunt, certis Religionis principiis esse insistendum. Hinc nonsolum non probant Spinosistarum, aliorumque, a religionis naturalis præceptionibus longius recedentium sententias; sed & eo nomine impugnant Religionem christianam, quod putent, certa illa principia Religionis Naturalis cum Decretis præcipuis Revelationis conciliari haud posse. Quod ipsum tamen admissuri non essent, si crederent, perinde Deo esse, quibus homines de Religione imbuti essent opinionibus.

3) Hæc opinio permissionem Dei, cum voluntate ipsius sanctissima turpiter confundit. Nequidem de Principe aliquo sensu communi non plane destituto, & aliquo religionis sensu tacto, dici posset, Ei perinde esse quid subditi de legum divinarum & humanarum obligatione sentiant, nedum hoc de Deo sanctissimo, cum aliqua specie veri asseri potest. Verum est, dari varias inter homines de religione sententias; verum etiam est, Deum permittere, ut homines perversis sint addicti de religione sententiis. At probare Eum stultas & sanctissimis suis virtutibus & voluntati contrarias opiniones, nonnisi ab homine omnis religionis experte asseri potest. Talis tamen haberi noluit Rex Siamensis. Posset Deus, arcana quadam ratione homines ad eundem rectumque de Deo sensum pertrahere. At cum velit, ut homines sponte, adhibito recto rationis usu, religionem amplectantur, id non facit. Quemlibet igitur, tempore suo judicabit pro æquitate sua, quæ non tantum respicit ad obligationem Religionem sequendi, sed & ad vires ingenii, innumerasque circumstantias, in quibus homines in hac vita positi erant.

4) Ex iis, quæ hactenus a nobis dicta sunt simul judicari potest, quid de delectatione Dei, quam is ex varietate creaturarum percipere dici-

dicitur, sentiendum sit, respectu nempe habito ad virtutem pariter & ad vitia, ad errorem pariter & ad veritatem. Verum est, Deum infinitam suam sapientiam & potentiam manifestari inter alia etiam ex eo voluisse, quod tot creaturas tam diversis proprietatibus exornatas, producere voluerit. Imo potest etiam ad res morales hæc sententia applicari, quatenus hominum facultates, perfectiones, & capacitas ingeniorum diversissimæ sunt, & infinitos gradus admittunt, adeo quidem, ut homines ante omnem educationem & institutionem, θειᾳ quadam Μοιρᾳ, diversis ingenii dotibus instructi videantur. At hæc ad veritates & vitia, ad errores & ad veritates trahi non debent. Nonnisi amens & Religionis omnis expers, asserere potest, delectari Deum pariter rebus sanctissimis & ineptissimis, innocentium cæde v. gr. pariter, ac beneficentia delectari. Per rerum naturam fieri non potest, ut homines ex diversissimis rebus, v. gr. molestis pariter & jucundis voluptatem parem capiant. Ita similiter sanctissima Dei voluntas probare non poterit res suæ naturæ & perfectionibus convenientes & non convenientes, nisi Deum in truncum mutare velis omnibus ideis rerum plane destitutum.

5) Hæc sententia immutabiles ut veritatis & erroris, sic etiam vitiorum & virtutis notiones tollit. Verum est, non omnia consectaria, quæ ex officiis generalibus legis naturalis erui possunt, omnibus pariter esse nota: verum etiam est per crassam multarum Gentium ignorantiam & teterrimam superstitionem eheu factum fuisse, ut turpissima vitia aut pro peccatillis, aut pro rebus plane licitis a quibusdam fuerint habita; nunquam tamen eo res devenit, ut notiones omnes de virtutibus & vitiis inter Gentes plane fuerint obliteratæ, quod ex testimoniis variis, quæ viri docti collegerunt, satis superque constat. Inter præcipuas autem hujus rei causas referimus, quod notiones virtutum & vitiorum, non ab arbitrio humano dependeant, sed immutabiles sint. Quemadmodum idea trianguli non potest mutari in ideam quadrati; ita nec pariter potest idea ebrietatis cum idea sobrietatis commutari. Quod si vero notiones illæ veritatis & virtutis normæ loco sunt, secundum quas creatura rationalis agere debet, non perinde erit Deo, utrum homines vitia vel virtutes sequantur, quod tamen dicendum esset, si sententia in medium proposita valeret.

Adducitur quarta objectio Incredulorum,

VIII. Pergunt Increduli atque asserunt, vix credibile esse, Deum, siquidem Revelationem hominibus concedere voluisset, talem daturum, qualis est Revelatio quam Christiani admittunt. Præterquam enim, quod

quod magnæ molis volumine constet, eam historias varias ritusque obsoletos complecti. Scriptam eam esse lingua, pauciſſimis nota: ad eam intelligendam multiplici disciplinarum apparatu opus esse: ob obscuritatem ipsius inter Christianos varias ortas esse sectas. Doctissimos Theologos & Interpretes suam sæpe fateri debere ignorantiam &c. &c. Talem autem Revelationem non omnium ingeniis esse attemperatam. Longe probabilius contra esse, Deum, siquidem Revelationem aliquam mortalibus dare voluisset, breve aliquod, perspicuum, omniumque ingeniis accommodatum præscripturum fuisse Religionis compendium. Multa continentur in hac objectione, quæ singillatim in hac & sequenti thesi, sunt discutienda. Ad omnia *primo* in genere respondere possumus, dicendo: nos Christianos de veritate & divina Origine Religionis christianæ esse persuasos; Ex quo colligere jure possunt, decuisse Deum hanc non aliam hominibus concedere revelationem! melius igitur facerent Deistæ, si causas gravissimas adducerent, quibus commoti, Revelationi nomen dare non possent, quam vero multis verbis, qualem Revelationem deposcant, exponere. Quamdiu argumenta gravissima, quibus revelationis christianæ certitudinem probare solemus, non subvertunt, pro somniis habemus, quæ de indole alicujus revelationis, ab ea, qua instructi sumus, diversa, narrare solent.

(II.) Ut a posteriore objectionis parte incipiam, ponamus per tempus, Deum ejusmodi compendiosam valde cum mortalibus communicare voluisse revelationem. Deberet illa (nam sine his principiis nulla datur Religionis notitia) complecti generalia saltem Theologiæ Naturalis & Juris naturæ dogmata. His adjiciendi forent quidam articuli, qui e rationis sinu plane non possent erui, quia causa dari non potest, cur Deus id singulari quadam & inusitata ratione tradere velit, quod solius ratiocinationis auxilio homines omnes discere possent. At cum omne, quod est supernaturale, aspernentur Increduli, dicendum, hoc compendium nonnisi complecti ea principia, quæ legibus & usu rationis solius intelligi possunt; ad majorem vero compendio huic Auctoritatem conciliandam, necesse fuisse, ut singulari & divina ratione quibusdam hoc compendium cœlitus daretur; at si hoc esset, sciendum quinam illi homines fuerint, quo tempore vixerint, quinam testes datæ hujus Revelationis; sciendum, sincere omnia ad posteritatem transmissa. Hic vero omnes illæ difficultates, quas Increduli, Revelationis veritatem impugnaturi, nectere solent, occurrerent, quas

solvere omnes tenerentur, antequam probare aliis possent, cælitus delapsum fuisse hoc compendium. Hoc compendium insuper deberet in chartas conjici, ut ad omnes homines pervenire posset. Qualicunque autem idiomate scriptum fingas hoc compendium, illud rursus in varias dialectos deberet transferri, & qui certi esse vellent, sincere mentem primi scriptoris cum versionibus convenire, multarum linguarum opus esset peritia. Atque ita rursus illa occurrent, quæ nobis objicere solent increduli.

(III.) Homines, quæ ingeniorum humanorum perversitas est, & mutabilitas, in compendio illo non adquievissent, sed successu temporis innumeras glossas & interpretationes sine dubio adjecissent. Frequentissime hoc in omni disciplinarum genere obvenire, quotidiana docet experientia. Hic vel ille breve aliquod facit philosophiæ vel Theologiæ compendium; supervenit mox alius, qui egregiam lucem huic se accensurum promittit, ita ex compendio oritur crassum volumen; præterlapso aliquo temporis spatio, alius accedit qui se majus illud opus in gratiam Lectorum contracturum promittit. Hoc autem eo certius eventurum erat, quod in compendio hoc ageretur de rebus ad religionem spectantibus, in quo negotio homines ingeniis suis indulgere maxime solent. Ita novimus operosis voluminibus Orationem dominicam, Symbolum dictum Apostolicum, & catecheticas institutiones, fuisse explicata. Jactitant Mohamedani, religionem suam brevem valde & compendiosam esse; sed quis nescit, quot diversis interpretationibus Alcoranus obnoxius sit?

(IV.) Hoc compendium, aut methodo scientifica fuisset compositum, aut constare debuisset variis sententiis & præceptis nullo naturali nexu inter se conjunctis: Si *prius* esset, non defuturi fuissent, qui illud rejeciissent, quod nimirum ingeniis omnium hominum plane non attemperatum esset ejusmodi Systema, eumque in finem, ad ingeniorum humanorum tarditatem & imbecillitatem fuissent provocaturi. Si vero nonnisi brevibus præceptis & sententiis istud constitisset, ingeniis illud superbis non placuisset, indignum suprema ratione existimantibus, mortalium generi tradere religionis decreta, nullis necessariis vinculis ligata. Hinc dubium non est, quin quammaxime sollicitii fuissent illud in formam artis redigendi, adhibitis variis principiis hinc inde desumtis; unde systema illud nonsolum successu temporis mire fuisset ampliatum, sed & diversis & innumeris interpretationibus subjectum. Ex præsenti rerum statu, quid futurum fuisset, non inepte judi-

judicari potest de futuro. Possunt Theologiæ Naturalis & Juris Naturæ præcepta in compendio tradi. Quis autem nescit, quam prolixis Commentariis utraque disciplina fuerit illustrata? quot diversæ fuerint de argumentis ipsis & probandi modis, sententiæ? quam innumeræ quæstiones particulares, quas ad summam rerum pertinere plerique contendunt, prolatæ & excussæ?

(V.) Certum non erat, Deum, siquidem ejusmodi compendium cœlitus etiam concessisset, scopum suum obtenturum fuisse. Quis enim nescit torporem mortalium in religionis negotio & pravorum affectuum vim? Quis ignorat inter eos, quibus Revelatio data est, tales & plurimos quidem reperiri, qui quotidie prima Juris Naturæ & humanitatis præcepta pedibus conculcent?

(VI.) His præceptis & sententiis moralibus, in illo compendio Theologiæ contentis, aut adjectæ fuissent promissiones, custodibus legum factæ & transgressionibus pœnæ, aut non. Si nullæ factæ fuissent, præcipua ad recte vivendum incitamenta fuissent sublata. Notum est, quam vim in animos hominum habeat certa spes remunerationis consequendæ: Si additæ fuissent, quam maxime dubii mansissent homines, quousque in tanta generis humani corruptione & auxiliorum internorum inopia, sese limites misericordiæ divinæ extensuri essent.

(VII.) Denique notum est experientia, innumerisque Veterum testimoniis comprobatum, potuisse homines sine ulla Revelatione generalia Theologiæ Naturalis & Juris Naturæ dogmata, si modo vim ingenii intendissent, cognoscere. Omnes Theologi & Philosophi legem naturæ a Gentilibus cognosci posse affirmant, præeunte Paulo ad Rom. 1. & 2. at quis simul ignorat, quam misere hæc lex fuerit obscurata Sacerdotum fraude, Poëtarum figmentis & Philosophorum interminabilibus rixis, contentionibus, & sophismatibus? quis nescit, eos in turpissimam idololatriam & superstitionem, ut de detestandis omnis generis sceleribus nil dicam, incidisse? Ex quo satis apparet, ejusmodi compendium ad veram & salutarem cognitionem animis ingenerandam & ad reprimendos pravorum affectuum impetus, suffecturum non fuisse, sed aliis & magis salutaribus præsidiis, quæ quidem nos Christiani in Revelatione detecta existumamus, opus fuisse.

(VIII.) Cum compendiolum ejusmodi Theologiæ naturalis, solius rationis ope inveniri potuerit, dubium non est, quin in diversis terrarum partibus, quod & factum fuisse novimus, exorituri fuissent

Viri ingenio præstantes, qui talia compendia composuissent; Hæc vero cum pro diversitate ingeniorum & opinionum diversa fuissent, non-solum dubitatum fuisset, cui ex diversis illis esset subscribendum, sed & de divina origine compendii illius, quod cœlitus datum esse finximus, vehementes orituræ fuissent controversiæ: cum enim ope rationis talia cognosci possent, clamassent cæteri Systematum Conditores, hominem illum, qui nescio qua ratione divino auxilio, eoque extraordinario, veritatum illarum complexum accepisse se diceret, impostorem esse, & ita inter tot compendia nutassent misere hominum ingenia. Accedit, quod non satis præsidii in auctoribus Systematum illorum positum fuisset: unius auctoritas non major fuisset quam alius: nullus pro infallibili Legislatore se venditare potuisset. Omnium, diversa licet sentientium par jus fuisset. Egregie hoc argumentum illustravit Philosophus præstantissimus *Lokius* capite XIV. libelli, cui titulus: *Que la Religion chrêtienne est très raisonable.* Adducamus quædam huc spectantia. *Supposons* (inquit) *qu'on puisse ressembler tous ces preceptes*, (de præceptis Juris Naturæ & Religionis naturalis loquitur) *de differens endroits: Qu'on en prenne quelques-uns de Solon & de Bias en Gréce, quelques autres de Ciceron en Italie; & pour rendre l'ouvrage complet allons jusques dans la Chine consulter Confucius, & empruntons en Scythie les lumieres du sage Anacharsis. Comment toutes ces pieces ramassées pourront-elles faire un Systême complet de Morale, qui soit reçu de tous les Hommes du monde, pour être la regle authentique de leurs vies & de leurs mœurs? Je ne parleray point ici de l'impossibilité, qu'il y auroit eû à recueuiller tous ces preceptes des Ecrits de personnes si éloignées les unes des autres par le tems & les lieux, où ils ont reçû, aussi bien que par leur langage. Je suppose qu'il y avoit alors un Stobée, qui s'étoit attaché à rassembler les sentences morales de tous les sages du monde. Comment un tel recueil auroit-il pû devenir une regle fixe, & une veritable copie de la Loi sous laquelle nous vivons? Seroit-ce d'Aristippe ou de Confucius qu'il auroit tiré son autorité? Zenon avoit-il le droit d'imposer des loix au genre humain? S'il ne l'avoit pas, tout ce que lui, ou quelque autre Philosophe pouvoit dire n'étoit compté que pour le sentiment d'un simple homme. Desorte que les autres hommes pouvoient le recevoir, ou le rejetter comme ils le trouvoient à propos: ou selon que ce sentiment s'accordoit avec leurs interêts, leurs passions, leurs principes & leurs inclinations particulieres. Ils n'étoient dans aucune obligation à cet égard. L'opinion de quelque Philosophe que ce fut, n'avoit point d'autorité par elle-même. Que si l'on*

veut

veut en regarder quelqu'une en particulier sous cette idée, il faut accorder le même droit à tout ce qu'a dit le Philosophe qui en est l'Autheur. Toutes ses maximes doivent passer pour des loix certaines & indubitables: ou bien il n'en faut recevoir aucune sous cette qualité. Par exemple, si vous prenés pour des preceptes de la Loi naturelle quelques-unes des sentences morales d'Epicure, dont il y en a plusieurs que Senece cite avec des marques d'estimes & d'approbation: il faut que vous receviés sur le même pié tous le reste de sa doctrine: ou bien toute son authorité disparoit. D'où il s'ensuit, que tout ce qui vient d'Epicure, ou de quelque ancien Philosophe, l'on ne doit rien recevoir comme partie de la Loi de la nature, & sous l'idée d'un Devoir indispensable, que ce qu'ils prouvent être tel effectivement. Et paucis interjectis: Ces sentences detachées, que des Philosophes & des personnes sages debitoient de tems en tems, quelques excellentes qu'elles fussent en elles-mêmes, & à quelque bonne fin qu'elles fussent proposées ne pouvoient jamais faire une Morale de la verité de laquelle le Monde pût être convaincu jusques à se soûmettre à ses maximes avec une entiere confiance. Il faut que tout ce qui doit servir en qualité de modelle sur lequel tous les hommes doivent regler leurs mœurs soit autorisé par la raison ou par la Revelation. Delà qu'une personne écrit sur la Morale, ou compile ce que d'autres en ont écrit, il n'acquiert pas par cela même un pouvoir de Legislateur sur le genre humain: comme si les regles qu'il voudroit prescrire aux hommes, devenoient inviolables, parce qu'il les auroit inserées dans ses Livres, sous l'authorité de tel ou de tel Philosophe. Quiconque pretend se mettre sur ce pié-là, & faire passer les regles, qu'il donne pour des loix authentiques qu'on ne peut se dispenser d'observer doit prouver l'une de ces deux choses: ou qu'il fonde toute sa doctrine sur des principes des raisons evidens par eux-mêmes, desorte qu'il en fasse d'ecouler toutes les parties, qui la composent par une demonstration claire & sensible: ou bien, il doit faire voir, qu'il est envoyé du ciel, & qu'il est autorisé de Dieu, pour annoncer sa volonté & ses commandemens aux hommes. Or personne que je sache n'a fait ni entrepris de faire avant la venuë de Jesus Christ une Morale, selon la premiere de ces methodes. Il y a, j'avouë, une Loi naturelle. Mais où est celui, qui nous l'avoit donnée, ou qui s'étoit chargé de nous la montrer toute entiere en qualité de Loi, sans y rien ajoutr, & sans en retrancher aucun des devoirs qu'elle contenoit, & qui obligoient par eux-mêmes? Qui a jamais fait connoitre toutes les parties de cette Loi jointes en un seul Corps? qui est-ce qui a montré les hommes l'obligation où ils étoient de les observer exactement? Et où a-t-on jamais vû, un

pareil Code auquel le genre humain ait pû recourir comme à une regle infaillible avant que notre Seigneur eût paru dans le Monde? S'il n'y en avoit point eû jusqu'alors, il eſt viſible qu'il étoit neceſſaire, que quelqu'un nous donnât un tel corps de Morale, qui en qualité de Loi irrefragable pût ſervir de guide aſſuré à ceux, qui deſiroient de marcher dans le bon chemin, afin que s'ils vouloient s'acquiter de leur devoir, ils ne fuſſent pas en danger de ſe meprendre, mais qu'il puſſent ſavoir certainement, quand ils l'auroient rempli, ou qu'ils s'en ſeroient écartés. Or telle eſt la Loi Morale que Jeſus Chriſt nous a donnée dans le Nouveau Teſtament & cela par la derniere des deux voyes que nous venons de propoſer, je veux dire, par le moyen de la Revelation. Ita Celebris ille Philoſophus. Suo jam tempore idem agnoverat *Lactantius.* Libro enim tertio ſuarum inſtitutionum ita loquitur: *Quid ergo? nihilne illi* (de philoſophis loquitur) *ſimile præcipiunt? imo permulta, & ad verum frequenter accedunt. Sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia ſunt humana, & auctoritate majori, id eſt divina, carent. Nemo igitur credit, quia ſe tam hominem eſſe putat, quam eſt ille qui præcipit.*

Reſpondetur ad reliquam objectionum partem.

IX. Quod ad reliquam partem harum objectionum ſpectat, poterimus eſſe breviores, quia alibi jam de iis nos egiſſe meminimus. Strictim igitur ſequentia monemus. *Primo* aſſerimus, Revelationem, in qua hiſtoriæ utiles, Exempla virtutis maxime ſalubria, parabolæ, ſententiæ graviſſimæ, præcepta & dogmata attentione digniſſima ſimplici ſtylo prolata, repræſentationes ut judiciorum, ſic beneficiorum divinorum, omnis generis ad virtutem amandam, vitia vero fugienda incitamenta enarantur &c. magis eſſe ingeniis omnium hominum attemperatam, quam compendium veritatum Theologiæ Naturalis & Juris Naturæ artificioſiſſima methodo contextum; Sunt enim varia plane hominum ingenia; alius enim exemplo ſingulari magis movetur quam rationibus evidentiſſimis; Hunc judiciorum divinorum ſeveritas a vitiis abſterret; Alium beneficiorum divinorum repræſentatio blande ad virtutem trahit & ſic deinceps. Quod ſi inſuper conſtet certo, teſtes hujus revelationis eſſe viros fide dignos, ſimplices, veri amantiſſimos, revelationemque illam variis miraculis eſſe confirmatam, cauſam non videmus, cur de tali Revelatione homines conquerantur, inprimis ſi conſideraverint Deum in hac revelatione originem rerum omnium pandere, diverſos gratiæ ſuæ & revelationis gradus ad tempora Chriſti & Apoſtolorum ſimul exponere & repræſentare voluiſſe.

II. Qui

II. Qui scientiarum amore sunt incensi, de librorum multitudine & voluminum magnitudine conqueri non solent: profani etiam homines, jugi variorum librorum, ingenium & mores sæpe corrumpentium, lectione delectantur. Quod si homines tanta rerum divinarum cognoscendarum arderent cupiditate, quanto desiderio non profutura imo noxia scire avent, nullus esset futurus quærelæ illi locus.

III. Nemo Theologorum unquam asseruit, omnia, quæ libris, quibus continetur revelatio, traduntur, plane ejusdem ponderis, & æque ad salutem cognitu necessaria esse: Hoc tantum semper urgent, ea, quæ scitu plane sunt necessaria, tam perspicue proponi & toties repeti, ut nemo veri amans attentione seria adhibita, affirmare possit, se doctrinam Jesu Christi capere non posse.

IV. Solent Doctores Christiani, doctrinam salutarem in gratiam simpliciorum brevioribus includere compendiis, quo satis eorum imbecillitati consulitur, qui singillatim omnia excutere non possunt. Cumque veritates fidei christianæ in talibus libellis claris & disertis locis S. Litterarum muniri soleant, de veritate traditæ veritatis dubitandi causas non habent lectores, cum loca e S. Literis petita ad confirmandum aliquod dogma, ipsimet evolvere possint. Quod si hîc vel illic forte scrupulis urgentur, eos consulere possunt, quos ampla rerum divinarum cognitione instructos esse putant. Hoc cum in aliis disciplinis præstare debeant veritatis cognoscendæ cupidi, causam non video, cur iis, quibus cœlestis doctrinæ cognitio curæ cordique est, molesta esse deberet talis interrogatio.

V. Asserimus, omnes versiones S. Litterarum ita esse comparatas, ut ex iis omnia illa cognosci possint, quæ ad summam rerum pertinent. Multi sine dubio Deistarum linguis sibimet vernaculis legunt græcorum & Romanorum egregia scripta, neque propterea dubitant, quin plerisque in locis sensus Auctorum capiant, eaque exinde addiscant, quæ cognitu sint quammaxime necessaria.

VI. Nonsolum plebs, sed & Interpretes doctissimi, linguarumque callentissimi quibusdam in locis suam tenentur fateri ignorantiam. Quod nemo mirabitur, qui cogitarit, multas voces, ritus, circumstantias personarum, locorum, &c. nobis satis cognita non esse. Viri græce doctissimi sæpe fatentur, se v. gr. *Platonem*, *Aristotelem*, aliosque non ubique intelligere; nemo tamen propterea colliget, aut omnia plane esse obscura, aut propterea præstantissimos Auctores evolvendos

dos non esse. (*) Ex quo simul patet, si docti, perspicaces, & moderati ingenii Viri, ad revelationis, in S. Litteris contentæ interpretationem animos adjungant; si conjecturas nemini obtrudant; si quæ dubia sunt suo loco relinquant, & satis habeant, si in momentosissimis scituque necessariis conveniant, tot dissensiones exorituras non fore.

Adducitur quinta objectio Deistarum.

X. Pergunt Increduli & dicunt, mirari se valde, cur tantopere Christiani laborent, ut christianæ religioni nomen dent, cum tamen in summa rerum Christiani & ipsimet inter se conveniant: Christianos nimirum asserere, omnes articulos religionis christianæ ad pietatem, id est, ad amorem Dei, proximi, & nostri ipsorum tendere. Jam vero Deistas, eos certe, qui omnia Theologiæ Naturalis principia theoretica & practica admittunt, necessitatem horum officiorum omnium pariter urgere.

Respondemus: (I.) Verum est, Christianos omnes confiteri, Religionis christianæ articulos, imo mysteria omnia, quatenus nobis sunt cognita, in se comprehendere gravissima ad pietatem Incitamenta, ex quo etiam Religionis hujus præstantiam probamus: imo asserunt, quo magis articulus religionis hominum animos ad pietatis studium incendat, eo majoris eum esse ponderis: quo pauciores vero habeat ad pietatem deamandam stimulos, eo minoris eum esse momenti. Ex quo etiam controversarum sententiarum dependet momentum.

(II) Quæritur, utrum posita aliqua Revelatione rationis principiis superaddita, non majora homines reperturi essent ad verum pietatis studium prosequendum præsidia: vix negaturos hoc crediderim Deistas. Cum enim sapiens nil agat sine gravissimis rationibus, Deus autem mortalibus revelationem concedens, nihil aliud quærere possit, quam ut majoribus præsidiis essent instructi ad Deum colendum, officiaque omnia religionis rectius cognoscenda & præstanda; sequitur, posita aliqua Revelatione, graviora simul adesse ad veræ pietatis amorem

(*) Collino, qui ad obscuritatem etiam S. Literarum provocavit, Revelationem suspectam redditurus sic respondit auctor versionis gallicæ libri Cl. Bentley, Collino oppositi. *Il y a dans l'Ecriture des endroits obscurs. Il y en a même qu'aucun simple Mortel, ne peut expliquer. Donc il n'y a rien de clair: ou ce que y est clair est inutile. Cependant la conſequence est si visiblement ridicule, qu'on devroit en avoir honte, à moins que l'Ecriture ne prétendit elle-même, que tout chez elle est clair & facile, car alors, prouver qu'il y a des endroits obscurs, ce seroit la mettre en contradiction & la confondre par elle-même. Mais n'a-t-elle pas avoué qu'elle avoit ses tenebres, & même quelquefois des dangereuses ou d'impenetrables?* voyez Deut. XXIX, 29. Matth. XI, 25. 1. Corinth. II, 7. 2. Corinth. IV, 3. 4. 2. Petr. III, 16.

rem' argumenta & incitamenta. Atqui sapientis est, illud, quod melius, vel optimum est, eligere.

(III) Quod si concedant Increduli, Revelationem, si quam Deus humano generi concessurus esset, inter alia hoc nomine potissimum illustrem, & attentione dignam fore, quod longe excellentiora suppeditatura esset ad pie vivendum Incitamenta, simul etiam concedendum erit, eandem majorem & exactiorem rerum divinarum cognitionem complexuram. Ex re enim incognita plane incentiva ad actiones morales peragendas desumi non possunt. Sive igitur mysteria voces veritates illas, per rationis principia non eruendas, sive alio nomine appelles perinde est: Sufficit, quod veritates illæ per Revelationem detectæ, præter illas rationes pietatis studium commendantes, quæ per rectum rationis usum & applicationem colliguntur, necessarias alias & longe graviores complecti debeat veritates, quæ ampliora & excellentiora ad virtutem suppeditent principia & præsidia.

(IV) Revelatio igitur complectens veritates rationi impervias, sed ad verum cultum divinum promovendum incredibilem vim habentes, longe aptior erit, quam sola cognitio naturalis de Deo & officiis erga ipsum præstandis. Atque hoc patebit, si ἀθεϱ παθων incentiva illa pietatis, quæ ex contemplatione Theologiæ naturalis repetuntur rite expendamus, & quam exiguam omni tempore in animos hominum vim habuerint, dispiciamus. Ut autem hoc rite fiat, non tam consulenda sunt recentiorum Theologiæ Naturalis Systematum Scriptores, sed potius animi convertendi ad Barbararum & politiorum Gentium revelatione destitutarum de hoc argumento placita. His rite introspectis patebit, quam exiguam omni tempore vim in animos hominum hæc Incentiva habuerint. Hinc etiam factum, ut exorta revelatione Philosophi multa ex religione christiana mutuati sint principia, ad dogmata sua exornanda & commendanda. Legantur quæ doctissimi viri, *Mosheimius* & *Brukerus* de *Platonicis* & *Stoicis* scripserunt. Hinc Eruditissimi & Philosophiæ callentissimi inter Christianos Viri, idem monuerunt. D. *Lokius*, Vir omnium consensu acutissimi ingenii, postquam singulari capite imbecillitatem religionis Naturalis demonstrasset, ingeniosa comparatione eos false ridet, qui rationis in cognoscenda religione vim tantopere extollere solent, atque existimant, se sine Revelatione, cujus tamen juvenes præcepta audiverunt, Systema Theologiæ Naturalis omnibus numeris absolutum facile reperturos. Verba ita sonant pag. 311. libri supra citati. *Celui qui voyage*

preſentement par des grands chemins, s'applaudit ſur la vigueur de ſes jambes, qui l'ont porté ſi loin, dans un ſi petit eſpace de tems: il attribuë toute la cauſe de ſa diligence aux forces de ſon temperament, ne conſiderant presque pas combien il eſt redevable au travail de ceux, qui ont coupé les Bois, ſechè les marais, bâti des ponts, & rendu les chemins practicables, ſans quoi il ſe ſeroit extrêmement fatigué & n'auroit avancé que fort peu. Il y a quantité des choſes, dont la créance nous a été inculquè dès le berceau; de ſorte que les idées nous en étant devenuës familieres, &, pour ainſi dire, naturelles ſous l'Evangile, nous les regardons comme des verités inconteſtables, qui eſt aiſé de voir, & de prouver avec la derniere evidence, ſans conſiderer que nous aurions pû en douter ou les ignorer pendant longtems, ſi la Revelation n'en eût rien dit. Ainſi pluſieurs ſont redevables à la Revelation ſans s'en appercevoir. Similem in modum pronunciat ὁ Μακαρίτης Cl. *Werenfelſius* in Diſſertat. de *Præſtantia Religionis Revelatæ* pag. m. 275. *Videant* (inquit) ne *nimium rationi ſuæ tribuant Rationales noſtri. Dicunt ſolo rationis ductu inveniri poſſe totam illam religionem, quæ in ſacris Litteris traditur, aut ſaltem quod in ea præcipuum eſt. Nihil dictu facilius eſt illis, qui jam cognoſcunt religionem iſtam. Tunc illud dicendum fuiſſet, ſi per totam vitam de religione hac nihil a quoquam audiviſſent. Nunc vero ſimiles mihi videntur iis, qui poſtquam a Præceptoribus, quicquid ſciunt, didicerunt, videri tamen volunt* αὐτοδιδάκτοι, *aut cum de præclaris inventis audiunt, putant, ſe hæc omnia, niſi jam inventa eſſent, ipſos fuiſſe inventuros. Quod ſi cognoſcere velimus, quid poſſit ratio hominis in invenienda religione, non noſtram rationem conſulere debemus, quos verbum Dei in viam deduxit, quos in eadem dirigit, in ratiocinando titubantes aut errantes monet, confirmat, corrigit, veſtigia relegere jubet: ſed rationem illorum, quibus hoc verbum eſt ignotum.* Et profecto, ſi ad cognitionem legis illius naturalis attendimus, conſtabit, non tam fortia eam ſuppeditare Deum amandi incentiva, quam vero revelatio adfert, ob plurima acceſſoria, quibus cognitio naturalis obſcuratur. Cognoſcere poteſt homo, ſe a Numine Optimo creatum & facultatibus eximiis ornatum: Deum univerſum hoc regere, & generi humano ingentia præſtare beneficia. Probabile etiam quam maxime, mentem poſt hanc vitam ſuperfuturam, virtutisque amantes feliciores futuros illis, qui in omni ſcelerum pravitate verſati ſunt: Par igitur eſſe, ut pro hiſce Deo gratias agamus & rationi convenienter vivamus. Ponamus hæc ab omnibus, qui revelationis luce deſtituuntur, admitti; reperies tamen multa eſſe, quæ impediant, quo minus

nus homines his præceptis utantur, atque ad amorem Dei verum incitentur. Et *primo* quidem Eruditis satis cognitum est, inter eos, qui Juris Naturæ præcepta olim tradiderunt, referendos esse Philosophiæ Stoicæ Sectatores: multa de hoc argumento egregia leguntur in Scritis *Arriani*, & *Antonini Philosophi*. Notum vero est, eos in Ethica sua fundamenti loco posuisse; quædam esse in nostra potestate, alia non. Inter ea, quæ in nostra potestate sita esse dicebant, omnes actiones liberas, inprimis bonas referebant. Jam vero (*) si semel ponas, ad virtutem exercendam plane Deum nihil conferre, sed omnes actiones bonas nonnisi hominum studio, exercitationi, & prudentiæ deberi, multum decedit ponderi argumentorum, hominem ad Deum supra omnia amandum, impellentium. Pauciſſimi sola Naturæ divinæ contemplatione ad verum studium virtutis adduci solent. Qui id, quod excellentissimum est in homine, nimirum pietatem, viribus duntaxat suis adscribit, magnifice per vitam de se sentiet, neque infirmitatis suæ memor, præsidia penes eum quæret, qui omnis veræ felicitatis auctor est. Novi, homines, quibuscum mihi jam res est, ea quæ de auxiliis internis Numinis dicuntur, albis ridere dentibus, propterea quod nobis incompertum sit, qua ratione in mentes hominum Deus vim suam exserat. At præterquam quod ridiculum sit, rem aliquam negare, eo duntaxat nomine, quod qua ratione præstetur non satis perspectum sit, ipsimet repugnantia statuunt, admittendo Providentiam ad omnia, omnia inquam maxima & minima ad intellectualia & sen-

(*) Cotta Academicus apud Ciceronem Lib. III. de Natura Deorum ita de hoc argumento loquitur ac si omnium Gentilium hæc esset communiter recepta sententia. *Atque hoc quidem* (inquit) *omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta ubertatem frugum & fructuum: omnem denique commoditatem, prosperitatem vitæ, a Diis se habere. Virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit. Nimirum recte: propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute recte gloriamur. Quod non contingeret, si id donum a Deo, non a nobis haberemus. At vero aut honoribus aucti, aut re familiari, aut si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni, aut depulimus mali, cum Diis gratias agimus, tum nihil nostræ laudi assumptum arbitramur. Nam quis quod vir bonus esset, gratias Diis egit unquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis. Jovemque Optimum Maximum ob eas res appellant, non quod nos justos, temperantes, sapientes efficiat, sed quod salvos, incolumes, opulentos, copiosos. Neque Herculi quisquam decumam vovit unquam, si sapiens factus esset. Quanquam Pythagoras, cum in Geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolasse dicitur. Sed id quidem non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine aspergeret. Ad rem autem ut redeam, judicium hoc omnium mortalium est, esse fortunam a Deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. Quamvis menti delubra & virtuti & fidei consecremus; tamen hæc in nobis sita videmus: Spei, opis, victoriæ facultas a Diis expetenda est.*

sibilia sese extendentem. Aliter sentiunt Viri, non solum in Theologia sed etiam in Philosophia & quidem in hac potissimum versatissimi. Ill. *Lokium* credo, e numero Philosophorum expungendum non esse putabunt Increduli. Hic vero loco supra citato pag. 328. ita de hoc argumento loquitur: *Un cinquieme* (inquit) *& dernier avantage, que nous devons ajoûter à ceux, que nous recevons de ce divin Sauveur, c'est la promesse qu'il nous fait, de nous assister. Si nous faisons tout ce qui est en notre pouvoir, il s'engage de nous accorder son esprit, pour nous aider à faire ce que nous devons, & à le faire de maniere que nous le devons. Et ici, nous aurions grand tort, de demander comment se fera l'operation de l'Esprit de Dieu sur nous, puisque nous ignorons comment notre propre esprit nous fait agir. La sagesse, qui accompagne cet esprit saint, connoit mieux que nous-mêmes comment nous sommes faits, & comment il peut operer sur nous. Si un habil homme sait trouver le moyen de gagner l'esprit de son enfant pour le tourner du coté qu'il veut; pouvons nous douter que l'Esprit de Dieu ne puisse faire la même chose à notre egard; quoique nous ne voyons ni ne comprenions point la maniere dont il exerce son operation?* Bonitas divina præcipuum est ad Deum amandum Incentivum. Quod si vero Deus mortalibus id tantum largitur, quod cum belluis commune quasi est, minuuntur valde, aut prorsus tolluntur amoris divini stimuli. Accedit, quod incitamenta ad Deum amandum non possint non esse valde infirma, ubi dubia est persuasio de virtutis in hac & altera vita remuneratione: ut jam non dicam, quanta sit pravorum adfectuum in tanta naturæ nostræ imbecillitate adversus sincerum virtutis studium, vis. Hæc vero amoris Dei studio non parum officiunt. Quod si vero contra omnia illa Incitamenta, quæ Revelatio Sacra suppeditat, ea præsertim, quæ ex amore Soteris nostri erga peccatores petuntur, rite perpendantur, manifestissimum erit, longe fortiora & excellentiora ea esse iis, quæ ex legis naturalis indole manare solent. Quoniam vero hîc data opera præstantiam Religionis christianæ demonstrare animus non est, ea Incentiva singillatim & per partes hîc non adduco. *Secundo:* Constanti experientia patet, exiguam semper vim habuisse legem naturalem ad homines Gentiles a vitiis retrahendos. Concedam inter Barbaros, Græcos & Romanos fuisse viros non solum præstanti ingenio ornatos, sed & variis virtutibus eminentes: dabo actiones morales ad honestatem compositas non esse vitia: non argumentabor de actionibus honestis ex intimis cordis recessibus, eas pejorem in partem interpretando; neque eriam ea carpam vitia, quæ

ex

ex naturæ humanæ imbecillitate inter omnis generis homines locum habent. Hæc omnia iis, qui legis naturalis præstantiam extollunt, concedam. Ab altera vero parte simul viri veritatis amantes non diffitebuntur, nonsolum olim, sed & nunc inter Asiæ, Africæ & Americæ populos, (ut de aliis nihil dicam) imperfectissimam esse legum illarum cognitionem: quasdam, si Itinerariorum scriptoribus & multis quidem, fides aliqua habeatur, aut plane ignorari, aut scientiam earum adeo esse confusam, totque tenebris obseptam, ut nonnisi tenuis restet umbra hujus legis. Superstitio enim, consuetudo, defectus rectæ institutionis &c. impediunt, quo minus de legibus illis naturalibus rite intelligendis homines sint solliciti. Hoc vero in statu, quam rarus & frigidus plane ille amor Numinis futurus sit, vel me tacente sentiunt omnes. Accedit, quod per universum orbem, ubi christiana & judaica religio radices non egerat, opinio de duobus principiis æternis, sibi invicem adversis, fuerit diffusa & recepta, quod prolixe probavit Cl. *Wolfius in libello de Manicheismo ante Manicheos.* Cum vero ea quæ dolores & adversitates adferre possunt, homines amoliri a se quammaxime conentur, hinc de malo potius principio quam de bono sibi conciliando fuerunt solliciti. Huic malo principio originem mali moralis & physici tribuebant; Cum vero quocunque oculos circumferrent, immensam malorum farraginem deprehendissent, fieri aliter non potuit, quam ut sincerus Optimi Numinis amor, in plerorumque animis, si non extinctus, imminutus tamen valde fuerit. Taceo jam opiniones de actis Deorum & dearum; de Sacrificiorum & cultus externi dignitate &c. quæ a casto Dei amore non potuerunt non homines avocare: Nihil dicam de Systematibus Philosophiæ tum receptis v. gr. *Epicureorum* tale Systema defendentium, per quod omnis religio & ita amor & cultus divinus, labefactatus est: nil de *Aristotele*, qui plerorumque Eruditorum judicio, ad lunam duntaxat divinam pertingere providentiam perhibuit: nihil de Cynicis, Scepticis, reliquisque Philosophorum sententiis & moribus dicam: Hoc certum, Eos omnes non tam occupatos fuisse in casto Dei cultu promovendo & animis mortalium insinuando, quam vero ad ingenium ostentandum & semel arreptas opiniones cum quodam eruditionis apparatu tuendas. Non diffitendum, gentiles de statu hominum diverso post mortem tenuem aliquam habuisse cognitionem; at ea obscura valde fuit, & fabulis multis ita obsepta, ut ad incredulitatem potius, quam ad certam fiduciam futuræ remunerationis homines inducere potuerit. Et si quando publici

blici doctores & Sacrificuli argumenta de ſtatu futuro hominum in medium attulerunt, factum id eſt potius ad ſuperſtitionem alendam & promovendam, quam vero ad virtutem commendandam. Ex quo facile conſtat, quam exiguis ad Deum amandum præſidiis publice traditæ philoſophandi methodi fuerint munitæ. Pulchre autem video, quid moderni Deiſtæ contra ea, quæ dixi, in medium ſint prolaturi. Dicent, ſe ſe a craſſis illis veterum erroribus & ſuperſtitione immunes eſſe, atque adeo rectius de Deo rebusque divinis diſſerere, & officiis Juris Naturalis defungi poſſe. Duo reſpondeo: primum Illos rogo, ut probe diſpiciant, utrum non religioni chriſtianæ debeant, quod a craſſioribus erroribus & ſuperſtitioſis ritibus ſint liberi. Celeberrimi certe Antiquitatis Viri, Græci & Romani, qui omne vitæ tempus in excolendis diſciplinis philoſophicis contriverant, neque ingenio, quo minus verum cernere poſſent, deſtituti erant, ſuperſtitioni tamen & vanis opinionibus nuncium remittere non potuerunt. Omnium Eruditorum judicio inter principes Veterum Philoſophorum referendus eſt *Socrates*. At nævis & erroribus obnoxium fuiſſe præſtantiſſimum virum, neque ſuperſtitioni in patria graſſanti ſatis ſe ſe oppoſuiſſe, data opera probavimus in diſſertatione de *præſtantia Religionis chriſtianæ collatæ cum Philoſophia Socratis*, quæ inſerta eſt *Clariſſimi & amiciſſimi Schelhornii amænitatibus.* (*) *Locum illa occupabit in primo,*

(*) Unum tantum alterumque adducam locum, ex ipſo, *Xenophonte*, qui cauſam *Socratis* peroravit, ex quibus ſatis conſtabit, quo jure religionis puræ caſtæque defenſor dici poſſit. Lib. I. Memorabilium Socratis, ſtatim ab initio, Xenophon ita contra Heterodoxiam Eum defendit, dicens. Πρωτον μεν ὀυν ὡς ὀυκ ἐνομιζεν ὀυς ἡ πολις νομιζει θεοις, ποιω ποτ' ἐχρησαντο τεκμηριω? θυων τε γαρ φανερος ἠν, πολλακις μεν οἰκοι, πολλακις δε ἐπι των κοινων της πολεως βωμων. Και μαντικη χρωμενος ὀυκ ἀφανης ἠν. διετεθρυλλητο γαρ ὡς φαιη Σωκρατης το δαιμονιον ἑαυτω σημαινειν. i e. ex verſione *Beſſarionis*: *Hoc igitur primum, quod non coleret Deos, quos etiam civitas, quo argumento oſtenderunt? Cum ſæpiſſime tum domi, tum etiam in aris communibus civitatis conſtet eum ſacrificaſſe, eumque vaticiniis uſum fuiſſe haud eſſet ignotum. Pervulgatum namque erat Socratem prædicare, quendam Deum ſibi res ſignificare.* Pergit dein *Xenophon* oſtendere, Eum contra patrium cultum non peccaſſe *Atqui* (inquit) (*ut verſione recepta utar*) *nil novi, quod non etiam alii, qui auguriis, ominibus, ſignis, ac immolationibus vaticinari ſolent, introducebat. Quemadmodum enim illi nec aves, nec obviantes ſcire aut prædicere opinantur futura, Deos autem per illos ea oſtendere, ſic etiam Socrates arbitrabatur.* Et paulo poſt in eodem Lib I p m. 450. *Circa Deos eo modo videbatur dicere ac agere quo Pythius illis reſpondet, qui interrogant quomodo oporteat agere, aut de immolationibus, aut de Majorum obſervantia, aut de aliis ejusmodi rebus. Sicut enim Pythius de Immolationibus jubet, quod recte agat-is, qui conſuetudine civitatis utatur; ſic etiam Socrates & ipſe faciebat, cæterosque admonebat: eos vero qui aliter agebant, curioſos & vanos arbitrabatur.*

mo hoc volumine opusculorm. Alterum quod respondeo hoc est; quod quantacunque sit Theologiæ Naturalis & Juris Naturalis præstantia, fateri tamen tenebuntur Deistæ, eam incrementum capere posse, illique talia addi posse, quæ ad majorem rerum divinarum cognitionem multum conferre possent. Asserimus autem nos, in Religione christiana talia proponi, quæ & ad perfectiorem Numinis cognitionem & ad accuratiorem officiorum lege divina præscriptorum præstationem, mentes hominum impellere possint; Ex quo ipso sequitur, in eadem etiam revelatione reperiri firmiora ad Deum amandum præsidia. Hæc sane Deistas, si amore veri tenentur, uti videri volunt, commovere debent, ut de novo accuratum hujus Religionis instituant Examen. Sed hæc sufficiant.

΄ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ

THESIUM THEOLOGICARUM.

I. Si ob metum Hæresium jus examinandæ Religionis adimendum sit, nullis magis quam Doctoribus adimendum est; siquidem Hæreses pene omnes a Doctoribus ortum habuere.

II. Inter Atheos & nos convenit, aliquid æternum fuisse. Hoc quæritur primo quodnam illud æternum fuerit? 2) quomodo ab æterno illo, quæcunque post fuerunt, hodieque extant, orta sint? utroque autem respectu, quanto intervallo ipsorum Hypothesis a nostra superetur, quicunque attenderit, facile perspiciet.

III. Nihil magis rationi contrarium, quam assertum Pontificiorum, affirmantium, Deum quidem eum in finem dedisse hominibus revelationem, ut ex ea viam perveniendi ad cœlestem gloriam discant; simul vero contendentium, eam Revelationem promiscue ab omnibus, quibus innotuit, non esse legendam & examinandam.

IV. Theologi, qui pedibus manibusque oblucrantur paci ecclesiasticæ inter Protestantes æquis conditionibus ineundæ, graviter peccant.

V. Socinianorum Theologiæ Systema ad labefactandam originem divinam Religionis christianæ natura sua plurimum confert.

VI. Circa quæstionem; an certus articulorum fundamentalium numerus definiri possit, subscribo iis, quæ inter alia monuerunt Theologi Clarissimi *Turrettinus* & *Witsius*; Sic autem loquuntur: ut definiri certo

certo non potest, quot sint præcise virtutis gradus, quot sint præcise officiorum genera, quot sint præcise bona opera, pii sermones, elemosynæ &c. quæ ab unoquoque requirantur, non sine summa temeritate a nobis homuncionibus determinaretur. Quid sit ultimum in rebus ejusmodi, quinam sint necessariorum & non necessariorum limites, dicant illi, qui divinarum perfectionum, divinæ puta justitiæ & divinæ misericordiæ limites perspectos habent: Nos id captum nostrum superare libenter agnoscimus, His accedit, (ut verbis utar Cl. Witsii) quod divina gratia tenuissimo quandoque filo electos Christo jungat, & ardentissimæ charitatis flammæ, ac sinceriſſimum Deo placendi studium, in iis se animabus exserant, in quibus perexigua est cognitio articulorum fidei. Et quis hîc ipso non præeunte Deo exacte definiat, minimum illud in singulis articulis, ad quod indispensabiliter alligatum sit judicantis Dei Tribunal.

VII. Prudens sane, & salubre monitum est, quod V. D. Ministris de *Prædestinationis* negotio verba facturis, dedit præclarus Confessionis helveticæ Auctor sequentem in modum pronuntians: Quamvis Deus nôrit, qui sint Sui, & alicubi mentio fiat paucitatis Electorum, bene sperandum tamen de omnibus, neque temere reprobis quisquam est annumerandus. Paulus certe ad Philipp. Gratias ago, inquit, pro omnibus vobis (loquitur autem de tota Ecclesia Philippensi) quod veneritis in communionem Evangelii persuasum habens, quod is, qui cœpit opus bonum in vobis, perficiet, sicut justum est, ut hoc sentiam de vobis omnibus. Et cum rogaretur Dominus, An pauci sint, qui salventur? non respondet Dominus ac dicit, paucos aut plures fore servandos aut perdendos, sed hortatur potius, ut quisque contendat ingredi per portam arctam, quasi dixerit: Vestrum non est de his curiosius inquirere, sed magis anniti, ut per rectam viam cœlum ingrediamini.

VIII. Subscribo sententiæ Cl. *Vitringæ*, asserentis in doctrina christ. Relig. non multum interesse, utrum statum primorum parentum sub notione fœderis an potius obsequii naturalis concipiamus. Illum statum (inquit) sano sensu fœdus posse vocari, & fœdus operum, non est quod quis dubitet. Tenendum tamen, in Scripturis hanc denominationem clare non extare, nisi forte huc reducere velis Hos. VI 7. quin potius historiam Mosaicam, ut nullam plane fœderis mentionem facit, sic e contrario hanc nobis notionem clare subjicere, Deum ut absolutum & naturalem Hominis Dominum ipsum tractasse

ut

ut subditum, cujus affectus & obsequii voluerit capere experimentum.

IX. Facite me Ecclesiæ Romanæ Episcopum & protinus ero Christianus, falsè olim Prætextatus Vir Consularis & gentilis, teste Hieronymo, ludens respondit Damaso Pontifici, ipsum ad Religionem christianam invitanti. Fiat applicatio in longe minore gradu in ordine ad ministerium, & pulcherrime hæc parodia concordabit. Hæc sententia Cl. *Weismanni* valde est probabilis.

X. Inter beneficia divina hujus Seculi referendum, quod Viri eruditi & ingenio præstantes, variis factis experimentis, plantarum, animantium, Insectorum &c. naturam & proprietates harum creaturarum clarius detexerint, quam Majores nostri. Hisce enim perspectis, animi ad virtutes divinas extollendas mirum quantum incitantur.



MEDITATIONIS DE CAUSIS MAGIS MAGISQUE INVALESCENTIS INCREDULITATIS, ET MEDELA HUIC MALO ADFERENDA.

PARS X.

Sect. I.

Repræsentur sexta Incredulorum objectio.

IN proxime antecedente dissertatione incepimus quædam præjudicia generalia, quibus illi, qui a religione alienos habent animos, imbuti sunt, quæve obstant, quominus attenta mente argumenta, quæ ad probandam divinam originem Religionis christianæ adferri solent, expendantur, adducere. Restat ut reliqua, eaque præcipua in medium proferamus, examinique submittamus placido. *Ajunt* nimirum *Increduli*, *Christianos contendere, inter præcipua Religionis objecta referenda esse Mysteria. Ab his omnes particulares Religionis christianæ dependere articulos: tenenda igitur illa esse firmissima fide; sine his universam Religionem christianam ruinoso niti fundamento. Eosdem vero simul rotunde fateri, mysteria hæc a nemine posse intelligi. Hæc vero adserta partim esse ἀσυζατα, partim homines ad id, quod præstitu est impossibile, obligare.*

Respondemus (I.) Verum est, Christiani admittunt mysteria, & ut id faciant necesse esse existimant, si Revelationem divinitus sibi concessam esse, tueri volunt. Revelationis enim nomine intelligunt talium propositionum complexum, qui solius rationis ope a nemine morta-

mortalium inveniri possunt. Qui igitur Revelationem admittunt, eo ipso concedere debent, dari in disciplina Christiana mysteria. Quamvis enim Religio christiana talia etiam tradat dogmata, quæ sine revelatione e penu rationis depromi possunt; voluit tamen Deus cum mortalibus communicare pro infinita sua bonitate & sapientia talia potissimum, quæ ad salutem consequendam cognitu necessaria existimavit. Probavimus in antecedentibus, Deum, cujus cognitio est infinita, posse hominibus majorem cognitionis, quam quæ ratiocinando duntaxat elicitur, lucem suppeditare; talem vero per Revelationem fuisse allatam, certis argumentis Christianis est persuasum.

(II.) Verum etiam est, mysteria illa Religionis christianæ considerari a disciplinæ christianæ alumnis tanquam prima & præcipua fundamenta, quibus cætera dogmata & præcepta superstructa sunt. Neque hic ego aliquid deprehendo, quod a ratione abhorreat. Habent omnium Sectarum Philosophi suas κυριας δοξας, a quibus particulares sententiæ dependent. Cum vero Deus generi humano consulturus, mortalibus nova cognitionis principia dare voluit, congruum est, ut ea inter primarias veritates referantur. Ex quo simul constat, *Socinianos*, qui Revelationem admittunt, & divinæ eam originis esse fatentur, perperam agere, dum mysteria omnia in S. Litteris contenta repudiant. Idem enim agunt, ac si quis pro genuino *Platonis* vel *Zenonis* discipulo haberi vellet, & tamen simul principia, quibus innixa sunt horum hominum Decreta, proscriberet.

(III.) At, inquiunt Increduli, mysteria hæc non possunt cognosci, neque adeo credi. Ad hanc difficultatem, quantum necesse est, tollendam, attendendum est, quid voce *mysterii* intelligatur, & qua ratione ea vel intelligamus, vel non cognoscamus. Supra jam diximus, nos mysteriorum nomine intelligere complexum veritatum, quem solius rationis ope, nemo mortalium reperire potuisset. In S. Litteris vox μυστηριον non uno sensu sumitur. Sic vocatio Gentilium & rejectio Judæorum vocatur Mysterium Paulo ad *Rom.* XVI. 25. quia debilem plane homines de hac re habebant ante adventum Jesu Christi cognitionem: post autem Christi in cœlum ascensionem, eventu res ipsa patuit, atquo adeo hactenus hoc mysterium cognosci potest. Ita universa doctrina Evangelii passim μυστηρια nomine venit. *Matth.* XIII. 17. 1. *ad Corinth.* II. 6. 7. 1. *ad Corinth.* IV. 1. Inprimis ἡ ἐνσαρκωσις τε λογε mysterium vocatur 1. *ad Timoth.* III. 16. *ad Coloss. Cap.* II. *v.* 3. *Paulus* testatur in *Mysterio Dei & Patris & Christi omnes sapientiæ*

pientiæ thesauros reconditos esse : hinc ipsum Sacro S. Trinitatis dogma a Theologis merito mysterium appellatur. Quando igitur dicunt Christiani, se mysteria illa non satis cognoscere, hoc volunt, mentem humanam, naturam & nexum harum veritatum introspicere non posse. Scire enim & cognoscere est naturam & proprietates, causasque rerum perspectas habere. Talis cognitio præcique locum habet in disciplinis mathematicis. Ex quibus sequitur, nos potius hæc mysteria credere, quam vero cognoscere: dicimur credere in hoc negotio, quando propositionibus quibusdam in S. Litteris contentis subscribimus, non propter evidentiam ipsius rei & objecti, quam vero ob revelantis Dei auctoritatem, perspicuis verbis designatam. Ita credimus Christum Jesum esse Deum benedictum in Secula, propterea, quod in S. Litteris Illi tribuantur nomina divina, attributa divina, opera divina, cultus denique divinus; quomodo vero idem S. Soter a Patre, & a Spiritu Sancto distinctus sit, quod S. Litteræ clare testantur, nescimus: credimus tamen, Deo ea revelante. Ex dictis simul manifestum est, Christianos ἀσυζατα non admittere, quando dicunt, mysteria tanquam primaria religionis capita esse credenda, & tamen eadem non satis cognosci posse. Nihil enim absurdi est subscribere rei vel propositioni, a Deo perspicuis vocibus expressæ, licet rei natura imperfecte valde sit cognita. Ita credimus totum universum τῶ ῥηματι τȣ Θεȣ, ut *Paulus* loquitur ad *Hebr.* XI. v. 3. Καθηρθησαι τȣς αἰωνας, licet nemo mortalium inter intellectualis substantiæ, perfectissimæ licet, voluntatem, & totius Universitatis rerum productionem & conservationem, perspicuum demonstrare poterit nexum. (*)

(IV.) Confundunt semper Increduli, id quod plane inintelligibile est & contradictorium, cum eo, quod non satis comprehendi potest. Dudum hoc docti viri, qui adversus Incredulos calamos strinxerunt notarunt. Inintelligibilis, imo contradictoria est hæc propositio: datur circulus quadratus: at hæc? filius Dei manifestatus est in carne, id est humanæ naturæ particeps est factus, non est propositio omni ex parte inintelligibilis, licet filiationis illius & conjunctionis illius cum natura humana ratio non satis constet: modum ut sciamus harum rerum nec Deus ipse postulat.

(V.) Hoc unum ergo quæritur, utrum Deus salvis suis virtutibus, sapientia nimirum sua & æquitate, homines obligare possit, propositio-

(*) Non ineleganter de his locutus est *Prudentius* Lib. II. contra Symmachum v. 94. seq. p. 285. edit. *Heinsii*.

positionibus quibusdam cognitu difficilioribus, tanquam divinis, subscribendi. Ego hanc quæstionem affirmandam esse puto, ob sequentes rationes. *Primo* enim ipsa naturæ humanæ conditio non patitur, ut omnia, quæ ad constituendam religionem pertinent, clare & perspicue, id est adæquate, cognoscamus. Si ea, quæ vel sua natura evidentissima sunt, vel per certam demonstrationem probari possunt, excipias, homines, etiam quoad divina, in diversis probabilitatis gradibus subsistere debent. Horum probabilium ubi est concursus maximus, mens adquiescere debet, licet ad demonstrationem geometricam veritas evehi non possit. Vide *Dittonum de veritate Resurrectionis J. Christi. Secundo :* Ipsorum religionis dogmatum indoles & natura non permittit, ut omnia, quæ credenda sunt, clare & perspicue cognoscamus. Deus primum est Religionis objectum. Quis vero tam sibi suffenus est, ut contendere ausit, se naturam divinam clare & perspicue cognoscere posse? Atque hoc dicendum respectu dogmatum Theologiæ Naturalis & revelatæ; de quo tamen argumento, cum alibi pluribus egerim, plura hic non addam. Imo, quod *tertio loco* notandum, pugnaret hæc obligatio nonnisi ea credendi quæ clare & perspicue cognosci possunt, cum sapientissima Dei voluntate. Deus enim ab una parte imbecillitatis mentium humanarum memor est: novit infinitos esse capacitatis earum gradus; perspectum habet quosdam homines iis in locis degere vitam, & in talibus circumstantiis positos esse, ut rationis culturæ diu vacare non possint: neque igitur æquitas Dei & justitia Ejus, quæ per sapientiam dirigitur, patitur, ut homines omnes obliget ad id credendum, ad quod natura sunt inepti. Sufficit igitur, si tantum de Deo, rebusque divinis cognoscimus, quantum satis est ad Eum colendum. Sumamus v. gr. propositionem hanc e Theologia naturali. Deus universum & omnes ejus partes singulis momentis conservat. Hoc sufficit, ut Deum adorem, colam, Illique gratias agam, licet conservationis illius ignorem rationem. Sumamus

Nam, cum divinis agimus de rebus, & illum
Qui vel principio caruit, vel fine carebit
Quique Chao anterior fuerit mundumque creavit
Conjectare animo contendimus exigua est vis
Humani ingenii, tantoque angusta labori:
Quippe minor natura, etiam si intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi,
Quis dubitet, fœlo fragilem lacessere visu
Unique fatigatæ mentis sub pectore parvo
Turbari, invalidisque hebetem succumbere curis?

hanc propositionem: Filius Dei adsumsit naturam humanam: sufficit hoc homini Christiano ad Christum Jesum amandum & colendum, licet conjunctionis duarum in Christo naturarum modum ignoret. Hocque eo magis est tenendum, quod ipsi Apostoli, insolita rerum divinarum cognitione instructi asserant, cognitionem nostram de rebus divinis in hac vita *valde* esse *imperfectam*. Vide *locum Pauli* I. *ad Corinth* XIII. v. 9. confer cum hisce dissertat. Cl. *Stanhope* quæ extat Tom II. collectionis *Burnetianæ* de veritate Religionis christianæ.

Adducitur septima Incredulorum objectio.

II. Sunt in numero Incredulorum qui ita argumentantur. *Si*, inquiunt, homines, *ubi Religio christiana radices egit, ad Religionem revelatam amplectendam obligati sunt, manifestum est, eos teneri simul ad errores sæpe graves amplectendos & superstitionem terrimam profitendam; notum enim esse, in multis florentissimisque Europæ regionibus religionem erroribus atque fatuis opinionibus & ritibus turpiter esse commaculatam. Ad talia vero, quamprimum quis Religioni christianæ nomen dederit, amplectenda, promiscue omnes cogi. Hæc cum ita sint, tutissimam ineundam esse viam, id est Religionem christianam una cum superstitione esse repudiandam, & audienda duntaxat rationis Oracula.* Ad hanc objectionem sequentia notamus. *Primo* quidem non diffitemur, hinc inde inter Romanenses, religionem tot minutis & erroneis opinionibus, totque ineptis ritibus esse coopertam, ut homines e fece plebis difficulter pretiosum ab inani distinguere possint. Rem ita se habere, docent publica scripta, testantur Itineraria, & ἀυτοψια. De quo argumento pluribus alibi egimus, ostendimusque, grassantem non tantum inter Gentiles sed & inter Christianos potissimum superstitionem, Incredulitatis non postremam esse causam.

(II) Dolemus insuper ex animo, hominum iis in locis, ubi tetra superstitio dominatur natorum conditionem: Cum enim sciamus, quanta sit multorum hominum ingenii imbecillitas; quot inquirendæ veritatis impedimenta; quanta sit superstitionis, cum lacte quasi materno hausta vis & efficacia, facile videmus fieri aliter non posse, quam ut plerique in opinionibus semel arreptis adquiescant & patriam sectentur religionem. Videmus inter eos ipsos, quibus purior obtigit religio, & quibus examen religionis non solum est permissum sed & injunctum, pauciissimos dari, qui in veritatem dogmatum publice receptorum inquirant, eaque cum S. Litteris conferant. Unde facile est conjectu, qualis futura sit hominum illorum religio, qui in iis degunt regionibus, ubi examen religionis prorsus est proscriptum, & ubi casta

religio

religio tetra superstitione est corrupta. Horum hominum, repetimus, miseram dolemus sortem.

(III.) Hoc tamen non obstante causam ego non video, cur propterea Increduli triumphent, & ex pharetris suis venenatas adversus religionem christianam depromant sagittas: pulchre enim, si sincere & candide loqui volunt, sciunt, religionem christianam superstitioni esse inimicissimam, eamque cultum commendare, qui rationi est conveniens plane. Hinc diserte exponit Apostolus Paulus ad *Romanos* cap. XII. v. 1. 2. ut de aliis locis infra adducendis, jam nil dicam, in quo λογικη λατρεια posita sit. Hæc inquam norunt Increduli, ii saltem, qui unquam Religionem christianam serio expenderunt; unde causam non video, cur cum hæc sciant, misso examine religionis christianæ de iis solliciti sint, qui tam infelices fuerunt, ut inter eos vivendi sortem experti sint, quorum religio prava est imbuta superstitione.

(IV.) Quod vero ad homines illos spectat, qui in cætibus, ubi religio casta ineptis ritibus & erroribus est deturpata, vivunt, non omnes eundem in censum sunt referendi. Dantur, qui debili adeo ingenio sunt instructi, ut ad Examen religionis, erroremque a veritate distinguendum, parum sint apti. Sunt qui examen religionis instituere, & superstitionem a pura religione distinguere, si vellent, possint. Hi iterum vel respectu graduum cognitionis aut diligentiæ solertiæque in indagando vero, diversi plane sunt. Prout autem quisque facultatibus mentis est instructus, magis vel minus ingenii vires intendit, occasionibusque ad superstitionem evitandam & veritatem sectandam magis vel minus utitur, eo magis vel minus ejusmodi hominis status vel felix vel miser & deplorandus est, majorque vel minor spes est, Deum, qui omnes mentium humanarum angulos perspectos habet, cum adscriptus venerit pœnæ dies, mitius aut rigidius cum eo acturum. Hoc certum est saltem, multos esse errores ritusve qui sine magna ingenii perspicacia & acuto judicio deprehendi possint, adhibita aliqua mentis attentione verique studio. Ita non magno ingenii acumine opus est ad credendum, Deum, qui Omnipotens & Omniscius est, solum esse adorandum; panem, qui comeditur, non esse hominem, vel vivum vel mortuum; lapidi, ligno, marmori, nullam inesse vim, ad homines mente vel corpore ægros, sanandos, ut de aliis ejusdem commatis opinionibus nil dicam. Hoc vero ex eo manifestum est, quod inter Gentiles multi superstitionem grassantem albis dentibus riserint, eam a religione distinxerint, soliusque rationis

ope

ope vulgi errores graviter perstrinxerint. Neque dubium est, quin in *Italia*, *Gallia*, aliisque in locis, ubi Virorum doctorum magnus est proventus, librique a Protestantibus scripti passim manibus Doctorum teruntur, multi, pro suo tamen quisque cognitionis modulo, superstitionem sublatam plane vellent.

(V.) Quamvis vero negare nolim, superstitionem fædissimam in Ecclesia Romana passim regnare, multosque errores ridiculos passim admitti, tamen simul affirmandum est, capita Religionis de Deo, ejus attributis, Providentia, S. Litterarum divina origine, Christi nativitate, doctrina, miraculis, morte, resurrectione &c. non plane silentio involvi. Habent suos Catechismos, in quibus hæc generalia capita repræsentantur, quamvis non sine mistura talium sententiarum, quæ a pura religione sunt remotæ. Qui hinc inde per loca, in quibus religio Romana dominatur, itinera fecerunt, plurimis adductis exemplis ostendere potuerunt, offendi passim homines, qui non obstante superstitione & metu Inquisitionis, satis bene de religione judicent, erroresque vulgi probe perspiciant.

(VI.) Hoc argumentum Incredulorum plus probat, quam probandum erat, atque adeo nil probat. Quod si enim Religioni christianæ in universum esset valedicendum propterea, quod passim inter Christianos una cum articulis religionis veris, misceantur errores & tetra superstitio, repudianda esset etiam ipsa religio rationalis, quia nunquam ipsa sola sine erroribus & superstitione per orbem fuit transfusa. Qualis status fuerit inrer Romanos & Græcos ut de aliis populis nil dicam, ad Religionem quod spectat, satis notum est. Igitur si Incredulos nostros audias, recte fecissent præstantissimi Antiquitatis Viri, si una cum superstitione religionem omnem ex suis & aliorum animis penitus eradicassent, quod tamen cum eorum sententia non convenit, qui pro tuenda Religione naturali adeo laborant. Interim habent Increduli, quod sibi dictum putent. Plurimi iis in locis degunt, ubi superstitio omnis risui & contemtui est exposita, contra vero Religio & cultura rationis florent. Cur ergo Religionem christianam omnem in universum, nulla facta distinctione inter Religionem a Christo & Apostolis prolatam, & inter temerarias opiniones & superstitiones rejiciunt, & dum sibimetipsis consulere deberent, solliciti sunt de iis, qui verum a falso discernere nolunt? Quod si vero iis in locis degant, ubi metu Inquisitionis coacti, cum cæteris ineptos & superstitiosos ritus celebrare contra conscientiæ dictamen tenentur, cur

non,

non, si tanto veri amore ardent, ibi certas figunt sedes, ubi nemo propter Religionem divexatur?

VIII. Sequitur octava Incredulorum objectio petita a miraculis. Dicunt nempe Increduli, *Christianos præcipuum argumentum ad probandam divinam Originem Religionis Christianæ desumere a miraculis. Ipsos vero hac in parte sibimetipsis non constare, quandoquidem quidam soli Deo facultatem miracula patrandi adscribant; alii vero non minus bonis, quam malis geniis eandem potestatem concedant. Hac vero ratione argumentum a miraculis petitum reddi inutile, saltem vehementer debilitari.* Octava exhibetur objectio.

Ad hæc sequentia reponimus. Et (I.) quidem fatemur, Theologos inter se non consentire circa originem miraculorum. Sunt qui malis pariter & bonis geniis hanc facultatem tribuant, inter quos nostra ætate eminuere *Lokius* in opusculis posthumis, Joh. *Clericus* in Pneumatica sua & in *Commentario* in *Exodum*: plures eandem sententiam tuentes adducit Ven. *Mosbemius* in observat. ad *Cudworthum* pag. 866. Alii vero ut *Werenfelsius*, *Turettinus*, *Sercius*, *Noltenius* aliique plures asserunt, Deum solum veri nominis miracula patrare posse, Dæmones insolita quædam facere posse in hoc universo, sed ea talia esse, quæ naturæ leges non superent.

(II.) Non negabimus etiam eos, qui statuunt, substantias quasdam humana potentia majores, generique humano vel amicas vel inimicas veri nominis miracula facere posse, argumentum a miraculis petitum difficultatibus quibusdam exponere, dum omnia ad doctrinam ipsam, quæ miraculis tuenda esset, reducere videntur, ut de aliis, quæ Viri laudati in medium protulerunt, quæque suis locis legi possunt, nil dicam.

(III.) Hæc tamen viorum illorum doctorum sententia non ita est interpretanda, ac si data opera doctrinam de miraculis reddere vellent suspectam. Absit hæc prava suspicio longissime! novimus enim Viros illos doctissimos data opera veritatem Religionis christianæ probasse, atque ita satis ostendisse, se de divina Origine Religionis christianæ esse persuasos. Hinc etiam existimant, suam de Origine miraculorum sententiam nullatenus infringere argumentum, quod ad probandam divinam Originem Religionis christianæ adferri solet, petitum nimirum a miraculis. Ponunt enim (a) fundamenti loco, Deum qui patrandi miracula habet potestatem, nonnisi iis usurum ad probandam & confirmandam salutarem doctrinam: Diabolum vero ad mendacia & fraudes tuendas ea adhibiturum. (b) Adstruunt bonos

angelos, Dei utpote amore incensos, potestate concessa semper usuros ad homines de veritate Religionis christianæ persuadendos, & ad cultum verum Deo præstandum invitandos. (c.) Adserunt, quod si eodem tempore Viti cælitus missi, & Magi, id est Diaboli potentia armati, homines concurrerent, ita ut priores veritatem miraculis essent probaturi, posteriores mendacia tuituri, Deum pro infinita sua erga genus humanum bonitate & misericordia effecturum esse, ut multitudine miraculorum hi superarentur. Provocant eum in finem ad ea portenta, quæ in Ægypto patrata sunt a Mose & a Magis, qui Dei potentiam tandem se se manifeste exerere professi sunt. (d) Contendunt denique, eam esse cælestis doctrinæ præstantiam, ut sibi persuadere nulla ratione possint, Deum concessurum, ut homines pios & veritatis amantes falsis portentis in errores induci passurus sit; atque hoc ex eo confirmari ajunt, quod Christus ipse Evangelium probaturus & confirmaturus, ad miracula sua, tanquam ad certa testimonia divinæ suæ missionis & veritatis doctrinæ suæ provocaverit. Hinc & ipse J. *Clericus* veritatem Religionis christianæ probaturus, argumento a miraculis petito usus est, in *dissertatione, libello de causis Incredulitatis adjecto.* Excerpamus quædam nunc facientia: Postquam asseruisset, non minus a bonis Angelis quam vero a Deo patrari posse miracula: ita pergit pag. m. 412. *Quoi qu'il en soit, il importe peu de savoir, si c'est Dieu immediatement, qui a fait un miracle, ou si c'est un bon Ange, puisqu'il est constant, que les bons Anges ne font rien qui ne soit conforme à la volonté de Dieu, ou qui ne soit même une execution de ses ordres. Soit que Dieu agisse par lui-même, ou par un Ange, c'est la même chose à notre égard; puisque nous ne voyons ni la cause qui agit, ni la maniere dont elle opere. A l'égard de l'autre question, touchant la maniere de connoitre si un Miracle a été fait par un bon ou par un mauvais Ange, on peut dire quelque chose de plus positiv. La verité étant toûjours la même, elle ne se contredit point; c'est un principe clair pour tous ceux, qui ne sont pas Pyrrhoniens. Ainsi les miracles de Dieu & des bons Anges doivent toûjours tendre à confirmer ou à établir des doctrines conformes aux verités reconnues par la Revelation, ou par la raison; puis qu'il est certain, que Dieu & les bons Anges aiment toûjours la verité. Un mauvais Ange ne pouvant faire des miracles pour favoriser la verité & la vertu; tous ceux qui y contribuent doivent être comme venant d'un bon Principe. Un bon Ange ne pouvant au contraire agir en faveur du mensonge & du vice; tous les Miracles qui serviroient à l'un ou à l'autre, doivent passer pour des mira-*

miracles de mauvais Anges. C'eſt là une regle infaillible pour decouvrir par qu'elle ſorte d'Anges, un miracle auroit été fait, ſuppoſé que l'on ſût qu'un Ange ſeroit l'Autheur. Si l'on examine, par ce principe les Miracles de l'Evangile, on ne pourra pas douter, qu'ils n'ayent été faits par Dieu lui-même, ou par des bons Anges: parce que leur unique but eſt d'établir ou d'affermir la verité, & porter les hommes à la vertu. Cela eſt abſolument incompatible avec l'idée, que l'on peut ſe former d'une puiſſance, qui ſe plait à mal faire & à tromper les hommes. C'eſt auſſi ce que Jeſus faiſoit remarquer aux Phariſiens, qui l'accuſoient de chaſſer les Demons en vertu d'un pouvoir, qu'il en avoit reçu du Prince des Demons. Tout Royaume, dit il, diviſé contre lui-même ſera deſert: toute ville ou maiſon, diviſée contre elle-même ne ſubſiſtera point. Si Satan chaſſe Satan il eſt diviſé contre lui même; comme donc ſon Royaume ſubſiſteroit-il? C'eſt là une preuve convaincante de la Divinité des Miracles de Jeſus Chriſt & de ſes Apôtres contre les Juifs, qui ont eu l'extravange de les attribuer à une puiſſance maligne & ennemi de la vertu. Similia profert in notis ad Caput VII Exodi. *Lokius* in *Opuſculis poſthumis* pag. 227. ita loquitur. *Il eſt nullement vraiſemblable que Dieu veuille abandonner ſa prerogative, juſqu'à ſouffrir, que le ſceau & les enſeignes de ſon authorité divine ſoient uſurpé par quelqu'un qui n'eſt point envoyé de ſa part. Ces Enſeignes ſont les Miracles. Car des Evenemens ſurnaturels ſont l'unique moyen que Dieu s'eſt reſervé, du moins ſelon nos idées, pour aſſurer les hommes, entant que créatures raiſonables de la verité des choſes qu'il daigne leur revéler: & il ne peut en aucune façon permettre, que ce moyen ſoit à la diſpoſition des Etres qui lui ſont contraires.*

Ego vero non diffiteor hæc ita eſſe comparata, ut, ſi non in universum ab omnibus difficultatibus libera ſit Virorum horum doctorum ſententia, bono tamen fine eam ſuſceptam eſſe & defenſam facile largiar. Interim ſi argumenta argumentis confero, fateor mihi magis arridere eorum ſententiam, qui ſoli Deo proteſtatem præſtandi miracula vindicant; ut enim ſilentio tranſeam directa argumenta, quibus illi, qui huic ſententiæ ſubſcribunt, (neque enim hic data opera materiam de origine miraculorum tractare animus eſt) utuntur, plus Viri docti poteſtati Diaboli tribuunt, quam par eſt. Si a S. Litterarum auctoritate recedas, incerta ſunt omnia, quæ de potentia malorum ſpirituum narrantur. Si ad teſtimonia vero S. Litterarum provocatur, conſtabit quidem magna potentia inſtructum eſſe Diabolum: at inde nondum ita ratiocinari licet: Dæmones poſſunt multa facere, quæ vires humanas

nas superant: ergo Vim habent veri nominis miracula patrandi, & naturæ leges mutandi.

Magorum in Ægypto Exemplum tale est, quod fraudibus potius, quam Diaboli potentiæ attribui possit, quod nuper egregie post alios ostendit Celeb. *Heumannus* in dissertat. de *Thaumaturgis Egypti.* Dicitur Diabolus patrare τερατα ψευδες, i. e. fraudulentas artes; dicitur Princeps aëris; at qui corpora cælestia varia ratione ciere, & mira quadam ratione aërem vel condensare, vel dilatare potest, non statim est Thaumaturgus; Operatur in Filiis tenebrarum; sed non necesse est, ut id statim per miraculum fieri dicatur. Plura apud laudatos Auctores legi possunt.

(V.) Increduli, si veri amore sunt incensi, facere in hoc casu tenentur, quod in aliis negotiis Viri prudentes facere solent; nimirum debent inter duas sententias aliqua ex parte inter se discrepantes, eligere eam, quæ vero est simillima, nisi cum *Spinoza*, & ejus sectatoribus miracula inter τα ἀδυνατα referre velint. Utraque allatarum de origine miraculorum sententia tendit ad miraculorum veritatem non destruendam, sed vindicandam: Quod si igitur Increduli Deum miracula præstare posse credant; si non dubitent talia præstitisse Christum, testesque hujus rei esse fide dignos; si Christum saltem habeant pro magno Sanctoque Propheta: si persuadere sibi non possunt, Deum Sanctissimum & humani generis amantissimum ad tuenda mendacia sua potentia abusurum, neque Diabolum unquam de veritate confirmanda sollicitum fore; certum erit, miracula a Christo patrata divinæ esse originis; atque ita res in salvo erit, qualecunque tandem inter duo recensita de origine miraculorum systemata statuant discrimen. (*)

Sequitur nona objectio.

IX. Pergunt *Increduli atque dicunt, inter argumenta præcipua pro veritate & præstantia Religionis christianæ afferri solita, hoc non postremum esse: quod nimirum hæc religio in animos hominum incredibilem vim habeat; quod animos cupiditatibus captos mira luce perfundat & efficaciter convertat: Ex universa vero Christianorum vivendi ratione contrarium patere. Dari inter Christianos bonos & malos, imo malorum majorem esse turbam quam proborum. Idem obtinere inter omnes Gentes & inter ipsos Deistas.*

Ad hanc objectionem sequentia repono. Et (I.) quidem non dif-

(*) Vide pluribus de hac re agentem Clarissimum & Amicissimum *Vernetum* Professorem in Academia Genevensi Doctissimum Tractat. de Veritate Religionis Christianæ Tom. IV. Th. *Stakhouse* defensionem Religionis christ. *Sertum* ex vers. Cl. *Lemkeri* Cap. VIII.

diffitemur sed dolemus vehementer, raros esse Christianos, qui ad sanctissimæ disciplinæ normam vitam suam componant. Cæcus sit, negareque teneretur ea, quæ ante oculos posita sunt, qui hoc in dubium revocare vellet. Integris voluminibus tristem hanc sortem deplorarunt viri eruditione & pietate eminentes & pro viribus talia in medium produxerunt media, quæ homines, si saperent, & veram felicitatem quærerent, ab hac insania revocare possent. Lege duntaxat quæ de hoc argumento (ut de aliis multis nihil dicam) meditati sunt Viri Excellentissimi, οἱ νυν ἐν Ἁγιοις *Joh. Fridericus Osterwaldius* in libro optimæ frugis plenissimo, cui titulus: *Source de la Corruption* &c. & *Sam. Werenfelsius* in examine quæstionis: *Cur Incitamenta S. Scripturæ non plus efficaciæ habeant inter Christianos.*

(II.) Quando argumentum petimus ab efficacia Religionis christianæ ad probandam illius cœlestem originem, non hoc volumus, quasi nempe omnes promiscue homines, qui Religioni christianæ nomen dant, eamque publice profitentur, vim illius & efficaciam in animis suis statim experirentur: Sed hoc tantum significare volumus: Eam nimirum esse Religionis hujus indolem & naturam, tanta illi inesse ad pietatis studium excitandum præsidia & incitamenta, ut omnes, quot quot res omnes suo pretio æstimare sciunt, & sine affectibus de rebus ad Religionem spectantibus judicare solent, non possint non præstantiam illius Religionis cognoscere & quidem ita, ut seria illa contemplatione stimulos ad virtutem in animis suis excitari sentiant. Ex quo sequitur, requiri in hoc negotio animum docilem, veri cupidum, religionis amore tactum, animum denique paratum pro cognitionis modulo vitam suam ad hanc religionem exigendi. Sine hoc excellentissima religio & præcepta attentione dignissima nil valent. Hinc ipse S. Soter noster passim monet, eos demum vim & efficaciam suæ doctrinæ percepturos, qui serio sint de salute sua soliciti. Ita apud *Johannem cap.* III. v. 19. ait: Το φως ελήλυθεν εις τον κοσμον και ἠγαπησαν οι ἀνθρωποι μαλλον το σκότος ἠ το φῶς, ἠν γαρ πονηρὰ αὐτων τα ἐργα. Et cap. VII. v. 17. Ἐάν τις θέλῃ το Θελημα αὐτε ποιεῖν γνώσεται περι της διδαχῆς, ποτερον ἐκ τε Θεε ἐστιν, ἠ ἐγω ἀπ ἐμαυτὲ λαλω. Hinc non solum Excellentissimi Theologi sed & præstantissimi Philosophi affirmarunt, homines pravis studiis captos constrictosque, vim veritatis & præstantiam officiorum gravissimorum admittere non posse.

(III.) Manet igitur Religio christiana non obstante degenere Christianismo pura & intacta; manent illa ad pietatem Incentiva firma:

ma: suus huic Religioni constat & debetur honos. Neque ferrent Deistæ, si quis ex prava vivendi ratione quorundam hujus tribus colligeret, Theologiæ Naturalis principia propterea esse incerta, vel nulla plane inesse illis ad legem naturalem servandam incitamenta: Hinc ubi Theologi adserunt, Incredulos adfectuum duntaxat æstu impediri, quo minus Religioni christianæ nomen dent, eamque serio amplectantur, injuriam sibimetipsis fieri clamant.

(IV.) Inter Gentiles & Deistas dari homines, qui magis vel minus actiones suas secundum legem naturalem instituant, non negamus, quia lex illa homines ad officia legis, quatenus ea magis vel minus cognita est, præstanda impellere potest. At quæritur semper an non in Religione christiana fortiora & excellentiora reperiantur præsidia & incitamenta, quam in sola lege naturali. Aut nulla est plane Revelatio, aut si quæ est, quod nos Christiani contendimus, debet illa complecti majora ad pie vivendum principia, quam quæ sola ratione addiscuntur, quia hic potissimus Revelationis alicujus scopus esse debet. Quod si hoc est, uti id argumentis non contemnendis probant Christiani, Religioni christianæ suum manet decus.

(V.) Quando denique de degenere Christianismo loquimur, argumentamur, ut in Scholis loqui solemus, a *potiore*, neque existimamus omnes plane Christianos a pietate deviasse. Omnibus temporibus, primis præsertim post excessum Christi seculis (licet Christianos primorum temporum per omnia ad virtutis studium examussitatos fuisse non credamus) præstantia Religionis vim suam in plurimorum animis manifestavit. Neque hîc attendendum ad errores, quos parum cavet natura humana. Forte etiam plures inter pravos referuntur, qui tales non sunt. Sæpe hominem e fece plebis & rusticum deprehendas, qui sincere Deum pro cognitionis suæ modulo veneratur & colit magis, quam multi Eruditorum facere solent. Veri nominis Christiani sæpe in occulto latent, neque cum aliquo splendore in oculos incurrente conjuncta est eorum pietas. Quo ipso tamen magnitudinem mali late serpentis minuere nulla ratione volumus.

Exhibetur 1e, objectio.

X. Instant porro *Increduli, atque dicunt, multorum Veterum & recentiorum Theologorum judicio Gentiles virtuti pro viribus studentes salvos fieri potuisse; nihil igitur impedire, quo minus Deistæ, qui Theologiam naturalem sine mistura superstitionis admittunt, spem certam consequendæ salutis habere possint.* Respondemus; (I.) Verum est, nonsolum quosdam primitivæ Ecclesiæ Patres, sed & Theologos Romanæ & Reformatæ

matæ Ecclesiæ addictos existimasse, Gentiles luce revelationis destitutos, vitam tamen suam ad legis naturalis normam, quantum fragilitas humana patitur, componentes, a Deo misericorde salutis æternæ compotes esse factos, vel Christi infinito merito in gratiam fuisse receptos. Loca Veterum ac recentiorum ita sentientium collegit Cl. *de Beaumarchais* in dissertatione *de Virtute Gentilium*, quæ adjecta est *Nobilissimi Steele* libello, qui inscribitur: LE HEROS CHRETIEN, & Celeb. *Pfaffius* in dissertatione *de Luminis Naturæ ad salutem habitu*. De hac vero quæstione, quæ sæpissime ab Eruditis ventilata est, prolixe & data opera agere nolo. Si rationem solam audias, vix asseri potest, Deum æquitatis amantissimum, omnes prorsus homines revelationis luce destitutos licet pro cognitionis modulo virtutem sectati sint, æterno addicturum exitio. Infinita, ut præmiorum sic pœnarum etiam post hanc vitam erit diversitas. Judicis duntaxat omniscii est decernere, quantum quisque vires suas in cognoscenda religione eaque sectanda intenderit, & utrum sincere conscientiæ dictamen secutus sit. Hoc certum, Deum homines rationis duntaxat lucem sequentes, secundum præscripta legis Naturalis judicaturum, teste *Paulo ad Rom.* II. v. 11. seq. Curiosa magis quam utilis mihi semper visa est hæc quæstio, utrum nempe porta cælorum patens ita sit, ut nulli clausa sit honesto & virtutis amanti; an vero omnes Gentiles nullo habito honestarum actionum respectu, miseræ futuri sint orci victimæ. Quam enim tandem vel voluptatem vel utilitatem capimus ex eo, quod omnes Gentiles æternis tenebris addicendi sint, vel quidam eorum ita volente Deo benigna experturi sint post vitam hanc fata? Nemo certe Christianorum tam stultus erit, ut propterea, quod Gentiles quosdam salvari potuisse credat, Religioni christianæ nuntium sit missurus & in Gentilium castra transiturus. O quam misere se torquent aliquando Eruditi circa quasdam quæstiones, ad quas decidendas nulla plane tenentur lege! Quam rectius facerent, si implorato auxilio divino, omnes nervos intenderent, ut ipsimet potius certam & immotam consequendæ salutis spem haberent, quam ut qualem alii experturi sint post vitæ hujus exitum sortem anxie deliberarent.

(II.) Quicquid vero statuas de Gentilium quorundam vel salute vel exitio, id parum prodest Deistis nostri temporis; quod si enim, quod Christiani contendunt, adest Revelatio divina, quæ certam ad felicitatem perveniendi viam monstrat, huic non alii est insistendum. Atqui S. Litteræ aperte declarant, sine Christo ejusque merito, spem

salutis

salutis nullam esse *Act.* IV. v. 12. requiri igitur apertam hujus persuasionis confessionem. Omnes, qui post Christi ascensionem Religionem Christianam amplexi sunt, uno ore id professi sunt. Novi quosdam Eruditos Interpretes existimare, loca illa *Act.* IV. &c.: in quibus gentiles spe salutis consequendæ excluduntur, ad eos tantum spectare, ad quos lux Evangelii pervenit, quidem, sed qui tenebras magis amarunt, quam lucem. (*) Concedamus hoc per tempus & nil lucrabuntur Increduli. Dico enim eandem esse rationem Deistarum nostri Seculi, quæ fuerat Gentilium & Judæorum tempore Christi & Apostolorum viventium. Deistæ v. gr. in Anglia viventes, libertatem habent Religionem christianam expendendi: Adsunt omnia præsidia, quæ ad accuratum examen instituendum facere possunt: Litteratissimorum & Doctissimorum Virorum, qui de hoc argumento egerunt, prostant libri; adsunt Viri, qui in scientiis philosophicis consenuerunt, qui plane egregiis argumentis veritatem & divinam originem Religionis christianæ probarunt. Non postulatur ab Incredulis, qui examine facto Religionem christianam amplexari gestirent, ut omnibus minutis quæstioni-

(*) Inter recentiores Theologos Protestantium cœtui addictos hanc sententiam defendit Celeb. *Pfaffius* loco jam jam citato. Juvat unum alterumve quod hûc faciat, ex ea excerpere Sect. IV. Thesis II. ita sonat: *Gentiles ob incredulitatem damnatum ivi obque rejectum Evangelium .. quod ipsis haud prædicatum fuit, & ad cujus cognitionem moraliter pervenire non potuere justitiæ divinæ contrarium est. Vide Rom. X. 18. Joh. XV 22. &c. Fideles V. Testamenti omnes, maxime eos qui cap.* XI *Epistolæ ad Hebræos memorantur, explicitam de Messia notitiam habuisse argumentis invictis demonstrari nequit. Provocamus ad cujusvis conscientiam, qui sine partium studio rem investigat. Quid opus quæso est torturis Theologicis hic indulgere?* Thes IV. *Falsum est, opera gentilium esse mera peccata. Ipse Augustinus qui duram hanc φρασιν subinde adhibet, alibi contrarium eloquitur.* Thes. IX. *Dicta ista quæ communiter pro astruenda certa Gentilium damnatione allegantur* Genes. VII 5 VIII 21 *Ephes. II. 1. seq. IV. 17. Tit. I, 15. 19. &c. Non eum Gentilium statum describunt in quo secundum Naturæ lumen vivunt, sed ubi a lumine naturæ deviant, adeoque ad nostrum controversiæ statum determinandum definiendumque nihil aut parum faciunt.* Thes. XVI. *Cum innumeri futuri sint felicitatis & pœnarum gradus Deusque singulis pro cujusque operibus redditurus sit, facile patet qui Deus Gentiles olim, qui pro viribus legem Naturæ observavere & juxta mensuram luminis sui vixere, tractaturus sit.* Thes. XVI. *Quæstio de salute Gentilium cum problematica sit, atque eos prorsus non tangat, quibus Evangelium annuntiatum & fides in Christum explicita absolute necessaria est, cum & eadem in confessionibus nostris libris que symbolicis data opera definita haud sit, patet eos ab omni hæretificinæ crimine haud excusari posse, qui hic in dissentientes anathematismis sævunt. Cætera æternitati reservanda. Quemadmodum enim in dramatibus quæcunque intricata & perplexa sunt in ultimo demum actu plenius explicantur, ita quicquid nobis hic negotium facessit, ultimæ diei, id quod egregie a sapiente quodam (του Μακαριτου Cl. Turrettinum intelligit) monitum videmus, lux expediet, atque ita profecto expediet, ut miraturi simus qui in tanta rerum claritate tantopere cæcutire potuerimus,*

ſtionibus, quæ in his vel illis Theologiæ Syſtematibus reperiuntur, ſubſcribant, ſed ut ea primo admittant, quæ ſunt in religione prima, hocque demum facto ad particulares propoſitiones examinandas animos adjungant; Cum vero has æquiſſimas regulas repudient & Chriſtianæ Religioni nuntium mittant, non poſſumus aliter de iis judicare, quam prout Chriſtus & Apoſtoli de Judæis & Gentilibus, Religionem Chriſtianam oblatam repudiantibus, pronuntiarunt, nempe tales ſpe conſequendæ ſalutis excidiſſe. Si enim Revelatio, ut verum eſt, data eſt, ad homines per certa & indubitata media ad veram & æternam ſalutem conſequendam ducendos, ipſimet viderint, quid a Chriſto ſalutis auctore ſibimetipſis promittere poſſint. Non quæritur hîc de leviore aliquo errore, ſed de contemtu univerſæ Religionis chriſtianæ. Dicent forte neminem teneri, ut plura credat, quam id requirant perſuaſionis gradus animos ad credendum vel non credendum inclinantes: Recte quidem hoc adſeritur: at quæritur, ſi non ad demonſtrationem mathematicam, ad maximum tamen probabilitatis gradum evehi poſſit veritas Religionis chriſtianæ. Pono jam quidem mihi rem eſſe cum Deiſtis litteratis & artis ratiocinandi peritis. Exponenda mihi erit cauſa, quare homines illi poſſint eſſe perſuaſi de veritate rerum a *Cæſare* & *Cicerone* geſtarum, & utriuſque mortis genere, non item de veritate crucifixionis & Reſurrectionis Jeſu Chriſti. Viri ſapientiſſimi, quid ad demonſtrationem hiſtoricam requiratur, doctiſſime diſſeruerunt. Aut igitur dicere debent Increduli noſtri, ſe eas regulas non intelligere; aut eas falſas eſſe, aut eas tandem facto huic, id eſt veritati Reſurrectionis Chriſti applicari non poſſe. *Primum* vix concedent homines acumine quodam ingenii inſtructi. Falſas eas regulas eſſe admittere non poterunt, niſi omnem plane ratiocinandi artem, & cognitionis omnis humanæ principia ſubvertere velint. At neque hoc cum aliqua veri ſpecie tueri poſſunt, partim quia ipſimet quando de his vel illis geſtis rebus ratiocinantur, iiſdem regulis utuntur: partim quia veritatem Reſurrectionis Jeſu Chriſti impugnaturi regulis hiſce neceſſario opus habent. Quod ad tertium tandem ſpectat, vellem ego ab his hominibus edoceri, cur non æque regulæ illæ valeant, quando quæritur, utrum Chriſtus ſit cruci affixus & poſtmodum in vitam revocatus, quam ubi diſquiritur, utrum *Socrates* veneno perierit, vel *J. Cæſar* in curia gladiis transfoſſus. Sane niſi pro certo ponant, Deum mortuum in vitam revocare non poſſe, cauſam non video, cur regulæ de fide hiſtorica, ubi agitur de veritate Reſurrectio-

nis J. Christi nihil valeant. Forte quidam eo progredientur audaciæ, ut dicant, ne quidem dignam esse Revelationem examine. Quod si huc devenerint, indigni sunt quibuscum conferatur. Ridiculus ab omnibus haberetur, qui systema aliquod philosophiæ rejecturus esset eam ob causam, quod nimirum a se impetrare non possit, ut id accurato subjiciat examini. Et quis in posterum credat, ejus commatis homines, post rigidissimum demum institutum examen Theologiæ Naturalis singula capita admisisse? Quod profanis in universum omnibus, id ego incredulis in specie hæc objicientibus dictum volo, quod de hoc argumento monuit Celeb. *Werenfelsius* ὁ νυν ἐν Ἁγιοις in dissertat. *de Securitate Carnali* pag. m. 415. *Forte* (inquit) *quidam profani, ut sæpe homines isti sunt stulte audaces, dicent, ista quæ Evangelium docet, tam aperte ridicula esse, ut ne quidem ad examen revocari mereantur. Sed quid? annon examinari merentur, quæ a tot hominum myriadibus, inter quos plurimi fuerunt his audaculis longe doctiores, sapientiores, perspicaciores, sunt credita: propter quæ tot confessores constanter omnibus vitæ commodis, honoribus & voluptatibus renuntiarunt, seque innumeris malis objecerunt: propter quæ tot martyres dirissima tormenta & supplicia pertulerunt: propter quæ tot Gentes & nationes pristinis suis opinionibus & cultibus, quo nihil difficilius abjici solet, nuntium miserunt? Annon examinari merentur tot vaticinia Veterum Prophetarum, quæ tempore Jesu Christi & Apostolorum dicuntur impleta: Vaticinia a Jesu Christo ipso & Apostolis edita? Non examinari tot miracula, quæ ab his patrata dicuntur, una cum omnibus circumstantiis relata, ipsis illis temporibus, & in ipsis locis, quibus contigisse dicuntur, a tot hominibus credita; a Viris tam probis in speciem, tam piis & candidis; tanquam a se ipsis visa, & comperta, constanter narrata? Annon examen meretur veritas resurrectionis Jesu Christi, triduo ante publice crucifixi & mortui; quem omnes ejus discipuli se suis oculis e mortuis excitatum vidisse testati sunt, hujusque testimonii veritatem in ejus, qui resurrexit, gratiam, omnibus renuntiando, ei se totos devovendo denique crudelissima quæque patiendo, suoque testimonio immoriendo, confirmarunt? Annon examinari merentur tot mirabilia, quæ in initio prædicationis Evangelii, in Judæorum & tot Gentium ad Evangelium conversione evenisse narrantur? Annon denique, antequam Religionem christianam rejiciamus, inquiri operæ pretium est, quomodo & quando ista Religio in mundum venerit; quibus modis brevissimo tempore tot hominibus & Gentibus fuerit persuasa: quomodo per universum orbem propagata: quomodo ad hunc usque diem conservata? Hæc & alia, quæ*

huc

huc pertinent, ab omnibus iis, quibus Evangelium prædicatum est, saltem serio considerari, expendi & examinari merentur, antequam tam audacter statuant, Evangelium nil nisi fabulam esse; & hoc suo judicio firmiter nitentes, omnem spem æternæ felicitatis, omnemque æternæ miseriæ metum abjiciant & secure in sua impietate indormiscant. Ita eximius ille Theologus.

(III) Minus circumspecte & parum prudenter mihi agere videntur Increduli, qui propter auctoritatem Virorum doctorum, quibusdam inter Gentiles Salutem adjudicantium, repudiata revelatione certam fiduciam sibi arripiunt consequendæ salutis, cum hæc Virorum doctorum benigna judicia, extra omnem dubitationis aleam posita non sint. Revelatio certo promittit vere piis felicitatem æternum duraturam. Hac promissione vero inniti non possunt Christianæ disciplinæ alumni, nisi ea credant, quæ per Evangelium Jesu Christi patefacta sunt, vitamque ad normam Evangelii componant. Jam vero multi Incredulorum Religionem christianam examinare nolunt; nolunt doctissimorum inter Christianos Virorum rationes, quibus ad eam confirmandam utuntur, rite expendere & argumenta cum argumentis conferre: Hoc vero dum sunt in statu videant, qua ratione statuere possint, Deum ipsis propitium fore. Quod si vero quidam huic societati addicti dicant, se ἀθεϱ παθων adhibita omni attentione & ingenii vi Revelationem diligenter examinasse, omnia argumenta, quæ pro veritate Religionis christianæ a Viris doctissimis & acutissimis allata sunt, expendisse; responsiones cum objectionibus solerter contulisse, neque tamen ea luce fuisse perfusos, ut cum plena persuasione Religioni christianæ tanquam divinæ subscribere possint: tum vero ego eos, qui ita loquuntur, Deo, qui omnes mentium humanarum recessus & angulos perspectos habet, permitto. At velim probe attendant, utrum nihil anticipatis opinionibus dederint; & utrum nihil affectibus concesserint: num denique omnia, omnia inquam argumenta Excellentissimorum Virorum, qui ad probandam hanc veritatem omnes ingenii nervos intenderunt, rite excusserint. Multorum certe, qui in hac tribu sunt exempla, nos addubitare faciunt de sinceritate hujus confessionis.

XI. Sunt ex numero horum hominum qui dicant, *se se cætibus Christianorum lubentes adjuncturos, & Religionem christianam amplexuros esse, si ea bodienum miraculis confirmaretur; necesse esse ut talia præstentur propter Gentiles, Judæos & Deistas ipsos. Hoc vero cum non fiat,* In medium profertur undecima objectio Incredulorum.

mirum non esse, si ipsimet addubitare occipiant de veritate miraculorum, quæ in V. & Novo Testamento sint relata, præsertim cum omnibus seculis rumores hinc inde sparsi sint de quibusdam miraculis, quæ tamen ab ipsis Christianis in dubium vocentur; accedere, quod propter longinquitatem temporum, quibus miracula Mosis & Christi contigisse dicantur, multum roboris decedat tali persuasioni.

Sequentia ad hanc objectionem monemus. Et (I.) quidem quærendum ab iis, qui talia objiciunt, utrum credant miracula, quæ Christo & Apostolis in N. Testamento attribuuntur, vere gesta esse, nec ne: Si illa facta fuisse negant, vel id fit, quod negent talia fieri posse, vel quia testes horum miraculorum pro Impostoribus habent, quibus nulla haberi possit fides. Sive prius sive posterius affirment, actum est cum veritate miraculorum Christi & frustra quæritur de confirmanda doctrina, meris imposturis superstructa. Si vero ea vere gesta esse existiment, argumenta sunt adferenda, quibus probetur, fidem miraculorum a Christo & Apostolis patratorum labefactari, propterea, quod eadem hodie non repetuntur.

(II.) Quod si nos sufficientes rationes adducere non possemus, cur hodie Deus ad religionem probandam vel confirmandam nulla edat miracula, non tamen jam factorum propterea auctoritas tolleretur. Multa olim gesta sunt, quæ hodie fieri non solent. Multa fiunt in hoc universo, quorum causæ nos latent. Admittunt Adversarii Providentiam divinam & adserunt, Deum æquissimum, justissimum, & sanctissimum esse; interim tamen rationes sufficientes omni ex parte reddere non possunt, cur Deus tot mala, pestes, orphanorum & optimorum Virorum oppressiones, tot funesta bella, quibus nocentes cum innocentibus puniuntur, permittat, neque insolita quadam ratione per miracula impediat. Hoc tamen non obstat, quominus ipsimet credant, Deum rerum humanarum curam gerere. Idem dicendum de miraculis: posset Deus, si vellet, talia hodie præstare; forte etiam multorum respectu haberent ea suum usum: necesse igitur est Deum habere sapientissimas suas rationes, quare ea non faciat.

(III.) Si dispiciamus in quorum hominum gratiam hæc miracula præstanda sint, manifestum ex parte erit, ea hodie non tam necessaria esse, ac hi homines existimant. Dicunt *primo* hæc miracula præstanda esse propter Gentiles. At quam prope innumerus numerus esse deberet Legatorum Christi, qui in Asia, Africa, & America Evangelium Christi annuntiarent? deinde, antequam miraculis confirma-

firmaretur prius nota illis esse deberet revelatio: proponenda esset hæc revelatio lingua singulis populis vernacula. Tandem experientia certa constat, multos Gentilium ad fidem habendam Religioni christianæ adductos fuisse sine miraculis. Ad eos tantum provoco viros, qui inter *Malabaros* inde a 40 annis, Evangelii doctrinam non sine successu insigni & quidem sine novis miraculis annuntiarunt. Hoc cum fieri possit, quid opus est miraculis? Quod ad judæos spectat, notum est eos historiam ipsam Evangelistarum, & Apostolorum fidem impugnare, propudiosas de Christi origine fabulas, quibus ne colorem quidem veri conciliare possunt, narrare: ἀυτενθίαν Librorum N. Testamenti in dubium vocare, licet non alias ad Libros Veteris Testamenti probandos rationes adducere possint, quam quibus Christiani Canonem librorum N. Testamenti adstruere solent. Miracula Christi Jesu negant, simul tamen firmiter credunt, a Mose gesta esse miracula. Antequam vero recutiti talia admittant, quid necesse est ut Deus in horum gratiam miracula edat? Ergo tandem vel in gratiam Christianorum, qui Religionem christianam pro divina habent, nova miracula proferenda, vel ad convertendos Incredulos essent præstanda. At veri nominis Christiani tam certo credunt facta fuisse ea, quæ in S. Litteris narrantur miracula, ac si ea suis conspexissent oculis. Quod ad *Deistas* spectat, testimoniis fide dignissimorum hominum, discipulorum nempe Jesu Christi vacivas dare nolunt aures; eos pro hominibus credulis & fanaticis habent; id quod in disciplina Christiana præcipuum est, albis dentibus rident; Ea quæ de internis operationibus Spiritus S. in animis hominum scriptores Sacri narrant, corrupto eorum tribuunt cerebro; quam ergo tandem vim haberent miracula in animos hominum ita animatorum? An confirmari potest per miraculum Deista, qui repudiat doctrinam, ad quam probandam miraculum adhibetur? Examinanda ergo primum esset ab his hominibus ipsa doctrina Christi & Apostolorum; & expendenda argumenta historica quibus ipsa rerum gestarum historia nititur; Hoc qui facere nolunt frustra requirunt miracula. Recte huc faciunt, quæ ad hanc objectionem monuit Vir *Celeb. Joh. Clericus* in libello de *causis Incredulitatis* Part. II. Cap. VI. pag. 293. *Il faut remarquer* (inquit) *que pour être en droit de demander à la bonté de Dieu de nouveaux miracles, il faudroit avoir fait un bon usage des moyens que l'on a de reconnoitre la vérité, desorte qu'après un examen exact & sincere, on ne se trouvât pas satisfait, sans que cela vînt de la faute de ceux qui douteroient encore.*

En ce cas-là on pourroit dire, que Dieu seroit en quelque sorte obligé par sa bonté de subvenir à l'Incredulité, ou l'on seroit. Ainsi ceux, qui avoient fait un bon usage de la revelation de l'Ancien Testament, & qui pouvoient douter de la Mission de Jesus-Christ & de ses Apôtres non pas par opiniâtreté, mais parce que les preuves leur en étoient inconnuës, ne les ayant encore pû savoir, furent favorisés du ciel de quantité de miracles, du tems de nôtre Seigneur. Mais supposons qu'il y ait des gens dans une disposition toute contraire; qu'ils s'acquittent mal des devoirs, que les seules lumieres de la raison nous apprennent; qu'ils n'ayent aucun amour pour la verité; qu'ils soient entêtés de mille préjugés mal fondés, & aveuglés par leurs passions dereglées; qu'ils n'ayent rien examiné, & que par un desordre volontaire de l'esprit & du cœur, ils doutent de tout. Ces gens-là peuvent-ils se plaindre, de ce que Dieu ne fait pas des miracles en leur faveur? Oseroient ils dire que l'abus qu'ils ont fait de toutes les graces, qu'ils en ont reçuës les rend dignes de nouveaux bienfaits? Si les Incredules d'aujourd'hui prennent la peine de s'examiner eux-mêmes sur ce portrait, ils trouveront facilement la reponse, que nous leur pourrions faire.

(IV.) Ex Evangelica Historia & scriptis Apostolorum manifestum est, miraculis stupendis ante oculos positis, iisque frequentissimis, Incredulitatem non fuisse semper expugnatam. Judæi non obstantibus miraculis Christi, ad quæ ipsemet provocaverat, tanquam ad certissimum divinæ suæ missionis signum, doctrinam Christianam repudiabant, imo quidam Pharisæorum eo usque malitiæ pervenerunt, ut miracula malorum spirituum opera fieri blaspheme assererent. Quod si in causas hujus rei inquirimus, manifestum erit, id non propterea factum, quod miracula fieri non posse sibi persuaderent, vel existimarent, ea naturalibus causis tribui posse; sed obstabant præjudicatæ opiniones, novellæ S. Litterarum Interpretationes, traditiones, Magistrorum auctoritas, intolleranda superbia, aliaque, quæ impediebant, quominus doctrinam ipsam Christi rite expenderent. Multi recentiorum Incredulorum ipsam Christi rite expenderent. Multi recentiorum Incredulorum nonsolum Mysteria & quæ his superstructa sunt Evangelii præcepta rejiciunt; sed & miracula nil ponderis habere ajunt, ad hominem sapientem commovendum. Vide passim ita differuentem *Autorem Religionis Essentialis.* Quid igitur effectura essent nova illa miracula? percellerent forte quorundam animos; at in eorum animos, quibus ipsa doctrina Christiana displicet, parum valerent.

(V.) Alia ratio erat temporum, quibus Christus & Apostoli vive-

vivebant, alia noſtrorum. Sive enim ad ſtatum Judæorum ſive ad conditionem Gentilium reſpiciamus, patebit, cur tum temporis miracula neceſſaria & proficua valde eſſent. Nimirum Judæis a Deo promiſſum erat, *Deut.* cap. XVIII. venturum magnum Prophetam Moſi ſimilem. At Moſes non ſolum erat Propheta & Legislator, ſed & Θαυματεργος. Neceſſe igitur erat, ut Chriſtus miraculis & quidem excellentioribus & frequentioribus, quam quæ præſtiterat Moſes, demonſtraret, ſe ſe eſſe illum promiſſum Meſſiam. Capitalis enim ille articulus contra omnes ſtrophas Judæorum erat in tuto collocandus. Tempus advenerat, quo ſenſim ſenſimque cæremoniæ erant abolendæ, Deusque in ſpiritu erat adorandus. Opiniones de vero Meſſia valde erant in hac gente corruptæ, parum igitur profeciſſent monita duntaxat Chriſti & præcepta; majus aliquid erat in medium proferendum, quod ne ipſi quidem Judæi ſua ſequentes principia inficiari poſſent, nimirum Miracula. Quod ſi enim Jeſus noſter talia non perpetraſſet, Judæi animos ſuos ad audiendam Chriſti doctrinam non convertiſſent, ſed ſemper clamaſſent, *Moſen*, *Moſen* miraculis illuſtrem fuiſſe, non item Chriſtum. Ex quo patet, neceſſe fuiſſe, ut ipſemet doctrinam ſuam miraculis confirmaret. Gentiles omni plane revelatione deſtituti, ſola doctrinæ Chriſtianæ præcellentia ad eam amplectendam non fuiſſent inducti, ſed Chriſtum duntaxat pro novo aliquo Philoſopho habuiſſent. Viſis autem tot miraculis animi ad attentionem commovebantur, ita quidem, ut primis ſeculis longe plurimi in caſtra Chriſtianorum tranſirent.

(IV.) Increduli haud ignorant, dari inter Chriſtianos *Viros* eruditione & ingenii acumine eminentes; *Viros* in iis ſcientiis verſatos, quæ exquiſitam ingenii aciem requirunt: *Viros* ab omni ſuperſtitionis ſpecie alieniſſimos; *Viros*, qui nihil ſine rigidiſſimo examine admittere ſolent; *Viros* veritatis amantiſſimos; *Viros* denique, qui abſque metu perſecutionis, Deiſtarum, ſi vellent, principia ſequi poſſent. Hi tamen de veritate Religionis chriſtianæ & divina origine miraculorum a Chriſto præſtitorum non minus ſunt perſuaſi, quam de aliis certiſſimis veritatibus ad religionem non ſpectantibus. His ſufficiunt miracula olim præſtita, nec nova requirunt; Oſtendendum ergo Incredulis antequam ad nova miracula provocent, aut fictam eſſe hanc perſuaſionem & impoſſibilem; aut aperiundæ cauſæ hujus, ut putant, credulitatis, aut veram tandem hanc perſuaſionem eſſe confiteri tenentur. Fictam hanc perſuaſionem eſſe, quomodo probaturi ſint, neſcio;

neſcio

neſcio an non humanitati & æquitati omni repugnet, Viris eruditis & probis publice aliquam veritatem profitentibus, fidem omnem denegare velle. Si quis diceret Deiſtas, qui ſe ſincere omnibus Theologiæ Naturalis capitibus ſubſcribere adſerunt, puros putos Atheos eſſe, & religionem omnem pro fabula habere, ſat ſcio eos injuriam ſibi fieri acerbis verbis ſignificaturos. At forte impoſſibile eſt, ut hæc perſuaſio vera eſſe poſſit; at quomodo hoc probabunt? aut oſtendendum nullam dari fidem hiſtoricam; aut Deum non poſſe facere miraculum: neutrum autem, quantumcunque ingenii aciem intendant, probare poterunt. Confugiendum igitur erit ad alias cauſas. Forte dicent, Educationi & inſtitutioni hanc perſuaſionem deberi, ſed unde rurſus hoc probabunt? Concedimus, multos e plebe, imo ſæpiſſime etiam homines doctos antecedentium turbam ſequi, & iis, quæ juvenes didicere, tanquam ſaxo adhæreſcere. At num inde colligi poteſt, neminem plane examen religionis inſtituere, & certis articulis pleno animi aſſenſu ſubſcribere poſſe? Num credibile, homines, qui nulli labori parcunt in examinandis his vel illis ſcientiarum partibus, Religionem ſine omni examine amplexuros? Pone v. gr. *Dittonum* juvenem inter alia etiam didiciſſe, Chriſti doctrinam miraculis fuiſſe confirmatam, num propterea ulla cum ſpecie veri dici poteſt, eum methodum hanc veritatem demonſtrandi, ſine accuratiſſimo examine & meditatione didiciſſe? magna, verum eſt, educationis & inſtitutionis primæ vis eſt & efficacia. At ſuperari poſſe opiniones veluti cum lacte materno hauſtas, quotidiana docet experientia. Nullam igitur cauſam eſſe video, cur Increduli aſſerant, de veritate miraculorum a Chriſto olim patratorum, Viros veri amantes non poſſe eſſe vere perſuaſos convictoſque. Quod ſi vero adhibito accurato examine & meditatione, homines veri amantes hanc veritatem probe intelligere & admittere poſſunt, quid tandem opus eſt perpetuis miraculis?

(VII) Qui ad nova provocant miracula, aut poſtulant ut Deus vel ſingulis diebus vel annis ſaltem, per Legatos divinitus miſſos miracula edat, aut ſaltem intra ſpatium centum annorum, & quidem mox in his, mox in illis orbis partibus, ubi chriſtiana Religio nota eſt, talia manifeſta faciat; ſi prius fieret, parum ad ea homines attenderent; quod enim cottidie fieri ſolet, parum homines curant, ſed leviter tranſmittunt. Qui cœlum, terram innumeris frugibus artificioſiſſime contextis fætam, animantia omnis generis &c. contemplantur, Dei omnipotentiam, ſapientiam & bonitatem manibus quaſi palpare poſſunt.

sunt. At quam pauci sunt, qui ad hæc attendant! Quin idem eveniret, si cottidie miracula occurrerent dubium non est. Quod si per intervalla temporum v. gr. quovis seculo duntaxat recurrente, talia fierent, rediret eadem quæstio; interrogarent enim homines, qui intra spatium hujus temporis mortui sunt, cur miracula sua ætate facta non fuerint? Supra dixeramus, in gratiam Incredulorum Deum miracula non facturum. In Christianorum vero gratiam, qui miraculis J. Christi fidem habent ut fiant nova, necesse non est. Multis in locis, ubi Religio christiana quidem floret, sed multis fabulis & superstitione tetra est obscurata, nova miracula parum valerent, partim quod singulis fere annis ad horum vel illorum sanctorum auctoritatem confirmandam miracula patrari dicantur; partim quod credula plebs, omnesque qui puram castamque Christi & Apostolorum doctrinam non sequuntur, grassantemque superstitionem taxari nollent, vacivas aures miraculis præbituri non essent, opinantes eorum Auctores id unum agere, ut avitæ religioni nuntium mittant.

(VIII.) Quod denique quidam dicant, miraculis illis, quæ patrata dicuntur a Christo & Apostolis, ob antiquitatem temporum, decedere fidem frivolum est. Novi quidem Eruditum quendam *Anglum*, (*) per calculos probare voluisse, quo tempore omnis persuasio de Religionis christianæ Veritate defitura sit. At hunc vel ipsa confundit experientia. Viri enim doctissimi & celeberrimi, res antiquissimis temporibus gestas, non minus fide dignis testimoniis probarunt, & adhuc probant quam res ante centum annos gestas. De illis nemo dubitat nisi forsan *Harduinus* aliquis. *Socrates* 500. annis ante Christum vixerat, & tamen nemo de tragica ipsius morte dubitat. In hac vero controversia monendum, non hîc sermonem esse de singulis rei gestæ circumstantiis, sed de summa rerum. Ita licet forte Illi, qui res gestas *Alexandri M. scripserunt*, multa adjecerint & in majus extulerint res a tanto Rege gestas, nemo tamen propterea dubitabit, quin *Alexander Darium Persarum Regem* vicerit, & universam Persarum Monarchiam in suam potestatem redegerit: similium similis est ratio. Denique cum per calculos algebraicos historia rei factæ probari non possit, sed per plurimorum probabilium concursum, manifestum est, mathematicis etiam rationibus decidi non posse, quamdiu firma in

(*) Is est Joh. *Craig* in libro, cui titulus: *Theologiæ Christianæ principia mathematica.* Vide quæ contra ipsius sententiam disputavit Celeb. *Ditton* de veritate resurrectionis J. Christi Lib. II. propos. XVI.

animis hominum futura sit persuasio de veritate rerum gestarum. Omnia redeunt (postquam res ipsa, quæ narratur, pro possibili habetur) ad testium qualitatem & quantitatem; Horum auctoritas si extra dubitationis aleam posita est, omnia, quæ ad eliciendum assensum facere possunt adsunt. Sic non magis dubitant Viri veri amantes utrum *Socrates* veneno, *Cæsar* ferro interierit, quam vero utrum *Zwinglius* in clade Cappellana trucidatus fuerit. Non igitur ipsius temporis vel longinquitas, vel novitas, quam vero testium numerus & qualitas efficiunt, ut in animis hominum veritas rerum gestarum altas agat radices. Ubi hi desunt, nostra licet ætate id factum dicatur, fides vacillat. Verum est animum magis impelli, ad aliquid credendum, ubi res ipsa oculis spectanda exhibetur; At cum Historia sit rerum a nobis non visarum attentione digna narratio, omnis historica fides evanesceret, si ad eam ipse requireretur conspectus. Cum vero de firmitate hujus persuasionis loquimur, hoc simul postulamus, ut animus ad omnes relationis historicæ circumstantias attendat, & ut pro minoribus vel majoribus probabilitatis gradibus, tanquam totidem ponderibus lanci impositis, adsensum suum moderetur. Putamus autem fidem historicam de resurrectione J. Christi & ejus miraculis, tot gradibus verisimilitudinis esse instructam, quantum necesse est ad assensum illi præbendum. His adductis argumentis, confirmationis loco dici potest, quod Atheus, creationem rerum omnium, humani autem generis originem in specie inficiaturus, eodem argumento, quo utuntur Increduli, miraculorum olim factorum fidem impugnaturi, uti possit: argumentum illud attulit *Doctissimus* & *Amicissimus Vernetus* in tractatu de *veritate Religionis Christianæ Sect.* VII. *cap.* XXV. *Que diroient* (inquit) *les Deïstes, qui font profession avec nous, d'adorer un Dieu Créateur du monde & Autheur du genre humain, si quelcun plus incredule qu'eux, comme seroit un Athée ou un Pyrrhonien disoit: Je ne puis croire, que l'Univers ait été crée, ni qu'il y ait un premier homme, tige de tous les autres, & immediatement sorti des mains de Dieu, parce qu'on ne voit rien arriver de semblable aujourd'hui. Tous les animaux naissent par génération, & tous les corps se forment d'une matiére préexistente & avec un artifice mechanique. Pourquoi la Puissance divine ne crée-t-elle plus rien de nouveau! Pourquoi ne sort-il plus d'hommes du limon, & pourquoi ne voit-on plus éclorre de nouveaux Astres, ni de nouvelles espéces de bêtes, afin que nous puissions croire ce qu'on nous dit de l'origine du monde. Si quelcun raisonoit ainsi, un vrai Deïste (par ou j'entens*

tens un defenseur de la Religion naturelle) ne manqueroit pas de lui repondre à peu près de cette maniére : Plusieurs raisons nous font comprendre que le monde est l'ouvrage de Dieu, & vous devez acquiescer à ces raisons, sans chercher les difficultés sur ce que Dieu ne fait rien de pareil aujourd'hui. La necessité de créer n'est plus la même. Il faloit un miracle pour former l'Univers & pour monter la machine, comme nous la voyons. Mais cela étant fait, il suffit que Dieu maintienne les Loix qu'il a établies & qu'il conserve son Ouvrage par des voies ordinaires. En demander d'avantage, ce seroit une témerité & une indiscrétion, puisque la nature de la chose ne le requiert pas. Cette reponse, qui seroit fort juste dans la bouche du Deïste, sera aussi la nôtre. Comme Dieu, après avoir crée le monde, se contente de l'entretenir & le gouverner par sa Providence ordinaire; Aussi nôtre Seigneur, après avoir fondé son Eglise, par des moyens surnaturels, n'employe pour la soûtenir que des moyens ordinaires, & proportionnés à l'état commun de l'humanité.

Affertur duodecima Incredulorum objectio.

VII. Alii ex hac tribu ita ratiocinari solent: *Nimirum dicunt, Theologos Christianos, postquam Ethicæ Christianæ præstantiam satis laudibus extulissent, fateri tamen debere, neminem præcepta J. Christi rite observare posse, & propterea contendere, ad perfectissimum Christi meritum confugiendum esse : Deistas pariter fateri, neminem exacte Juris Naturæ præcepta custodire posse, atque adeo ipsos ad misericordiam divinam, tanquam ad sacrum quoddam asylum recurrere, neque dubium esse, quin Deus generis humani cupidissimus & imbecillitatis naturæ humanæ probe conscius, peccata, quæ parum cavet natura humana benigne sit remissurus : Ex quo constet, Deistas cum Christianis in summa rerum convenire, neque adeo necesse esse, ut Religioni christianæ nomen dent.*

Respondemus. (I.) Ethicam Christianam non sine causa laudant & extollunt Christiani, quandoquidem præcepta continet longe excellentiora iis, quæ sola ratio & philosophia suppeditat. Hoc vero cum prolixe & data opera demonstrarint Viri docti, pluribus non excutiam.

(II.) Non asserimus, præcepta divina præstitu plane esse impossibilia; (*) ita enim eorum vim obligandi penitus tolleremus; sed

(*) *Quo ipso tamen negare nolumus, multos Theologos & V. D. Ministros sæpe de hoc argumento tam perplexe & duriter loqui, ut putes, homines omnes alienis nervis mobili ligno similes esse, nullis incitamentis & argumentis ad virtutis amorem pertrahendos, qua re fieri solet, ut homines ad vitia proclives in securitatem carnalem incidant. Hinc sæpe audias nequissimos homines suorum officiorum commonefactos, ad impo-*

dicimus, ea accedente divino auxilio obſervari poſſe; Hoc vero auxilium ſecundum Chriſtianorum ſententiam, datur omnibus illis, qui Dei gratiam ſincere implorant. Illi vero qui ſola Juris Naturæ præcepta cum incitamentis e penu rationis petitis admittunt, tale auxilium certo exſpectare non poſſunt, quoniam preces illæ nullis certis exauditionis promiſſis innixæ ſunt.

(III.) Quanquam vero præcepta Chriſti divina accedente gratia ſervari poſſe aſſeramus, fatemur tamen lubenter eam eſſe mentium humanarum imbecillitatem, ut nemo mortalium ea ſine ulla miſtura erroris vel peccati ſervare poſſit. Hoc tamen non obſtante habent veri nominis Chriſtiani præſentiſſimum adverſus hoc malum præſidium, nimirum interceſſionem Jeſu Chriſti potentiſſimam, cruenta ſua morte obtentam. Ita ait Johannes Apoſtolus ut alia plura loca taceam Epiſt. prima v. 1. 2. Τεκνία μκ, ταῦτα γράφω ὑμῖν ἵνα μὴ ἁμάρτητε. Καὶ ἐαν τις ἁμαρτη, παρακλητον ἐχομεν προς τὸν πατέρα Ἰησᾶν Χριςὸν δικαιον. Καὶ αὐτὸς ἱλασμὸς ἐςι περι τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Vi hujus mortis & interceſſionis certiſſime perſuaſi ſunt veri nominis Chriſtiani, Deum ipſis peccata remiſſurum, & non obſtantibus variis infirmitatibus, clementer tamen cum iis acturum. Ad tutum vero illud Aſylum Deiſtæ confugere non poſſunt, quia rationis præcepta nullis certis promiſſionibus ſunt ſuffulta, neque conditionem illam monſtrant, cujus reſpectu miſericordia divina impetratur. Et quis tandem Deiſtarum aſſeret, ſe per omnem vitam nonniſi per oſcitantiam peccaſſe; nunquam pravis cupiditatibus fræna laxaſſe; nunquam contra clariſſima conſcientiæ dictamina impegiſſe? Jam vero eadem præcepta Juris Naturæ docent, quod etiam Gentiles agnovere, Deum quidem bonis bene cupere, at Eundem etiam odiſſe malos. Quouſque autem Deus gratioſus peccatoribus futurus ſit, obſcurius paulo ex ſola cognoſcitur ratione.

(IV.) Religio chriſtiana clariſſimis verbis pluribus in locis teſtatur, Deum erga peccatores non futurum miſericordem, niſi intuitu redemptionis per Jeſum Chriſtum factæ, per quam homo Deo concilietur: Hæc autem propoſitio, ſi vera eſt, ut id jure credunt Chriſtiani, vehementer falluntur Deiſtæ, quando certo ſibi promittunt. pecca-

impotentiam omnibus mortalibus communem provocare. Certe ſi ullibi hic profecto circumſpecte loquendum. Diſpiciant S. Litterarum ſtudioſi quomodo hoc argumentum in ſuis ſermonibus ſacris pertractarint Viri præſtantiſſimi Tillotſonius, Werenfelſius, Saçkius, aliique.

peccatorum suorum remissionem sed spe certa salutis excidunt. Atque hic ipse articulus Eos ad serium Examen Religionis christianæ inducere debet. (*)

Sequitur XIII. Incredulorum objectio.

VIII. Instant porro Increduli atque clamant, *Religionem Christianam potissimam esse superstitionis causam. Hanc objectionem ursit Tyndalus* in opere notissimo. (**) Nos, missis iis, quæ forte adlata sunt ab aliis, sequentia respondemus. Et (I.) quidem dicimus argumentum hoc plus probare, quam probandum erat. Si enim illi aliqua inesset vis, sequeretur, nullam plane admittendam esse religionem, cum quia ingenium humanum quacunque tandem religione imbutum, fæcundissimum est ad varia de Deo rebusque divinis fingenda; tum quia experientia omnium seculorum constat, eos qui sola lege naturali fuerant instructi, in crassissimam superstitionem incidisse. Quod si igitur hæc ratiocinatio valet: occasione religionis revelatæ, homines quidam in superstitionem sunt prolapsi, ergo Revelatio est abjicienda: etiam huic suum constabit robur: Homines sola lege naturali utentes, teste omnium seculorum experientia, idololatriæ & crassæ superstitioni dediti erant: Ergo religio naturalis est proscribenda: Ita nonnisi

(*) *Hoc Examen non solum necessarium est, sed & sæpe fructu non caret. Nuper in Diario Litterario Gallico, cui Nomen Bibliotheque raisonnée* Tom. XXIX *primæ partis non sine gaudio legi, duos Viros ingenio & eruditione præstantes, expensis probe argumentis, quæ a Viris doctis ad probandam veritatem resurrectionis J. Christi allata sunt, e Deismo eluctatos fuisse, & publice nomina sua dedisse Religioni christianæ. Ex quo simul constat, sine novis miraculis Religionis christianæ divinam originem cognosci posse.*

(**) Ante *Tyndalum* hoc argumentum ursit *Collinus*, in libello de *libertate cogitandi*, quem propterea falsæ perstrinxit Cl. *Bentley*. *La Superstition*, (inquit) *ce mal si terrible, ce defaut si capital, ne se peut éviter selon lui qu'en se rangeant au partis qui pense avec liberté; c'est-à-dire, dans le vrai sens de son verbiage, qu'en renoncer à toute Religion. Chose étrange! Il y a deja deux mille ans que l'on a distingué & separé la Religion de la superstition. Cependant cet Autheur les confond encore, & veut si bien qu'elles soient la même chose qu'à son avis on ne peut se guerir de l'une qu'en se defaisant de l'autre. Voici quelque chose de plus surprenant. Voulant nous donner une description effrayante de la superstition il la tire de Ciceron dont il cite les propres paroles. Or est-il que cet endroit la regarde principalement quelques petites attentions superstitieuses dans le train commun du monde & point du tout les fausses idées, que l'on se fait sur un Etre Suprême. Qu'en conclurre donc contre la Religion, & que penseriez vous d'un homme, qui viendroit vous dire avec gravité qu'à moins de renoncer à vôtre Foi & à vôtre Batême vous ne pourrés jamais vous guérir de superstitions terribles, qui font tant de peine à certaines personnes, quand elles entendent le cris du grillon, quand elle font le troisiéme à table, quand elles voyent une salière renversée, ou quand elles arrivent aux jour des Saints Innocens: C'est là pourtant le raisonnement de cet Ecrivain.* Friponerie Laïque de prétendus Esprits-Forts d'Angleterre pag. 88.

Atheismus triumphabit, quod illorum tamen sententiæ, cum quibus jam quidem nobis res est, contrarium esset.

(II.) Manifestum est, iis in lobis, ubi casta Religio & simplex ejus cultus florent, homines a superstitione esse alienissimos; contra vero constat, caput tollere superstitionem inter eos, qui Religioni Christianæ pravas opiniones cultumque ineptum addere non dubitarunt; quod fieri tamen non posset, si Religio christiana in se spectata homines in superstitionem conjiceret; non tam igitur revelatio, quam vero potius ingenii humani figmenta efficiunt, ut homines superstitione imbuantur.

(III.) Non diffitemur, passim in florentissimis Europæ regnis & provinciis turpem grassari superstitionem; imo dolemus, inter remotissimas etiam Gentes, quæ ad Religionis christianæ publicam professionem essent adducendæ, per homines, quos minime oporteret, potius placita castæ religioni contraria & superstitiosos ritus, quam vero puram Evangelii doctrinam disseminari. Neque insuper infitiamur, multos Doctores christianos, post excessum Christi & Apostolorum, a nativa illa & simplici *Soteris* doctrina sæpe deflexisse: Neque aliter fieri potest, quando homines incipiunt missa cultura rationis & abjecto examine accurato rerum credendarum, iis inhærere, quæ cum lacte quasi materno hauserunt, aliorum in religione exempla sequi, Antistitum religionis opinationes quasi Oracula admirari, in externis stupere, quæstum ex religione facere, ementita miracula ad fallendum simpliciores fingere & quæ alia sunt, quibus hominum mentes a casta religione abducuntur. Mirumne est tales homines superstitionem ipsam cum religione confundere? Omnium præterea, etiam sanctissimarum rerum est abusus; neque tamen propterea quisquam sanæ mentis homo, usum ipsum rerum optimarum & utilissimarum damnabit.

(IV.) Apologiæ Veterum Christianorum multum ad refellendam objectionem *Tyndali* faciunt. Ex iis enim patet, quod Christiani plerique, postquam christianæ Religioni nomen dedissent, idololatriæ inter Gentiles grassanti nuntium miserint, eam albis dentibus riserint, imo ne tormentis quidem sæpe ad eam amplectendam induci potuerint; quod manifesto indicio est, superstitionem non a Religione christiana suam habere originem. Quo ipso tamen non diffitebor, plures etiam in sævissimarum persecutionum æstu turpiter fuisse lapsos; neque negabo plures superstitionis paganicæ reliquias a simplicioribus fuisse retentas quas tamen pura religio proscripsit. Quod contra

eos

eos obſervandum, qui exiſtimant, primos Chriſtianos reſpectu cognitionis rerum divinarum fuiſſe omnis erroris expertes. Sufficiat mihi probationis loco, præter loca antiquiſſimorum & recentiorum ſcriptorum diſſert. VII. de cauſis Incredulitatis allata, unum adduxiſſe teſtimonium, Viri nempe *Nobiliſſimi & Literatiſſimi* M. *Moylii*, qui in pererudita diſſertatione de *Legione fulminatrice* de hoc argumento juxta verſionem *Venerandi Mosbemii* ſequentem in modum pag. 722. pronuntiat. *Monui* (inquit) *Chriſtianorum conſuetudinem caſtra ſequendi ſeculo tertio extitiſſe quum antiqua chriſtianæ diſciplinæ ſeveritas diffluere jam & corruere inciperet. Tu* (alloquitur Illuſtrem Kingium) *viciſſim negas Chriſtianos antequam Conſtantinus partibus Eorum ſe adjungeret a Majorum pietate & virtute deſciviſſe ſummaque idcirco cum injuria tanti ſceleris argui, quale eſt id quod* conformitas occaſionalis vocatur. *Meum igitur erit, ut fidem illis, quæ dixi jam faciam. Principio ſatisne Tibi plana & evidens videtur* Cypriani *(libro de Lapſis) querimonia de Chriſtianæ diſciplinæ depravatione quam medio fere ſeculo ſecundo effudit?* Traditam divinitus diſciplinam pax longa corruperat? *Nonne deinde* Euſebius (Hiſt. Eccleſ. Lib. VIII. *ſub exitum ejuſdem ſeculi nervoſa plane ac gravi oratione incredibilem antiquæ erga Servatorem noſtrum fidei ac pietatis diminutionem deplorat? qui quidem iiſdem plane cauſis calamitatem iſtam adſcribit, quibus* Cyprianus, *ſummæ nimirum tranquillitati & quieti, quæ uſi dudum erant Chriſtiani.* Ἐκ τῆς ἔπι πλεον ἐλευθερίας. *Nonne* Tertullianus (*de* fuga in perſecut.) *idem reipſa ſignificat, quum vexationibus & injuriis ſeveritatem legum Chriſtianarum acui & renovari, at rurſus otio & pace vigente deficere & debilitari aſſerit. Mihi quidem nullum prope dubium eſt, quin diuturna pax illa, qua civitas Chriſtiana a morte inde Antonini ad decimum uſque annum Severi gaviſa eſt, cum hoc, quod dixi malum pepererit, tum multos alios morbos & vitia, quæ* Tertullianus *in libro de* Idololatria, *de* Spectaculis *& aliis diſerte ac diligenter enumeravit. Placet hoc exemplo quodam illuſtrare: quod tametſi per ſe maximi haud eſt momenti, valde tamen utile eſt ad demonſtrandum, quantopere temporis illius Chriſtiani proclives fuerint ad priſtinæ diſciplinæ ſeveritatem deſerendam. Miles quidam Chriſtianus ferre recuſabat coronam ex floribus contextam, quæ certo die inter milites diſtribui ſolebat. Hoc ejus factum magna pars Chriſtianorum ætate illa vehementer reprehendebat, & quamvis pietatem ſpirare videretur, prudentiæ tamen plane repugnare, judicabat. Verum* Tertullianus *e contrario adſeverat, ita ſemper viſum fuiſſe Chriſtianis non licere per leges Chriſtianæ Religionis caput ſertis ejuſmodi*

modi ornare & hanc sententiam a primis usque rerum Christianarum initiis ad sua tempora perpetuo & constanti usu roboratam esse : nec id temere ab eo affirmari M. Felicis & Cl. Alexandrini testimoniis liquet. Vix modum haberet disputatio mea , si cuncta ejusdem generis exempla referre vellem , quæ apud Tertullianum *invenire licet ; placet unum ex multis decerpere , quod singulare prorsus est , eaque de causa dignum quod memoretur.* Adleguntur inquit (de Idololat. Cap. VII.) in ordinem Ecclesiasticum artifices Idolorum, *Pulchram profecto artem & eorum muneri convenientem , ad quos Religionis cura potissimum pertinebat ! Ecquis ita hebes est ; ut hinc non intelligat fræna disciplinæ præter modum hoc tempore laxata fuisse ? Nomine* conformitatis occasionalis *eorum intelligo flagitium , qui , nullo graviore periculo imminente , aut questus amore , aut aliis de causis æque vitiosis , cerimoniis superstitiosis & profanis defungi non dubitarunt. Quanta vero vis exemplorum hujus criminis ex ætatis illius , de qua loquimur , Historia , producti potest ? Totus ille* Tertulliani *liber , quem de* Idololatria *conscripsit , quid est obsecro quam perpetua in eos declamatio , qui hoc scelere se se contaminabant ? In primis vero Christiani milites hanc notam incurrebant , quod exemplo militis illius , de quo Tertullianus dedita opera egit , intelligitur. Is nimirum non ideo tantum dimittebatur , quod coronam ferre nollet , verum propterea , quod cum hac ipsa recusatione , tam verbis postea apud Præfectum profiteretur , se christianæ Religioni addictum esse. Unde manifestum est , neminem tum in Exercitu fuisse toleratum , qui publice testatus esset christiana se sacra probare. Quocirca* Socii *hujus militis , qui lucem fugiebant tot , ut ait ,* commilitones , *omnes religionem suam celarunt , signisque & cultu externo , ad eorum , qui plures colebant Deos exemplum se se composuerunt. Neque id abhorret a molliori & dissoluta disciplina , quæ ætate hac paulatim invaluit & Christianos cœtus infecit.* Nemo se debet promulgare *inquit* Tertullianus (de Idololat. Cap. XXII.) *ex mente eorum , qui ejusmodi licentiam introducebant. Alii bene multi temporum illorum Christiani nil verebantur sacrificiis interesse , quæ Diis fiebant , cum nemo id ab illis exigeret. Vide* Lactantium de mortibus persecutorum Cap. X. *In quod genus tametsi concilium Eliberitanum (vide Can.* LIX.*) peculiarem ferret legem sub ipso tamen Juliano hæc consuetudo nondum abrogata erat teste,* Prudentio Apotheos, v. 530. Postquam hæc aliaque exempla collegisset Auctor pag 727. ita colligit ; *Scio res me tibi narrare , quibus ut veræ sint , multum tamen offensionis & invidiæ adjunctum est , namque evertunt ea & diruunt , quæ de sanctitate & integerrimis moribus omnium ,*

qui

qui primis seculis vixerunt, Christianorum Halloixius, Caveus, Dupinius *& alii scriptores satis noti tradiderunt & plerisque omnibus persuaserunt. Sed quid agas? Multi sunt hi scriptores in laudibus Veterum Christianorum promulgandis & amplificandis: verum cave, vera esse putes omnia, quæ afferunt. Exhibent illi nobis Veteres Christianos ea parte, qua splendent, at vitia eorum & maculas ne tangunt quidem.* Ita *Nobilis ille & eruditus Vir.* Quod si quibusdam judicium eruditissimi illius Angli displiceat, en testimonium J. F. *Lampii, Theologi Clarissimi*, de cujus *Orthodoxia, eruditione, & pietate* nemo dubitat. Hic vero in Oratione de *memoria Sanctorum* de hoc argumento ita disserit. *Si vero* (inquit) *usquam, certe in selectu exemplorum veræ pietatis, præjudicium antiquitatis, quo plurimi monumentorum Ecclesiasticorum ruspatores, occupati sunt, expelli debet. Nolumus hic debitam illis invidere aut præripere laudem, qui primis nascentis Christianismi Seculis abnegationis rerum mundanarum, patientiæ, caritatis, constantiæ suæ fulgore, reverentiam & æmulationem posterorum promeruere. Justis tantum cancellis existimationem de eorum virtute circumscriptam volumus. Hos migrant, qui sereniora illa secula nimium dilatant, atque ultra Constantini M. tempora protrahunt, cum tamen torrenti corruptionis tam in doctrina quam in moribus, ab ineunte potissimum seculo quarto omnes quasi cataractas apertas fuisse tam veteres quam recentes authores uno quasi ore testentur. Sed & in præcedentibus* Seculi II. & III. *exemplis coacervandis caute progrediendum erit. Si vera est, quam de sua ætate Cyprianus passim exhibet, effigies, jam ante Decii furores a Seculi* III. *primordiis pietatis splendor squalore teterrimo obnubilatus est. An a Seculo* II. *decurrente multo majora præsumi jure possint, ex modicis in cognitione veritatis profectibus, ex dissidiis Ecclesiasticorum jam tum glisentibus, ex imprudentis Zeli passim obviis vestigiis, & superstitionum variarum primordiis, dispiciendum aliis relinquimus. Nollem ergo in figenda splendidioris Christianismi æra ultra Apostolicorum Virorum ex mundo excessum multum descendere. Heroica fidei ediderunt facinora, fateor. Verum an non multum scoriarum illis adhæsit? Annon ambitiosa nimis Martyrii cupido multos occupavit? Annon æquiparari saltem illis merentur, qui sub Antichristianismi ingruente nocte ac redeunte Reformationis aurora, sanguine suo Ecclesiam fæcundarunt? Annon eadem Joh. Husso, Hieronymo Pragensi, Savonarolæ, Ludovico Berquino, Annæ Burgio, Henrico Zutphanensi, Claudio Brussonio ac millenis aliis constantiæ gloria, quæ quibuscunque primorum temporum martyribus debetur? aut an disciplinæ, qui tum forte obtinuit, rigor sanctitatis*

ctitatis opinionem majorem illi ætati conciliabit? Quid si ille ipse ultra modum exercitus Ecclesiasticæ dominationis fundamenta jecit? Quid si ille generalis neutiquam fuit, cum de luxatis ejus vinculis Cyprianus idem amarulenter conqueratur? Quid si atrociora potissimum crimina ac figillatim apostasiam multis aliis neglectis impetiit? Quid si ipsæ leges circa pœnitentiæ gradus introductæ non parum fermenti ἐθελοθρησκειας *& superstitionis adjunctum habebant? Quid si imprudens Præsulum in excommunicando Zelus jam tum apparuit? Hæc si certis nituntur testimoniis, annon panegyricos magis quam Historiam scribere censendi sunt, qui contemtis recentiorum exemplis nihil sublimius in sanctitatis exercitio occurrere prætendunt, quam quod hanc antiquitatem spirat.* Ita ὁ Μακαριτης Cl. *Lampius.* Hæc non eum in finem adducuntur, quasi errores horum hominum in majus vellem extollere, aut pietati eorum aliquid detrahere: non enim uno ictu & paucis temporis momentis sed sensim sensimque opiniones & consuetudines, altissime animis inhærentes, deponuntur; sed ut quidam boni homines discant, non omnia quæ communiter in compendiis historicis de hoc argumento dicuntur, certa esse & indubitata. Vel soli libri N. Testamenti docent, Christianos non statim ac nomen dederunt Religioni christianæ, omnibus protinus valedixisse erroneis opinionibus & vitiis.

(V.) Quod si quibusdam in locis Religio non sine mistura superstitionis traditur, hoc non impedire debet Incredulos, nisi plane alias ob causas animos a Religione habeant aversos, quo minus Revelationem admittant. In dissertationibus nostris de hoc argumento probavimus, ipsos sapientiores inter Gentiles superstitionem a religione distinguere probe potuisse. Cur ergo Increduli Religionem a pravis opinionibus, & introductis superstitionibus separare non possent? Profecto merus est hic hominum illorum pretextus, quando se propterea repudiare Religionem christianam asserunt, quod multis in locis ea varia sit superstitione contaminata.

(VI.) Manifestissimum denique argumentum, quo probatur, Revelationem Superstitionis causam non esse, est, quod ab una parte Idololatriam & omnis generis superstitiones damnet; ab altera vero internum Dei cultum tanquam præcipuum commendet. Limites disputationibus publicis positos supergrederer, si omnia loca, quæ huc faciunt convectare vellem: unum igitur alterumve adduxisse juvabit. Statim initio Revelationis Deus cælum terramque condidisse dicitur; quod sine dubio eum etiam in finem dictum est, ut ineptis & superstitiosis

ſtitioſis de origine rerum omnium figmentis, quæ ab Ægyptiis aliiſque orientis populis admittebantur, ſe ſe opponeret Moſes. Joſuæ XXIV. v. 2. 3. narratur, Deum Abrahamum ex Ur Chaldæorum, ubi idololatria graſſabatur, evocaſſe. Tot populi judaici adflictiones, quæ paſſim in ſacris narrantur, eam potiſſimum ob cauſam factæ dicuntur, quod Natio illa varii generis ſuperſtitionibus & Idololatria ſe ſe contaminaſſet. Et quid frequentius in Prophetarum ſcriptis audias, quam lamentationes ob Judæorum inclinatos in ſuperſtitionem animos. In N. Teſtamento non ſolum Deus ſolus jubetur adorari *Matth.* IV. v. 10. & quidem in ſpiritu & veritate *Joh.* IV. v. 23. 24. ſed & diſertis verbis ad *Rom.* cap. XII. v. 1. declaratur, in quo ἡ λογικὴ λατρεία conſiſtat; imo univerſa Religio chriſtiana aliquando amoris Dei & proximi nomine venit, quæ latius a Viris doctis, qui præſtantiam Religionis chriſtianæ demonſtrarunt explanata atque probata fuere. Fierine autem poteſt, ut Deus Revelationis Auctor, ſuperſtitionem prohibeat & damnet; ſimul vero religionem talem præſcribat, quæ in animis hominum amorem ſuperſtitionis neceſſario excitet?

(VIII.) Denique *Tyndalus* & qui eum ſequuntur, ſi theſin ſuam ſalvam eſſe volunt, oſtendere debent, ex ipſa dogmatum & præceptorum Religionis chriſtianæ natura & indole ſequi neceſſario ſuperſtitionem. Neque enim ſequitur: Hi vel illi male ceperunt hîc illic ſenſum S. Litterarum: hi ex fœcundo ingenio multa adjecerunt: multi Chriſtiani una cum religione ſuperſtitioſos quoſdam ritus admiſerunt; Ergo religio hujus mixturæ & figmentorum cauſa eſt. Quemadmodum pariter non ſequitur: figmenta varii generis, ſuperſtitiones, & opiniones leves, principiis Theologiæ Naturalis ab hominibus adjecta ſunt: Ergo Theologia Naturalis eſt mater ſuperſtitionis. Quæ de duobus ſacris ritibus, Baptiſmo & S. Cœna monet *Tyndalus*, a Cl. *Foſtero* rite ſunt excuſſa.

XIV. *Alii, ex hac turba, inter quos etiam nomen ſuum profitetur Tyndalus objiciunt, Revelationem qualemcunque nihil Religioni Naturali addere poſſe.* Ad quæſtionem illam elucidandam ante omnia videndum eſt, quid revelationis nomine intelligant Chriſtiani. Intelligunt nempe manifeſtationem quandam veritatum momentoſiſſimarum, quæ ope ratiocinationis ex principiis Theologiæ Naturalis erui non poſſunt. Ex qua definitione ſatis patet, quædam Revelationem complecti debere, quæ in religionis naturalis complexu non reperiuntur. Ut contrarium probent Adverſarii, talem revelationem, id eſt complexum Proſertur objectio XIV.

xum veritatum, quæ rationis terminos superent, dari non posse tueri debent. Ad adstruendam autem hanc thesin requiritur, ut ostendant certis argumentis, revelationem talium veritatum *vel* esse *impossibilem*, vel eam *virtutibus divinis & legibus naturæ* esse *contrariam:* vel denique eam esse Revelationis, quam Christiani pro divina habent, *conditionem, ut omnes propositiones in ea traditæ e penu Religionis Naturalis depromi possint.* Quod ad *primum* argumentum spectat, asserimus, omne id a nobis pro possibili haberi, quod nullam manifestam involvit contradictionem. Talem autem in hoc casu videmus nullam, sive respiciamus ad Deum, sive ad veritates, quæ Revelatæ dicuntur. Tantus est Abyssus intellectus divini, tam infinita copia Idearum intellectui divino obversantium, ut nihil impediat, quominus quasdam novas & hactenus ignotas veritates, cum hominibus communicare possit, si velit. Nihil obstat respectu veritatum, quæ revelari possunt. Per eas enim non intelligimus centonem propositionum inintelligibilium, aut adversa secum fronte pugnantium, sed complexum veritatum salutarium, quas Deus O. Maximus ad acuenda, extollenda, & perficienda Theologiæ Naturalis capita pro liberrima & sapientissima sua voluntate patefacere voluit, licet plene naturam earum in hac vita cognoscere non possimus. Sed neque *secundo loco* ostendi potest Revelationem vel virtutibus divinis, vel legi Naturali contrariam esse. Non potest attributis divinis minus conveniens dici, quod ad felicitatem promovendam unice tendit. At lux nova, in animis hominum accensa, felicitatem hominum promovet; ergo necesse est, eam cum virtutibus divinis pulchre conspirare. Deus qui hominibus rationem & facultatem cognoscendi leges naturales dedit, ante eventum præscivit, plerosque mortalium lucem per rationem accensam non secuturos, sed variis arreptis temere opinationibus eam potius obscuraturos. Quid igitur bonitati, æquitati & sapientiæ divinæ contrarium est, si cum humano genere, saltem cum magna ejus parte, tales communicentur veritates, quæ nonsolum pondus addere possunt Religioni Naturali, sed & eam multis modis superant? Neque impedit, quod non plane omnibus semper & semel, revelationem illam concessit. Ad id enim præstandum Deus nulla lege tenebatur, sed pro sapientissima sua voluntate, cujus causas omnes perspectas non habemus, potuit bona sua vel inter plures vel inter pauciores numero distribuere. In hac voluntate optimi Numinis adquiescere pium & æquum est. Quemadmodum enim Pater familiæ tenerrimo amore potest prosequi omnes

suos

ſuos Liberos, ſimul tamen confidentius cum quodam eorum agere, ob rationes ſibi, non omnibus æque perſpectas. Ita pariter Deus agere poteſt: quod nonſolum ex diverſa revelationis divinæ diſpenſatione, ſed & quotidiana Bonorum ſuorum diſtributione manifeſtum eſt.

Legibus divinis naturalibus contrariam eſſe revelationem pariter oſtendi nequit. Syſtemata certe Eruditorum, in quibus prolixe Juris Naturæ præcepta explicarunt, non tam perſpicua eſſent, tantoque innixa pondere, niſi chriſtianæ doctrinæ lux acceſſiſſet. Novi quidem produci loca e V. & Novo Teſtamento, in quibus officia Juris Nat. aut negari, aut imminui videntur, adeo quidem ut P. *Baylius* exiſtimarit, vix fieri poſſe, ut qui ex animo chriſtianam religionem amplexatus fuerit, Juris Naturæ & Civilis regulas obſervet. Sed qui loca allata ſecundum genuinas Interpretationis regulas expenderit, videbit, ea certo tantum temporum & perſonarum reſpectu præſtitu eſſe difficilia. Ipſe S. Soter teſtatur, ſe non ad tollendam ſed ad confirmandam legem naturalem in mundum veniſſe. Cum reſpectu fontis actionum moralium, finis, & Incitamentorum, Lex Naturalis aliqua indigeret luce & præſidio quodam: gratiæ ſine dubio agendæ ſunt Soteri noſtro, quod eas nonſolum clariore in luce collocaverit, ſed & aliud, idque fortius obligationis vinculum oſtenderit.

Denique mihi tam acuto non eſſe licet, ut affirmare poſſim, in Revelatione ea duntaxat contineri, quæ legem tantum naturalem complectuntur. Ipſimet Deiſtæ clamant, ſe inter alias rationes eo etiam nomine impediri, quo minus Religioni chriſtianæ nomen dent, quod in ea varia reperiantur dogmata, quæ cum Legis Naturalis decretis & rationis præceptis ſtare non poſſe videantur: quo ipſo fatentur, ea ex Theologiæ naturalis principiis erui non poſſe. Scio quoſdam ex hac tribu adprobare methodum S. Litteras interpretandi *Sociniànorum*, atque exiſtimare, hac ratione ea quæ myſteria appellantur, facile intelligi poſſe: at utrum ſecundum legitimæ Interpretationis regulas id fiat, hoc eſt quod quæritur. Sed quid pugnes cum iis, qui veritatem rerum ab Evangeliſtis & Apoſtolis narratarum non admittunt: qui ſibi libertatem ſumunt conceſſa etiam veritate rerum geſtarum, pro lubitu interpretationes fingere, eaque, quæ in revelatione perſpicuis verbis deſignata ſunt, & quidem tanquam principalia, pro minus neceſſariis habere, ſervatis duntaxat iis, quæ ad palatum ſunt, quæque ſine aliqua revelatione facile intelligi poſſunt?

Repræsentatur XV. Incredulorum objectio.

XV. Increduli, & inter eos *Tyndalus* inprimis, dicunt, *Eos omni religioni bellum indicere, qui ut Revelationem extollant, vim Religionis Naturalis minuere fatagunt: neque dari posse duplicem ejusdem ponderis regulam secundum quam homines actiones suas instituant.* Ad hanc objectionem reponimus. Et *primo* quidem verba horum hominum prima fronte nihil falsi in se continere videntur. Cum enim Religio Naturalis a Deo data sit, omnesque homines obliget, impium esset, si quis vim ipsius & obligationem minuere vellet. Lex Naturæ non est opposita legi morali a Christo traditæ. Imo certum est, sine Theologia Naturali, christianæ Religionis divinam originem probari haud posse. At probandum est, quod *secundo* loco monemus, hoc esse receptum omnium Theologorum Christianorum dogma, deprimenda nimirum esse Theologiæ Naturalis capita, ut Religio christiana extollatur. Non diffitemur, dari hinc inde inter Christianos tales scriptores, qui tum demum sibi sapere, & officiis piorum Theologorum defuncti esse videantur, si qualibet occasione in rationem ejusque culturam detonare possunt. Si clamare possunt, eam ita esse corruptam, ut putes eam aut frustra a Deo nobis datam, aut tanquam ancipitem cultrum in manus infantis concessam. Sunt, qui æquo animo ferre non possunt eos, qui Theologiæ Naturalis præstantiam deprædicare & eam optimæ Indolis Adolescentibus commendare solent. Sed hi fere sunt, qui per vitam hæc themata nunquam rite excusserunt, quorumve cerebrum tot Scholæ opinionibus repletum est, ut rerum præstantissimarum pretium rite expendere & probare non possint. At hic error Christianis Theologis in universum omnibus imputari non debet. Distinguendum adeoque inter Theologos & Theologastros. Haud ignoraverat inprimis *Tyndalus* in patria sua Anglia dari excellentissimos Viros, qui Theologiæ Naturalis usum & præstantiam prægnantissimis argumentis demonstrarint: unde & ipsemet valde operosus est in adducendis locis, in quibus hæc argumenta explicarunt.

(III.) Increduli, in quo alios peccare clamant, ipsimet cæspitant. Ut enim Religionem Naturalem, ejusque dignitatem quam nemo sanus contempserit, extollant, omnia faciunt quæ ad revelationis præstantiam & præceptorum ipsius excellentiam minuendam facere posse putant. Frequenter enim & operose ostendere volunt, quam parum efficaciæ in animos hominum habeat Religio christiana; quam multis Ethica christiana sit innixa opinionibus fanaticis; quot homines, qui

præcepta

præcepta Religionis christianæ sincere præstare voluerint, in melancholiam & ineptas opiniones conjecti fuerint; quam insolita plane de internis nescio quibus sensationibus & actionibus piorum, religioni addictorum, in Revelatione exponantur; quam sint illa gaudia plane cœlestia Mysteriis inintelligibilibus superstructa, vana &c. &c. Hîc vero mirari non debent Increduli, si Viri cordati inter Christianos causam suam nonsolum masculé tueantur, sed & contra ostendant, quam exiguam omni tempore vim in animos hominum habuerit tantopere celebrata Religio Naturalis; quanta fuerit antiquissimorum, eorumque doctissimorum Philosophorum & Juris Consultorum circa Legis Naturalis explicationem animorum dissensio; quod Lex illa Naturalis nunquam credendorum norma fuerit, sed patria religio, superstitiosa licet & inepta: Quod nullum tale Systema Theologiæ Naturalis purum, & ab omnibus erroribus liberum, inter eos, qui solam legem naturalem olim secuti sunt, reperiatur; sed quod recentiores hinc inde sparsas Philosophorum Veterum Sententias nullo habito religionis & hypothesium, quas sequebantur respectu, ut specioſa magis esset legis illius naturalis facies, ad fucum faciendum Imperitioribus, in unum collegerint. &c. &c. Ubi tamen probe est notandum, Viros doctos ita κατα βιαιον contra Incredulos argumentantes, non tam legis illius Naturalis fundamenta impugnare, aut præstantiam illius minuere, quam vero potius ostendere voluisse, recentiores Theologiæ Naturalis Concinnatores, si verum fateri vellent, multum Religioni christianæ debere.

(IV.) Nescio cur Theologis vitio verti debeat, quod Ethicam christianam supra legem naturalem extollant. Non possunt enim non hoc facere, partim quia persuasi sunt Revelationem esse divinæ originis; partim quia ipsa collatio legis hujus naturalis cum Revelatione, hujus præstantiam pulchre manifestam facit; unde etiam sæpe Ethica christiana ab Incredulis laudata est: Qui vero jure aliquid extollit, rei supra quam illam extollit, justum suum non derogat pretium.

(V.) Denique quæ de duplici regula adducuntur, parum in hoc negotio valere videntur. Licet enim veritas lumine Naturæ nota, a veritate revelata discrepet, non tamen proprie loquendo sunt duæ diversæ agendi regulæ, quam vero una regula, ad duo diversa objecta exacta.

exacta. Nimirum regula generalis hominis sapientis & Christiani hæc est: Quicquid rationi conveniens, grave, momentosum & Deo dignum est, sive id ex solo lumine naturali, sive ex aliqua certa Revelatione innotescat, id est sequendum, vitaque secundum lucem illam, undecunque ortam, est instituenda. Atqui in Religione tam naturali quam revelata, talia reperiuntur recte de rebus divinis sentiendi & pie vivendi præcepta quæ rationi & virtutibus divinis sunt consentanea, Ergo rationi conveniens est, ut homo sapiens eadem admittat & probet. Potest quidem si ad objecta ipsa credendi respiciatur, dici, ea duplicis generis esse, non quidem respectu originis, quæ utraque Deum auctorem habent, sed modi tradendi. At quoniam de verbis altercandum non est, ponamus aliam esse regulam, quæ revelatio, aliam, quæ Théologia Naturalis præscribat; causam non video cur utraque simul stare non possit: una sublimiora, altera vero captu magis facilia tradere potest. Quo ipso tamen regulæ ipsæ sibi non contrariantur.

Sistuntur reliquæ Incredulorum objectiones.

XVI. Reliqua horum hominum adversus Religionem christianam præjudicia, ut finem huic argumento faciamus, uno quasi complectar fasce. Dicunt igitur *plerosque Christianos nullo instituto examine christianæ religioni nomen dare, sensuros aliter, si inter alios homines nati & educati fuissent; Controversiarum inter Christianos nullum esse finem, præter veteres novas cottidie propullulare: Plerosque publicos Religionis christianæ Doctores & Sacrorum Antistites inepto correptos esse adversus dissentientes Zelo; de minimis quæstiunculis ferram disputationum reciprocari, easque sæpe ita exaggerari, ut pauciſſimi tandem inter simpliciores sciant, quid scitu creditуque ad salutem sit necessarium: Optimos & præstantissimos inter Christianos Viros, qui morbo huic medelam adferre conentur, cæteris suspectos esse, & dum non æque ferventi Zelo minutos errores impugnent, aperte sæpe perstringi; oportere quemvis pro cognitionis suæ modulo judicare, neque ultra suum extendere judicium: Deum qui arctissimos cognitionis humanæ limites perspectos habeat, probe scire, plerosque mortales in eo esse statu, ut de inquirenda veritate non possint esse solliciti: Deistas paucis contentos religionis articulis ab incommodis illis supra recensitis liberos esse, & si quis inter ipsos dissensus, eum æquissimis ferre animis* &c. &c.

Juvat jam per partes, sed strictim, dum passim in superioribus unam vel alteram harum objectionum tetigimus, ad hæc respondere. Et *primo* quidem verum est quod dicunt Increduli, plures dari in omnibus Christianorum Sectis, qui quæ Juvenes didicerunt, per totam vitam

vitam sine examine tueantur: & horum numerum ingentem esse pariter non infitiamur. Neque insuper diffitemur, inter ipsos V. D. Ministros dari tales, qui perspicuis solidisque argumentis veritatem Religionis christianæ probare, nedum subtiliores objectiones Incredulorum retundere possint. Quosdam impedit judicii & ingenii defectus: alii in Academiis & Gymnasiis de hoc argumento non satis fuerunt edocti; Plures Doctores publici minoris momenti controversias prolixe excutere solent, capitales vero veritates negligentius sæpe tractant, existimantes, illas tanquam immotas pro veris ab omnibus habendas, neque anxie examinandas esse. Hinc sæpe fieri solet, ut & ipsimet, ubi ad rudiorum captum primariæ veritates perspicue tradendæ essent & explicandæ, obscure de hoc argumento differant. At quid tandem hoc juvat Incredulos? Num propterea, quod multi inter Christianos cæco impetu, nullo instituto examine religioni adhæreant, sequitur, Religionem christianam nullis certis esse superstructam fundamentis? num inde sequitur, omnes promiscue Doctores Ecclesiæ christianæ antecedentium turbam sequi? Soline Increduli omnia ad normam rationis expendunt, factoque examine demonstrare possunt, meram fabulam esse, quæ de Religionis christianæ origine & præstantia dicuntur? ubi de religionis negotio & officiis circa eam agitur, manifestum erit, Iliacos intra muros peccari & extra. Neque quorundam Ecclesiæ christianæ Doctorum torpor Deistarum audaciæ præsidio erit.

(II.) Controversiarum inter Christianos agitatarum magnum esse numerum, illasque quotidie augeri, in confesso est. At de quibus tandem rebus non disputant & disputarunt omni tempore Eruditi? Nullæne olim erant inter Celeberrimos Græciæ & Latii Philosophos concertationes? Nullæne lites & contentiones inter Juris Consultos, Medicos, elegantiorum Litterarum Cultores, Philosophos & Historicos de variis argumentis ortæ sunt dissensiones? Nonne magnum est sententiarum inter ipsos, qui libere cogitantium nomine veniunt, divortium? Cumque causæ præsto adsint satis manifestæ harum dissensionum, quas Increduli satis perspectas habent inique religio ipsa Christiana propterea contemnitur.

(III.) Neque infitiamur sed dolentes fatemur, multos Theologos fervorem nimium in tuendis suis opinionibus sæpe ostendere, & superbiam suam & obstinationem animi nomine Zeli pro gloria Dei venditare. At quid hoc adversus Religionem? Sunt & fuerunt semper Theologi cordati & pacifici, in trutinandis quæstionibus Theologicis

circumspecti, quamvis numero ab iis, qui in minutis opinionibus acriter defendendis eruditionis Theologicæ summam positam esse existimant, superentur. Neque desunt Theologi præstantissimi, qui his vitiis se se opponant, & contra genuini pro gloria Dei Zeli indolem vivis depingant coloribus. Quod quidam minimas quæstiunculas in majus extollant, verum est. Sed quis bonus, pius, & sapiens Theologus christianus hoc probat? Quis non dolet? Quis luxuriantibus ingeniis frænum injiciet? Quis impedire poterit, quo minus homines altos spiritus gerentes & ignorantes in quibus tandem præstantia Religionis consistat, pertinaciter opinatiunculas suas defendant? Multorum φιλαυτια obstat, quo minus Viri veri amantissimi his malis occurrere possint. Sed quid juvat hoc Incredulos? Cur propterea Religionem christianam fastidiunt, quæ tamen sua se se commendat simplicitate & alienissima est a tot quæstiunculis, quibus se se misere torquent Eruditorum ingenia? Et profecto, qui ἀθεῤ παθων N. Testamenti evolvit volumina, eoque animo, ut quod verum est & salutare unice reperiat, tot recentiorum Sophorum quæstiunculis non movebitur.

(IV.) Neque a vero abhorret, quod illi sæpe, qui momentosa in religione ab articulis minus necessariis solerter discernunt, atque simplicitatem in rebus Theologicis commendant, aliorum odiis & insectationibus obnoxii sint. Neque hoc mirum est; varia enim sunt hominum ingenia & judicia: homines qui animos suos gravioribus disciplinis excultos non habent & inter strepitum inanium quæstiunculorum ætatem trivere, non possunt non odio habere eos, qui quæstiones illas resectas vellent. Hæc sapientibus, & veri amantibus ferenda sunt. Nihil vero horum Magistellorum sinistra de cordatis Theologis Judicia Incredulos juvant. Cum enim hæc ipsis perspecta sint, cur non sequuntur eos, qui amore pacis se commendant, & gravissima maxime urgent? Cur propter iniqua aliorum judicia, id quod sanctissimum est in religione negligunt & contemnunt? Interim & hoc observandum, nos Scholasticarum controversiarum nomine non intelligere veritates momentosas in S. Litteris contentas: Has enim cordati Theologi defendere debent gnaviter; Hoc ideo noto, quia Deistæ vellent, ut Theologi ea, quæ præcipua sunt in Religione v. gr. Mysteria, miracula &c. minime tanquam necessaria urgerent, quod inprimis Auctor *Religionis essentialis* faciendum putavit. Theologus enim, qui Revelationem admittit, non potest ea, quæ identidem a Christo & Apostolis tanquam creditu necessaria inculcantur, pro levibus habere,

neque

neque imitari debet illum Colonum apud *Gellium*, qui herbas bonas una cum infelici lollio exterminavit.

(V.) Teneri quemvis cognitionis suæ modulo attemperare suum, de rebus ad religionem spectantibus judicium, in confesso est. At quid hoc ad tuendam Incredulitatem faciat, non video, nisi Increduli dicant, se post rigidissimum Religionis christianæ examen manifeste deprehendisse, eam plane absurdam, & omnibus probabilitatis legibus contrariam esse. Quod si hoc volunt, videant ne judicia sua extendant super id, quod verum & certum est. Videant ne ita judicando, non unum tantum aut alterum Christianorum, sed ingentem turbam Virorum præstantissimorum, qui per omne vitæ tempus Religionem rite & sedulo examinarunt, offendant. Nemo sanus ab Incredulo poscit, ut sine examine Religioni christianæ subscribat. Hoc tantum volumus, omnibus esse pro viribus elaborandum, ut rem omnium attentione dignissimam rite expendant, neque odio, ira, & contemtu præpediantur, quo minus id fiat. Qui enim ita judicat, non pro cognitionis suæ modulo, sed pro arbitrio vitiosæ suæ voluntatis agit. Et quid responderent tandem Deistæ homini Atheismum profitenti, & dicenti, sibi pro modulo cognitionis suæ judicandum: an non contenderent, eum vim ingenii sui in examine quæstionis momentosissimæ non intendisse & propter difficultates quasdam circa hoc argumentum occurrentes, rem ipsam inficiari non debuisse?

(VI.) Nos etiam agnoscimus Deum pro facultatum, ingeniorum, diversitate & labore, quem in examine religionis quisque exantlavit, judicaturum: at propterea non sequitur, quemvis aut in ea, in qua natus est, publica religionis professione secure manere posse, aut quemlibet cognoscendæ veritatis conatum sufficere. Ipsi Deistæ fatentur, cognitionem Theologiæ Naturalis esse scitu plane necessariam. Non solum igitur possibile erit, ut homines religionis hujus principia cognoscere possint; sed & peccabunt omnes, quot quot ingeniorum suorum nervos ad partes omnes hujus religionis cognoscendas, non intendunt. Tota igitur quæstio hûc redit; utrum ea sit Religionis christianæ indoles, ut ejus veritas ad capacitatem eorum qui non plane sensu communi destituuntur, attemperari possit, & utrum hoc posito, omnes christiani, quibus Revelatio hæc obtigit, ex ea addiscere possint illa, quæ scitu credituque sunt necessaria. Hoc vero nos Christiani contendimus. Debent igitur Increduli in se descendere, & probe expendere utrum iis animi facultatibus sint instructi, quæ ad examen religio-

nis instituendum requiruntur. Nullus dubito, quin plerique confessuri sint se se dotibus ingenii sufficientibus ad hoc præstandum ornatos esse. Quod si vero hoc non obstante, antequam examen hoc instituant, finistris contra eam sunt occupati opinionibus, aut eam non expendant, ipsimet judicent, num Deo christianæ religionis Auctori perinde futurum sit, utrum serio animos ad hoc examen rite instituendum adjecerint nec ne. Hominem certe culpa dignum censebunt, qui singulas Religionis Naturalis partes examinare & cognoscere non allaboravit. Cur ergo Deus rationem nullam habiturus esset ejus hominis, qui cum & potuisset & debuisset christianam religionem expendere, id tamen neglexit, nescio quo infirmitatis commotus pretextu? Verbo: aut dicendum, Deum non curare res humanas, neque ad actiones morales hominum attendere, aut verum erit, neglectum negotii tanti peccatum esse gravissimum, pænaque non levi dignum. Cujusvis autem est probe dispicere, quo animo examen instituerit, & utrum serio actiones suas pro facultatum animi Viribus ad Numinis voluntatem componere voluerit.

(VII.) Deistas denique pauca numero admittere religionis principia novimus; quo jure vero id fiat, merito quæritur. Quicquid vero de hoc sit, asserimus etiam nos, religionem christianam in quantum omnes pariter Christianos obligat, nullo habito respectu Eruditorum & plebis, multitudine articulorum fidei non esse oneratam, quod ex catecheticis institutionibus in gratiam plebis adornatis, constat; Quod si vero propter incommoda quædam, quæ ex diverso religionem christianam concipiendi modo oriuntur, illa prorsus esset abjicienda, actum etiam esset cum ipsa religione Naturali. Qualis vero olim & nunc fuerit inter eos, qui solo gavisi sunt lumine naturali, animorum consensio Historia Philosophica & Litteraria locupletes esse possunt testes. Neque amica illa, quam jactant Increduli, animorum conspiratio, quicquam probat, quandoquidem etiam turpissimi Idololatræ & graviter errantes eandem possunt inflare tibiam.

΄ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ

THESIUM THEOLOGICARUM.

I. Dictum Pauli ad Romanos Cap. XIV. v. 23. Quodcunque non fit ex fide peccatum est, perperam ad fidem salvificam applicatur.

II. Male causæ suæ consulunt Doctores pontificii quando Transubstantiationis dogma defensuri ad Mysterium S. Sanctæ Trinitatis provocant.

III. Cum nonnisi ex Sanctitatis studio Christianus scire possit, utrum beneficii justificationis factus sit particeps, manifestum est, neminem sine pietatis sinceræ studio de salute consequenda certum esse posse.

IV. Qui Examen Religionis liberum proscribunt, vitium Incredulitatis vehementer promovent.

V. Tantum abest ut cultura rationis religioni officiat, ut potius, quo quis magis vires rationis intendit, eo evidentius religionis christianæ præcellentiam perspiciat.

VI. Illi cives & subditi Imperantibus sunt fidelissimi, quibus permissum est, dictamen conscientiæ in rebus ad religionem spectantibus sequi.

VII. Methodus vere demonstrativa sive synthetica sive analytica, quam Mathematici usurpant, in tradendis sanctioribus disciplinis, & in S. Litterarum interpretatione perperam adhibetur.

MEDITATIONIS DE CAUSIS MAGIS MAGISQUE INVALESCENTIS INCREDULITATIS, ET MEDELA HUIC MALO ADHIBENDA.

PARS XI.

Sect. I.

Nexus cum Antecedentibus ostenditur.

IN antecedentibus, de hoc argumento scriptis Dissertationibus, ab una parte diligenter in causas Incredulitatis inquisivimus, & ni fallor, præcipuas detexímus: Ab altera vero argumenta generalia, quibus Increduli, causam suam peroraturi, utuntur, representavimus, & quid ad ea, nostra opinione, responderi & possit, & debeat, ostendimus. Tempus jam est, quod & titulus harum Meditationum promittit, ut quænam tandem medela morbo huic gravi, & indies magis ac magis invalescenti, adhibenda sit, dispiciamus. Atque hoc cum in hac, tum in sequenti XII. Dissertatione, si vixero, præstabitur: Quo peracto, Meditationibus hisce imponemus finem. Cum vero materia differendi sit fæcunda, simul vero duabus duntaxat Dissertationibus includere volumus quæ dicenda sunt, summa rerum vestigia sequemur, & præcipua adminicula adversus Incredulitatem adducemus sine tamen prolixiore quorumvis explicatione. Possunt autem, mea sententia, omnia, quæ quidem in hoc argumento observanda sunt, commode ad tria referri capita. Primo adferenda sunt media quædam προφυλακτικα uti

uti apellantur, quibus cavetur, ne quis in gravem hunc morbum incidat. *Secundo* disiciendum est, quomodo tractandi illi, qui ad vitium hoc inclinare videntur; & *Tertio* tandem videndum, quomodo reducendi sint in viam illi, qui in castra Incredulorum transiverunt, morboque hoc gravi correpti sunt.

Parentum circa hoc negotium officium repræsentatur.

II. Videndum ergo ante omnia quid præstandum sit, ut Homines adversus gravem & funestum morbum Incredulitatis præmuniantur. Mature autem illi occurendum esse, quilibet videt. Itaque ab ipsa Juventute, omnia illa sedulo evitanda sunt, quæ sensim sensimque contemtum Religionis animis ingenerare possent. Ab altera vero parte omni cura & solicitudine ea omnia Præstanda, quæ teneris Infantibus amorem pietatis & virtutis instillare possunt. Atque hæc cura incumbit, *Parentibus*, *Præceptoribus*, *Gymnasiorum & Academiarum Moderatoribus*, *Oratoribus Sacris*, & ipsis denique *Imperantibus*. Incipiamus a *Parentibus*, eorumque circa Liberorum Educationem officiis. Notum est, infantes recens natos, omnibus Præsidiis, quibus sibimetipsis consulere possent, destitutos esse: Necesse igitur est, ut alii, quæ ad vitæ Sustentationem pertinent, curent. Jam vero, Parentibus, quorum Soboles sunt, & quorum animis amorem quemdam & quidem tenerrimum insevit optimum Numen adeo quidem, ut nisi sint ἄοργοι plane, & projectæ audaciæ, stimulos hosce ex animis evellere vix possint, prima hæc incumbit cura. Officia autem Parentum adversus Liberos ad tria possunt referri capita. Nimirum respicere debent Parentes ad mentem, ad corpus, & denique ad Fortunam Liberorum: De Duobus posterioribus hic prolixe Verba facere nolo, quanquam amplam occasionem dare possint Liberis Religionis exiguam habendi curam. Quod si enim ab ipsa Juventute eos non nisi delicatis pascunt cibis, corpusque reddunt effæminatum, facile fieri potest, ut nonnisi iis delectentur in posterum, quæ sensus suaviter titillare possunt. Cum vero religio talia inculcet officia, quæ pravis cupiditatibus valde ingrata sunt, manifestum est, ejusmodi educationem animos reddere a religione alienos. Quod ad Fortunam & externam felicitatem Liberorum spectat, possunt sæpe Parentes in causa esse, quo minus virtus & religio in animis Liberorum agat radices, idque variis potest fieri rationibus: v. gr. quando Parentes mature satis sua dilapidant bona, fieri sæpe solet, ut Liberi vel ad desperationem adigantur, vel tale vitæ genus eligere teneantur, in quo de pane lucrando unice debent esse solliciti. Culturæ vero mentis potissimam debent rationem habere Paren-

Parentes: notum est recens in lucem editos Infantes, ut in aliarum, sic potissimum rerum divinarum versari ignorantia: certe postquam animi sensa exprimere didicerunt, nulla vestigia deprehendimus, innatarum quarundam de Deo rebusque divinis, idearum, licet quidam nulla experientia confirmati, id asserant. Manifestum simul est, eos dolore & voluptate ad aliquid agendum vel omittendum induci. Necesse igitur est, ut aliunde auxilium ad perficiendas rite facultates mentis adferatur. Persuasi ergo debent ante omnia Parentes esse, præcipuam officiorum suorum partem erga Liberos in eo positam, ut curam gerant culturæ rationis. Hæc vero absolvitur cognitione rerum præstantissimarum & amore virtutis. Quædam igitur Parentibus vitanda, quædam præstanda. Cavere debent Parentes, ne sua incuria & malo exemplo teneris infantibus tales instillentur sententiæ & opiniones, quæ accedente maturiore ætate animos ab amore religionis & virtutis possint reddere alienos; ab altera parte omni studio & contentione animorum id agere debent, ut quantum in se est reverentia Numinis alte animis infigatur, crescenteque ætate ea læta proferat germina. De utroque quædam monebimus, Lectorem vero harum rerum cupidum ad eos amandamus Auctores, qui data opera de Educatione Liberorum scripserunt. (*)

Quæ evitanda sint Parentibus singillatim exponitur.

III. Ante omnia persuasi esse debent Parentes, infantes suæ potissimum, non vero aliorum, id est, servorum & ancillarum curæ esse commissos. Deus enim, qui hæc amoris ipsis largitus est pignora, eo ipso vult, ut de eorum salute quam maxime sint solliciti. Præcipua autem, ut ante diximus Liberorum felicitas in eo est posita, si eximiis animi dotibus & virtutibus, inter quas eminet vera pietas, sunt exornati. Notum autem plerosque Servos & ancillas exigua notitia puræ castæque Religionis instructos esse, neque adeo teneris mentibus prima pietatis elementa tradere posse. Cavendum ergo I. ne Infantes mature ineptis, fabulosis, & superstitiosis imbuantur opinionibus: Solent, ut notum est ancillæ & nutriculæ vel somni capiendi, vel evitandi ejulatus causa, multas infantibus narrare fabulas, ridiculas & ineptas, de Spectris v. gr. & lemuribus, quæ quidem licet non malo animo narrentur, altissimas tamen & amaras radices in animis infantum relinquunt. Sæpe etiam ridiculæ fabellæ ipsi sanitati nocent, quando quidem non raro metum in animis nocte ingruente excitant. Quando igitur Parentes animadvertunt, aniculas pupulis tam ineptas tra-

(*) Tales sunt *Fenelonius*, *Crousazius*, *Lokius*, *Tillotsonius*, *Sulzerus*, aliique plures.

tradere fabulas, ſeveré ſunt increpandæ & jubendæ potius infantibus eas exponere narratiunculas quæ & delectari & prodeſſe poſſunt. II. Neque permittere debent Parentes, ut pro lubitu vel conſuetudine ſervi vel ancillæ precum formulas præſcribant, & memoriæ Infantum imprimant; ſæpe enim illæ vel nullum fundunt ſenſum, vel ætati huic non conveniunt. Ipſi contra Parentes breves & ſententioſas tradant pueris & puellis precatiunculas, easque ita recitent, ut ex voce & geſtibus pateat, ea, quæ recitantur, attentione quam maxime eſſe digna. III. Cavere debent Parentes, ne ipſimet in conſpectu Liberorum (quanquam hoc ſemper evitandum ſit) vel verbis vel factis occaſionem ſubminiſtrent, ſiniſtras de religione & virtute imbibendi opiniones. Poſtremum autem fieri ſolet (a) ſi de Religionis negotiis ſine debita reverentia loquuntur, aut dubia ſua de religione concepta ſine pudore effundunt. Attentiores ad hæc pueri & puellæ eſſe ſolent, quam vulgo exiſtimatur. Peſſimum autem in hoc negotio eſt, quod arreptas ſemel opiniones non raro auctoritate Parentum ſuorum defendere adſueſcant. (b) Fit id per temerariam jurandi conſuetudinem. Ita enim exiſtimant Liberi, tam frequentem jurandi conſuetudinem vel decus & ornamentum afferre ſermoni, vel ſaltem licitam eſſe: cum vero poſtea decalogum addiſcunt, audiuntque nomen Domini non eſſe in vanum ſumendum, non ita rigide hiſce inſiſtendum eſſe credunt. Quando autem poſtmodum creſcente ætate audiunt, falſa juramenta inter Chriſtianos eſſe frequentiſſima, in ſua confirmantur opinione. (c) Neque præſentibus Liberis, de Divitiarum præſtantia, formæ pulchritudine, ſplendore ædium & villarum, de ciborum & potus varietate, de varii generis cupediis multis loquendum eſt, alias facile, quod & triſtis eheu docet experientia, credunt, in horum bonorum poſſeſſione omnem veram felicitatem poſitam eſſe, & quærendam pecuniam cæteraque bona tantis laudibus elata primùm, virtutem poſt numos. Quum enim pueri & puellæ, iis cum maxime inhient, quæ ſenſibus grata & accepta ſunt, incredibili deſiderio in talia bona feruntur, & ſæpe poſtea per univerſam vitam his deliciis capiuntur, infeliciſſimosque eos prædicant, qui bonis hiſce deſtituti ſunt: vix autem fieri poteſt, ut tales inſignem aliquam in virtutis ſtudio & pietatis exercitiis, quærant voluptatem. (d) A rixis, contentionibus, jurgiis, cum primis vero a craſſis imprecationibus adverſus ſe ipſos temperare ſibi debent Parentes. Quando enim talia advertunt Infantes non ſolum reverentia erga Parentes, quos amare & colere debe-

rent, sensim sensimque minuitur & sæpe extinguitur; sed & ad similia adversus alios perpetranda ita quasi invitantur, quo ipso amor pietatis adversus alios non parum labefactatur. (e) Inprimis autem multum impietatem Liberorum promovet ignorantia Parentum in iis, quæ ad cognitionem veram religionis & cultus Numinis pertinent. Quod enim ipsimet magni non faciunt, sollicite, uti tenerentur, Liberis non commendabunt. Hinc etiam tales Parentes rarissime de Deo, rebusque divinis, de virtutis præstantia & insigni fructu, de vitiorum vero fœditate sermocinari solent, unde colligunt Liberi, hæc ad promovendam hominum felicitatem parum facere. Ita pariter Parentes, qui obscœna & auditu fœda, non raro præsentibus Liberis effutiunt, vel tetras calumnias, quæ hinc inde contra alios sine ullo sæpissime fundamento sparguntur, lubenter tamen & frequenter recitant & adaugent, vehementer pietatis studium in animis Liberorum reprimunt.

Ostenditur quid præstandum sit Parentibus.

IV. Postquam breviter monuimus, quæ cavere & evitare debeant Parentes, paucis etiam, quid ipsis præstandum sit, ostendemus. Hæc vero sequentibus constant articulis I. A teneris, quantum ætatis ratio fert, Numinis Reverentia Liberis est implantanda. Eum in finem frequentissime cum iis de Sapientia, potentia & bonitate Numinis virtutisque præstantia & utilitate est differendum. II. Religio, id est sincerus Dei amor & cultus, tanquam res, quæ veram nostram felicitatem promovere possit, est repræsentanda. Utendum autem non est fictis vel hyperbolicis, sed clarissimis & simplicissimis rationibus. Hæ fluxa hac ætate identidem sunt repetendæ, inculcandæ & infigendæ. III. Religio non est tanquam res tetrica valde & molesta, sed tanquam amabilis & jucunda depingenda & ostendendum omnia officia pietatis non solum esse rationi consentanea, sed & ita comparata, ut, si iis rite defungamur, nostram certissime promoveamus felicitatem: talia præcipue esse sequentia: Deum nimirum optimum, sapientissimum, beneficentissimum supra omnia amandum & colendum; in eo omnem nostram fiduciam reponendam: ad eum preces fundendas: voluntati ipsius quæ nunquam non sancta & conducibilis nobis sit, obsecundandum: præstandum proximo id, quod nos jure nobis ab eodem præstari exoptemus; virtute denique nostram internam & externam felicitatem promoveri. &c. &c. IV. Quando pueri vel puellæ in juvenilibus gaudiis lusibusque toti sunt defixi, non statim inde sunt ad preces vel ad alia officia pietatis statis horis defungenda, protrahendi: faciunt enim id animis repugnantibus & sensim sensimque non

solum

solum adsuescunt sine attentione preces fundere, sed & religionem ipsam tanquam rem onerosam valde & molestam intuentur, quo facto ab illius amore potius retrahuntur, quam ad eam inducuntur. V. Nihil de articulis religionis Liberis est sine explicatione perspicua inculcandum. Hoc si non mature observetur, in obscuris adquiescunt, neque ad salutarem Religionis cognitionem & amorem postea incitantur. VI. Plura eodem tempore de articulis religionis tenerorum infantum memoriæ non sunt infigenda. Felicioris etiam ingenii pueri vel puellæ, multitudine rerum addiscendarum turbantur & fatigantur. Multi Parentes in eo peccant, & cognitionem religionis, qua imbuuntur Liberi, metiuntur multitudine precum, sententiarum, & testimoniorum S. Scripturæ, quæ memoriæ mandata sunt. VII. Cum pravi affectus & ad mala inclinationes, mature satis in Infantibus se se exerant non sine prudentia his se se opponere debent Parentes, addita nimirum semper ratione, cur hæc vel illa omittenda sint. Quanquam enim Parentes satis auctoritatis habeant, ad coercendos impetus pravos Liberorum, præstat tamen, si objurgationibus semper addantur rationes, captui Liberorum accomodatæ: ita enim crescente ætate sentiunt, non propter auctoritatem Parentum, sed ob rationum vim, hæc vel illa improbata vel commendata fuisse. (VIII.) Ipsis Parentibus incumbit, frequentes & ardentes ad Deum pro salute Infantum fundere preces. Quo enim magis fluxa est, & mutabilis hæc ætas, quo minus ad id quod salutare & utile est, attendunt; quo magis constat, quam variis casibus obnoxia sit improvida juventus; quo majore denique Liberos suos prosequuntur amore, eo frequentius pro illis ad Deum fundere preces suumque auxilium implorare debent.

Quid in hoc negotio præstandum sit Præceptoribus ostenditur.

V. Accedimus jam *secundo loco* ad publicarum Scholarum Præceptores, visuri, quid illis hoc in negotio sit præstandum. Atque hic ante omnia, cum variæ classes sint discipulorum, pro diversitate ætatis & profectuum, ponimus pro certo, Præceptores graduum illorum habituros rationem in negotio religionis; quanquam etiam cæteræ disciplinæ ita sint tradendæ, ut ubi ad altiores gradus deventum est, illæ culturæ rationis & Studio virtutis inserviant.

Primo ergo a Præceptoribus postulatur, ut Junioribus capita religionis principalia breviter tradant, explicent, unove vel altero argumento, eoque captu facili ea probent. Hæc vero frequenter sunt repetenda, & inculcanda, efficiendumque, quantum rerum natura & capacitas ingeniorum permittit, ut articulorum illorum accuratam habeant

beant notitiam. Extant passim ejusmodi Compendia, & indies magis eorum numerus, quæ Seculi nostri felicitas est, augetur. Interim quantacunque brevitate & simplicitate ea sint scripta, nisi ipsius Docentis solertia & prudentia accedat, parum prosunt. Profecto in tradendis simplicissimis veritatibus maxima opus est dexteritate, & judicii acie. Neque adeo facile est, uti quidam sibi persuadent, prima disciplinarum & religionis fundamenta rite ponere.

(II.) Proponenda autem hæc prima & præcipua Capita religionis stylo planissimo & simplicissimo. Quod si enim Docentes figuratis valde verbis religionis articulos pueris tradunt, iis, licet non satis intellectis, pertinaciter tamen adhærent, & in iis adquiescunt, quod si phrases postea mutaveris, aut planioribus utaris vocibus, stupent atque res ipsas mutari existimant. Hæc non monerem, nisi mihi compertum esset, morbum hunc, id est consuetudinem figuratis verbis, res ad religionem spectantes exprimendi, in ipsas penetrasse Scholas. Hinc pueri quidam ne preces quidem fundere possunt, sine metaphoricis locutionibus.

(III.) Quicquid de religione discipulis traditur & inculcatur, id ita explicandum, ut quantum natura rei patitur, non possint non intelligere. Quantum utilitatis habeat in progressu ætatis hoc monitum, verbis vix exprimi potest: ita enim sensim sensimque in animis eorum oritur cognitio clara & solida veritatum, quarum vim, ubi eas ad conscientiam revocant, non possunt non sentire, neque mixtura phrasium confusarum, a vero rectoque religionis sensu se se abripi patientur.

(IV.) Ut id obtineatur, frequentes sunt instituendæ exercitationes catecheticæ, eum nimirum in finem habendæ, ut exinde pateat, quomodo veritates in medium propositas intelligant. Atque hic non est sequendus quorundam præposterus mos, qui sententia vel testimonio a Discipulo in medium prolato, fuse, quasi Concionatoris munere defungerentur, de argumento disserunt, cum tamen id potissimum agatur, ut cognoscatur quomodo pueri veritates traditas intelligant, non vero quanta sit docentis rerum divinarum peritia. Atque hic etiam majore arte, quam vulgo putatur, opus est. Elicienda enim sunt quæstionibus & interrogationibus latentia in animis puerorum cogitata, eaque corrigenda vel probanda: ita adsuescunt de rebus divinis pariter atque humanis rite meditari.

(V.) In genere vero Præceptoribus in id enitendum est, ut majorem

jorem semper judicii, quam memoriæ habeant rationem; hoc enim nisi fiat, nunquam pueri ad solidam rerum humanarum & divinarum pervenient cognitionem; unde etiam manifestum est, necesse esse, ut Præceptores ipsi, qualemcunque disciplinarum partem tradituri, *artis cogitandi* præceptis sint imbuti. Ita enim semper Institutioni sua constabit ratio. Ex quo etiam hic fructus nascetur, ut nimirum pueri quo magis ætate crescunt, eo majore cum gaudio & animorum contentione disciplinas addiscant, ita enim earum usum percipiunt. Ubi vero memoriæ sunt mandanda, quæ aut plane non, vel saltem non satis intelligunt, inviti ad pensa præscripta rite pertractanda animos adjungunt, & incipiunt Litteras odisse, antequam accuratiorem earum sibi compararunt notitiam. (VI.) Religio ipsa, & præcepta Dei, non tantum tanquam rationi convenientissima & in omni vita utilissima sunt pueris repræsentanda, sed & iis insinuandum, ea, si mature iis obtemperent, præstitu postea fore valde facilia. Sunt enim, ut notum est, juvenes natura ita comparati, ut omne, quod molestum est, fugiant, eaque duntaxat sectentur, quæ jucunda ipsis videntur. Itaque fronte serena, non tetrica & Magistrali tradenda sunt Religionis & virtutis præcepta. Ubi cum baculo & virga religio inculcatur, animus metu perculsus rem ipsam amare desinit, & religionem non majoris æstimat, quam præcepta Grammaticæ. (VII.) Capita de Theologia naturali & veritate Religionis christianæ pro captu ætatis sedulo sunt inculcanda, neque cessandum unquam in doctrina hac animis infigenda. Non est putandum, pueros veritatum harum intelligendarum capaces non esse! contrarium me sæpius edocuit experientia. At has veritates facili methodo debet tradere Præceptor, omniaque, quæ ad subtiliorem harum veritatum demonstrationem faciunt, resecare, & in aliud tempus transferre. Quomodo hoc negotium instituendum sit, exemplo suo monstravit ὁ Μακαρίτης *Venerandus Osterwaldius* in suo *Catechismo*. Majoris profecto momenti res est, quod hic inculco, quam vulgo putatur. Sunt Præceptores qui egregie se suo officio defunctos putant, si pueri integrum Catechismum memoria tenent, licet præcipuos articulos in eo contentos, non rite intelligant. Sæpe etiam minoris ponderis veritates non minus urgent, quam gravissimas, de quibus tamen infra plura. (VIII.) Præmuniendi sunt omni data occasione puerorum animi contra opiniones vulgares, falsas, & superstitiosas, quas vel domi audiunt, vel a condiscipulis acceperunt: castæ religioni ut plurimum inimicæ sunt illæ opinio-

nes, altasque in animis agunt radices. Bene ego memini illius temporis, quo cum condiscipulis Vere & æstate in gramine consedimus & singulari cum voluptate mutuo narravimus miras de spectris & lemuribus fabellas & portentosas de immensa sagarum potentia fabulas, quæ profunde animis nostris infigebantur, & quas viri facti, vix deposuimus. Habent Præceptores plures occasiones de hisce loquendi, atque τερατολογιας illas explodendi. Pessimum hoc est, quod multi, ejusmodi opinionibus imbuti, sed nullis disciplinis severioribus exculti, neque religionis satis gnari, ubi inter exteros versantur, & audiunt tales fabellas explodi, & albis dentibus rideri, incipiant de religione ipsa dubitare. (IX.) Ubi ætate pueri crescunt, & egregias sententias e Græcis & Latinis Scriptoribus petitas addiscunt, ostendendum est, præstantissimos omnis ætatis Viros, his scriptis delectatos fuisse, non tantum ob styli puritatem & elegantiam, sed eam potissimum ob causam, ut inde egregia recte vivendi præcepta haurirent. Hinc bene facient Præceptores superiorum classium, si doctissimi *Rollini* tractatum, *de methodo tradendi humaniores Litteras evolvant.* Semper enim pueris ingeminandum est, utilia esse opportere ea quæ discant, linguasque eum in finem potissimum addisci, ut quæ in præstantissimorum Virorum scriptis præclare dicta & facta leguntur, in usus nostros revocemus, (X.) crescente ætate, in religionis negotio altius est progrediendum, ita tamen, ut principia primaria maximique momenti, non solum identidem inculcentur, & repetantur, sed & pro gradu ætatis, & ingeniorum, sensim sensimque in clariore luce collocentur: atque hoc non solum de theoreticis articulis, sed & de practicis est intelligendum; nihil vero tradendum, quod non grave, momentosum, & utile sit, suaque secum ferat commoda, & vera ad pietatem incentiva. Omittendæ vero in hac ætate meræ hypotheses & minutæ controversiæ (XI.) mature monstrandum discipulis quantum menti pariter & corpori noceant pravi affectus; quantum contra utilitatis adferat virtutis studium. Exemplis denique v. gr. *Josephi* & *Filii prodigi* monstrandum, quam diversi plane sint virtutis & vitiorum exitus. Hæc enim altius penetrant in animos juvenum quam nuda præcepta (*)

(XII)

(*) Tot sunt pervestigandæ veritatis & exercendæ virtutis in hac vita impedimenta ut mirum non sit plerosque mortales a vera Sapientiæ via aberrare. Ea summatim repræsentat Vir ingeniosus, *Esprit Flechier* in libello cujus titulus: *La fausseté des vertus humaines*, Lib. II. cap. VIII. pag. 66 Ita de hoc argumento loquitur: *Il y a fort peu de gens, en qui la raison raisonne elle seule, & que la plûpart raisonnent*

(XII.) ubi animadvertunt Præceptores, discipulum aliquem superbum esse, & cristas tollere, ob qualemcunque scientiarum cognitionem, mature huic vitio est resistendum, ostendendumque hoc non solum maximum esse in cognitione veritatis impedimentum, sed & tales sapientum omnium risui exponi. (XIII.) Denique multis rationibus & exemplis est monstrandum, virtutem a sapientissimo quoque semper fuisse æstimatam, & non solum dignis elatam laudibus, sed & præmiis in hac vita condecoratam, imo scelleratos etiam sæpe Homines, volentes nolentes, veneratione virorum pietate & virtute eminentium, tactos fuisse.

De officiis eorum, qui graviores disciplinas tractant, agitur.

VI. Accedimus jam quidem ad eos Doctores, qui in Academiis & Gymnasiis graviores disciplinas tradunt, visuri, quid & his præstandum sit, quando Auditores suos adversus Incredulitatis & impietatis periculum præmunire volunt. Possunt autem plerique Doctores publici licet Theologiam non tradant, multum tamen ad hoc negotium conferre. Humaniorum Litterarum Professores equidem in id eniti debent, ut optimarum Litterarum studiosi elegantiam latini & græci sermonis rite addiscant; attamen & illi plurimum conferre possunt, quod religionem & sapientiam commendare possit, idque duplici ratione; *prior* est, quando Auditoribus suis ostendunt, quam sit ratio, prava superstitione corrupta, imbecilla; quam turpiter præstantissimi Antiquitatis Viri culturam rationis neglexerint; in quot propterea prolapsi sint vitia; quam sit eorum contra conditio felix, qui ab ineunte Adolescentia, procul omni superstitione, non solum nobilissimis disciplinis exculti sunt, sed & iis in locis nati, ubi pura castaque floret religio. Id vero manifestis data occasione est monstrandum Exemplis: *posterior* est, si elegantiorum Litterarum cultoribus ostendunt, præstantissimos, & eruditissimos Antiquitatis Viros, non solum religionem a superstitione probe discrevisse, sed & virtutem semper considerasse tanquam præcipuum publicæ & privatæ felicitatis fulcrum, hominesque, qui omni religioni bellum indixerunt, pro peste Imperiorum & Rerum

sonnent avec leur temperament, leur éducation, leur imagination, leur préoccupations, leur passions, & avec deference qu'ils ont pour ceux qu'ils estiment. Par le Tempevament, les uns aiment des opinions extrémes & les autres les douces & moderées. Par l'éducation chacun s'attache à celles, qu'on lui a enseignées, qui sont pour l'ordinaire aussi differentes qu'il y a des Précepteurs differens. L'imagination trompe tous ceux, qui se servent d'elle, & leur fait prendre ses visions pour des pensées solides. Les préoccupations ferment l'esprit & le mettent dans une impossibilité morale d'avoir d'autres vues: Le passions corrompent le jugement, & la deference la soumet à celui des autres.

Rerum publicarum habuisse. Eum in finem monendi sunt humaniorum Litterarum cultores, ut non solum ad stylum, sed & ad res ipsas attendant & egregia præcepta ad virtutis studium facientia, non solum chartis illinant, sed & alte animis infigant. Hic enim præcipuus lectionis veterum scriptorum & sapientiæ Antistitum fructus est. Eum in finem legant Docentes, varias *Chrestomathias* a pluribus viris doctis conscriptas, in quibus egregia morum præcepta continentur. Nuper demum *Celeb. Altmanni* opera Tiguri editæ sunt egregiæ sententiæ morales e *Ciceronis* Libris petitæ, & collectæ ab *eruditissimo Abbate Oliveto*, quibus bonæ frugis plenissimas Editor adjecit notas, germanico idiomate exaratas. Qua vero ratione lectio Græcorum & Latinorum instituenda sit, ut etiam mores juvet, optime docuit supra laudatus *Rollinus* tomo tertio Libri supra commendati *de la maniere d'enseigner & d'étudier les Belles Lettres.* His addenda, quæ *Doctissimus Clericus* monuit cap. I. *silvarum philologicarum Æschinis Socratici Dialogis adjectarum.* Eundem in finem nuper in gratiam studiosorum Eclogas ex optimis græcis scriptoribus collegit, notisque illustravit *Celeberrimus & conjunctissimus Collega Breitingerus*, quæ hoc ipso anno Tiguri *Litteris Conr. Orellii* editæ sunt. Sed afferenda sunt in gratiam Auditorum nostrorum quædam de hoc argumento veterum testimonia, quibus, id, quod dixi confirmatur. *Quintilianus* Lib. I. cap. Ita pronuntiat: *Teneræ mentes, non modo quæ diserta, sed vel magis quæ honesta sunt discant. Itaque non Auctores modo, sed etiam partes operis elegeris. Nam & Græci licenter multa, & Horatium in quibusdam nolim interpretari. Val. M. L. VI. cap. 3. de Archilocho* Poëta lascivo hæc narrat: *Lacedæmonii Libros Archilochi ex civitate sua exportari jusserunt, quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrantur. Noluerunt enim ea Liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodesset. Itaque maximum Poëtam, aut certe summo proximum, quia domum sibi invisam obscœnis dictis laceraverat, carminum exilio multarunt.* De culto divino ejus necessitate ita inter alios locutus est *Cicero de N. D. L. II S. 28. Deos & venerari & colere debemus: cultus autem Deorum est optimus, idemque castissimus, atque sanctissimus plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta, & mente & voce veneremur: non enim Philosophi solum, verum etiam Majores nostri superstitionem a religione separarunt. De legibus* Lib. II. S. 7. Ita loquitur: *Sit igitur jam hoc a principio persuasum civibus, Dominos esse omnium rerum ac Moderatores Deos: eaque quæ gerantur Eorum geri ditione*

ne ac Numine, Eosdemque optime de genere hominum mereri: & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri; piorumque & impiorum habere rationem. Utiles autem esse opiniones has, quis neget, cum intelligat, quam multa firmentur jure jurando: quantæ salutis sint fœderum religiones; quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit; quamque sancta sit societas civium inter ipsos, Diis immortalibus interpositis, tum judicibus tum testimoniis: unum tantum his adjiciam testimonium nimirum *Arriani*, celeberrimi stoici, qui adversus Epicureos & Academicos disputans, ita Lib. II. cap. XX. secundum versionem H. *Wolfii* pronuntiat. *Quid ais Philosophe? De pietate & sanctitate quidnam tibi videtur? si voles ostendam res esse bonas? utique ostendito, ut nostri cives ad cultum Numinis convertantur, & maximarum rerum neglectum abjiciant. Habes ergo probationes? Habeo: & ego gratiam tibi habeo. Quando ergo ista valde tibi placent sume contraria: Deos neque esse neque si sint, curare Homines; neque ullam nobis societatem cum illis intercedere: sed pietatem istam & sanctitatem vulgo hominum celebratam, commentum esse insolentium hominum & sophistarum atque adeo Legumlatorum ad terrendos & coercendos injurios Recte Philosophe juvisti nostros cives, adolescentiam universam ad legum divinarum contemtum jam revocasti. Quid ergo? Accipe nunc justitiam nihil esse. Verecundiam esse stultitam. Patrem nihil esse, filium nihil esse: Euge Philosophe, perge, persuade ista adolescentibus, ut plures habeamus, qui idem & sentiant & dicant: Auctæ sunt nobis hisce sermonibus bene constitutæ Respublicæ. Lacedemon hujusmodi Oratione informata est. Licurgus suis legibus & institutis has persuasiones introduxit, neque servire turpe esse potius, quam honestum, neque libertatem honestam esse potius quam turpem. Qui ad Thermopylas occubuerunt propter hæc decreta occubuerunt. Athenienses vero, quas alias ob causas civitatem reliquerunt? & qui ista dicunt, uxores ducunt, Liberos procreant, Rempublicam capessunt & Sacerdotes & vates sibi constituunt. Quorum? Eorum, qui non sunt, & Pythiam sciscitantur ipsi, ut falsa audiant, & aliis oracula ennarrant O impudentiam & impostruram singularem!* Humanioribus Litteris adjiciendum studium cognoscendæ artis criticæ & philologiæ (de S. Litterarum cultoribus loquor) sacræ. Harum disciplinarum accurata notitia duplicem præstat usum. Primo enim qui talibus delectantur, modo sapiant, tempus in obscuris & parum profuturis quæstiunculis theologicis conterere non solent; deinde apti

redduntur ad Deistarum argumenta contra hæc vel illa S. Litterarum loca allata, rite examinanda & refutanda.

De eodem officio plura afferuntur.

VII. Multum autem ad religionem amandam & tuendam conferre possunt philosophicarum disciplinarum Professores. Quid illis præstandum sit breviter exponam. Et (I.) quidem in genere monstrandum est optimarum Litterarum cultoribus, quantum sit, & quam pretiosum beneficium Dei, quod nobis concesserit facultatem res divinas pariter & humanas, quantum necesse est ad felicitatem nostram promovendam, cognoscendi: ope hujus facultatis non solum addisci varias artes & disciplinas generi humano proficuas, sed & optimi Numinis virtutes & voluntatem cognosci. Ex quo colligendum, ad excollendam hanc facultatem cœlitus nobis concessam, omnes ingenii nervos esse intendendos. (II.) Præmuniendi sunt discipuli contra eos Doctores, qui minus circumspecte de *usu rationis* in Theologia loqui solent. Sunt enim eheu! multi, qui se religionem valde confirmaturos putant, si quavis data occasione in rationem, & Philosophiæ studium debachentur. Non possunt autem non homines incautos & artis ratiocinandi minus peritos in eam adducere opinionem, ac si nimirum revelata religio talia traderet, quæ cum rectæ rationis decretis nullo modo in concordiam redigi possent, qui pestilentissimus error est. Hac pessima arte usus vel potius abusus est P. *Baylius*, non ad religionem tuendam, & altissime animis infigendam, sed ad eam suspectam reddendam, vel saltem ad ingenii sui aciem, & de quibusvis rebus utramque in partem disputandi promptitudinem & capacitatem demonstrandam. Ostendendum denique, nonnisi Doctores umbraticos, Philosophiæ ignaros, nullo habito discrimine, detonare contra eos, qui culturæ rationis diligenter incumbunt. Contra vero frequenter ingeminandum, quod nimirum, quo quis magis rationis vires intendat, eo magis etiam cœlestem originem religionis christianæ perspecturus sit. Exemplorum insuper inductione probandum, multos in Atheismum vel Deismum prolapsos, quod rationem non satis excoluerint, & Philosophiæ studium neglexerint. Probavit hoc integro capite *Celeberrimus Clericus* in egregio libello de *causis incredulitatis*. Afferamus unum vel alterum ex cap. IV. *Il y a des Gens* (inquit) *qui ont été occupés de leur enfance à un métier, ou à un negoce attachant, ou à quelque autre occupation plus considerable, sans qu'on ait eu aucun soin de leur former l'esprit, ni même de les instruire de la Religion; & qui d'ailleurs s'étant trouvé d'un naturel peu propre à concevoir des choses rele-*

relevées & néanmoins fier & presomptueux, sont venus à un âge mûr sans instruire d'avantage & sans se corriger de leur Orgueil. Ces gens là sont rarement bien persuadés de la verité de la Religion chrétienne; ils la rejettent même souvent toute entiere, ou au moins en partie; non seulement parce qu'ils en ignorent les preuves, mais encore, parce qu'ils ne les comprenent point, lors qu'ils les entendent dire par ceux qui les savent. Ces esprits grossiers & aveugles s'imaginent, qu'il n'y a rien de véritable, que ce que les sens leur font appercevoir, ou qu'ils ont reconnu par leur propre experience être possible, ou enfin qui se trouve conforme à leurs passions. Ce n'est pas seulement parmi des Gens occupés d'un métier, ou d'un négoce, qu'il se trouve de cette espece des incrédules; il y en a peut-être encore plus parmi ceux, qui aspirent à des grands Emplois, parmi les Gens d'épée & en general parmi les personnes de Qualité. On peut dire, que ces sortes de personnes ont reçû plus d'éducation que les autres, à l'égard des manieres du monde ou des emplois auxquels on les destinoit. Mais dans le fonds, il est aussi commun d'entendre cette sorte des gens raisonner pitoyablement sur la Religion que les plus grossiers d'entre la populace. Quand ils ont vieilli dans des pensées peu conformes au Christianisme, leur vanité naturelle, augmentée par l'âge, les rend plus opiniâtres & quelque fois tout à fait inaccessibles à la vérité. C'est en vain qu'on leur propose les raisonnements les plus convaincans, ils les regardent comme de purs sophismes; quoi qu'ils ne sachent point en quoi un Sophisme differe d'un raisonnement solide. Confer ejusdem libelli Cap. V. Part. I. (III) Doctrina de præjudiciis homines a veri cognitione abducentibus, probe est inculcanda, variisque exemplis illustranda; inprimis vero monstrandum, quantum ea religioni noceant, quam facile ea in graves errores conjiciant, aut semel temere admissos confirment. Præcipue vero in lubrica hac ætate antiquitatis & novitatis præjudiciis obviam eundum. Alacrioris ingenii Adolescentes citius, quam par est, ad Eruditionis gloriam grassari volunt, eamque se facile obtenturos putant, si novas & paradoxas opiniones in medium proferant; alii quibus obtigit servile ingenium, Antecedentium & Majorum turbam sequi malunt: utrique ad serium amorem veri sunt adhortandi: cavendum inprimis est publicis Doctoribus ne erectioris ingenii Adolescentem novis opinionibus inhærentem, propterea odio habeant; facile enim ita agendo non tantum ipsimet in contemptum adducuntur, sed & ea, licet sint præstantissima, quæ traduntur, postea spernuntur. (IV.) Pariter doctrina de demonstratione, & de variis gradibus verisimilitudinis, probe est in-

inculcanda ; ita enim discunt, quomodo assensus sit moderandus, & quam multa requirantur ad veri nominis demonstrationem : docendum veri nominis demonstrationem versari circa ideas abstractas & adæquatas, quales reperimus in numeris & figuris ; in cœteris Disciplinis nos oportere ut plurimum , contentos esse, certis verisimilitudinis gradibus ; inepte igitur illos agere, qui veritatibus quibusdam adsentiri nolint, quod eæ ad summam evidentiæ gradum evectæ non sint. &c. Hæc deinde facile ad sanctiores transferuntur Disciplinas. Neque inutile erit, quandoquidem Philosophiæ Professores de *sermone* ejusque legitimo usu agere debent, commendasse Auditoribus egregium libellum τὰ Μακαρίτα *Celeb. Werenfelsii de Logomachiis Eruditorum ;* Ita enim mature discunt, quinam fontes hujus mali : quanta dissidia sæpissime ob eas, etiam inter fratres orta ; quam turpiter se dederint, qui aut de vocibus , aut de rebus nullius momenti , acerbissimas contentiones excitarint, & quomodo hisce sit occurendum.

Qui *Physicam* tradunt, O. L. studiosis, duo potissimum , quæ ad scopum nostrum faciunt, præstare debent. *Prius* est , ut multorum exemplorum inductione probent , quam sit cognitio nostra circa minimorum etiam corporum essentiam imperfecta ; quam difficulter factis etiam experimentis in causas innumerorum effectuum in natura occurentium penetremus : ita enim sensim sensimque edocentur, mirum non esse , si quædam cognitu difficiliora deprehendantur in ipsa revelatione. Hunc usum physicæ exemplo *atomi* ostendit jam laudatus ὁ Μακαρίτης *Celeb. Werenfelsius* cujus etiam Epigramma *in partium in quolibet corpore infinitatem* lectu dignum est. *Posterius* in eo consistit, ut nimirum is , qui physicam explicat , Adolescentibus , qui suo tempore Pastorum munere (quorum major semper quam cæterorum numerus est) usus finesque Creatoris ostendat , eosque ad Venerationem Numinis perducat, ita quidem , ut pro mensura ætatis & ingeniorum capacitate sentiant , nihil temere, nihil sine causa ab Optimo Numine factum esse , sed omnia ad sapientissimos fines esse redacta ; impium proinde & ineptum esse , naturæ Auctorem propterea velle carpere, quod non omnium plane corporum nos circumstantium usus & fines ad digitos numerare possimus. Cum vero ad demonstrandam & cognoscendam religionem opus sit peritia artis ratiocinandi , & accurato judicii usu , disciplinæ vero Mathematicæ ad acuendum ingenium plurimum valeant , haud male agunt etiam sanctiorum disciplinarum cultores, quantum cætera studia permittunt , si his disciplinis vacent, saltem

saltem eum in finem, ut plurimum in ratiocinando valeant. *Celeb. Werenfelsius* postquam cap. X. de *Logomachiis Eruditorum* monuisset, discipulos in tenera ætate non nimis assuefaciendos studio contradicendi, suadet, ut ad malum hoc evitandum, probe in disciplinis exerceantur mathematicis: Ego vero ad acuendum ingenium & ad ea, quæ in divinis & humanis rebus dijudicanda sunt, easdem adhibendas puto. *Exerceantur* (inquit pag. m. 572.) *in iis, ubi disputationibus locus non est, quales sunt arithmeticæ & geometricæ disputationes, adversus quas, si quis argumentari vellet, merito suo ab omnibus rideretur: quæ disciplinæ ad scopum nostrum propterea quoque utilissimæ sunt, quia nullæ aliæ magis a verbis nos ad res ipsas deducunt. Hæ solæ ab omnibus vocabulis nihil significantibus penitus sunt perpurgatæ: In his solis nemo in eo fallitur, quod voces quasdum, quibus nulla in mente distincta respondet notio, memoria tenens, rem ipsam sibi intelligere videtur. Scio non cuilibet licere, in his artibus conseneſcere, sed προπαιδειας loco periculum in iis facere, saltem in eum finem, ut mature discernere discamus, quid sit scire, quid sit nescire, ac propterea, quid nos ipsi sciamus, quid nesciamus, ubi nuda verba, ubi res ipsas teneamus, omnibus licet, & omnibus utile est, si non necessarium.* Qui *Ethicam* sive Philosophicam, sive Evangelicam publice tradunt, amplissimam habent occasionem Auditores suos contra graves & pietati inimicos errores communiendi. Quoniam omnia, quæ ab iis inculcantur, ad pietatis studium tendunt, non opus est, ut pluribus ostendam, qua ratione illi malo huic occurrere possint. (*) Unum

(*) Socrates, inter prisci ævi Philosophos facile princeps, primam laudem inter cæteras disciplinas deferebat Philosophiæ Morali, veram ad felicitatem viam monstranti: cæteras vero, quantum huic fini principali inservirent, excolendas esse existimavit, modumque in sapientiæ studio habendum esse prudenter monuit. Præclarus de hoc negotio extat locus in *Xenophontis memorabilibus. Lib.* IV. ubi ita juxta versionem disserit: *Geometriam eo usque discendam ajebat, donec posset, si usus ferret, terram vel recta metiendi ratione accipere, vel tradere, vel distribuere, vel opus designare. Atque hoc tam disci facile, ut qui animum ad dimensionem advertat, is & scire possit, quanta ipsa terra & cognita metiendi ratione dijcedat; verum in Geometria discenda progressum ad descriptiones usque intellectu difficiles improbat. Nec enim quid eæ res usus haberent, videre se ajebat, licet earum minime rudis esset: posse vero dicebat, eas omnem hominis vitam absumere, ac ab aliis multis utilibusque disciplinis avocare. Hortabatur etiam, ut in astrorum doctrina se exercerent eo usque, donec & noctis & mensis & anni tempora cognoscere possint, tum itineris & navigationis causa, tum excubiarum, aliarumque rerum quæcunque vel per noctem, vel in mense, vel in anno geruntur: ut ad ea certis indiciis uti possint, quibus illorum tempora dignoscerent. Atque hæc facile disci posse ab iis, qui noctu feras venantur, & a navium gubernatoribus, aliisque multis, quibus ejus curæ ut hæc sciant. At vero in Astronomia discenda eo progredi, donec & illa*

agnoscan-

tantum aut alterum monuisse non supervacuum erit. Et primo quidem nollem Auditorum mentes variis scholasticis quæstiunculis & distinctionibus teneri, sed perspicuis verbis, ea, quæ ad pietatis studium pertinent, argumentis solidis insinuanda esse existimo. (II.) Non ita urgenda sunt pietatis officia, ut in hominem etiam optimæ indolis & Dei reverentissimum præstatio talium officiorum nulla ratione cadere possit; tantum enim abest, ut ejusmodi exaggerationes hyperbolicis verbis expressæ, mentes hominum ad veræ pietatis studium inflamment, ut potius eas ab illius amore revocent. Eo enim ipso, quia deprehendunt, ea præstitu esse plane impossibilia, languore quodam & tepore corripiuntur. Nihil jam dicam de tot mysticis libellis, & qui parum ab his discrepant, nescio quibus pietatis practicæ officinis, in quibus obscuris & ampullatis verbis, res quæ clarissimis verbis, & solidis rationibus essent comprobandæ & insinuandæ, traduntur, de quo malo me alibi conquestum esse memini. Inprimis vero *tertio* doctrina de affectibus, Litterarum studiosis diligenter est inculcanda, atque per partes demonstrandum, quantum pravæ illæ animorum commotiones, non solum culturæ Litterarum, & felicitati humanæ sed & ingenio & judicio obsint, quamque facile homines a religionis amore retrahant (*) multorumque Exemplorum inductione ostendendum, quot Homines ingenio & doctrina non destituti, affectuum illecebris in præceps acti sint, & quot, non ob rationes graves & momentosas, sed

agnoscantur, quæ non sunt in eodem ambitu, & errantia vagaque sydera, & eorum a terra intervalla & circuitus eorumque causas inquirendo, diu se macerare, id vero ne facerent, vehementer dehortabatur. Quippe ne in his quidem ullam utilitatem se videre dicebat, quanquam eorum rudis non esset: atque etiam addebat, hæc quoque posse absumere vitam hominis, & a multis & utilibus eum arcere. Denique in universum dehortabatur, ne quis studium & operam in res cœlestes impenderet, quo scilicet artificio Deus omnia moliatur. Nec enim posse ea ab Hominibus inveniri putabat, nec Dis eum rem gratam facere arbitrabatur, qui, quæ illa manifesta esse noluissent, inquireret. Hortabatur etiam ut numerorum rationes discerent, & in hac pariter ac in aliis monebat, ut ab inani occupatione sibi caverent: atque adeo tum ipse hanc eatenus pervestigabat, quatenus esset utilis, tum una cum familiaribus perquirebat. Vehementer etiam familiares suos hortabatur, ut valetudinis curam haberent, ac partim a peritis, quæ possent, discerent, partim singuli per omnem vitam se ipsos observarent, quinam cibus, qui potus, qui labor eis conduceret, & quo pacto his utendo, quam optima valetudine uti possent. Nam si quis sui rationem ita haberet, difficile, ajebat, esse, ut medicum aliquis inveniret, qui ad valetudinem conducentia, facilius ipso judicaret. Si quis majora, quam Sapientia humana vellet adsequi, ei dabat hoc consilii, ut divinationi operam daret.

(*) Eleganter alicubi de hoc negotio loquens, dixit ingeniosissimus Fontenelle. *En matiere de plaisir il faut calculer. La sagesse doit toujours avoir les jettons à la main. Combien valent les peines dont il faudroit les acheter, ou qui les suivroient?*

sed ob pessimorum horum consultorum judicia in vitium incredulitatis inciderint, & ita quam maxime nociva sibimetipsis concitaverint pericula. Suadebit insuper (IV.) publicus disciplinæ nobilissimæ Doctor suis Auditoribus, ut omnia vitæ negotia, inprimis ea quæ ad religionem & felicitatem nostram faciunt, ἄθεϱ πάθων examinent, neque disquirant, utrum hæc vel illa præcepta affectibus nostris grata ac accepta sint; sed utrum, ea utilia, naturæ rerum consentanea, & religioni convenientia sint. Hisce præceptionibus, si animi Auditorum rite sunt imbuti, spes est eos serena fronte sublimiora religionis capita perpensuros. Ut vero cordati Adolescentes probe & accurate cognoscant, nihil temere esse agendum & statuminandum ut in cæteris negotiis vitæ humanæ, sic potissimum in iis rebus, ubi de religione & cultu Numinis agitur, Juris Naturæ & Ethicæ christianæ Professoribus incumbit, rite & solide tradere doctrinam de indole, natura, & obligatione conscientiæ & de variis ejus partibus: tenentur insuper diligenter inculcare, ad eam pure conservandam & custodiendam necesse esse, ut Homines accurata religionis cognitione imbuantur, atque ad eam, tanquam ad sanctissimam normam omnes suas cogitationes, articulosque fidei exigant. Inprimis vero monstrandum, nemini inter mortales jus in conscientias competere, nullamque habere vel Imperantes, vel religionis Ministros potestatem, pro lubitu religionis articulos aliis obtrudendi, sed religionem negotium esse, cujus examen ad omnes Homines, sive revelatione destituantur, sive non, pertineat. Hac ratione optimarum Litterarum cultores, ubi publici Doctores evadunt, discunt, non pro imperio suo & animi impotentia in his rebus esse agendum, aut dissentientibus a se esse insultandum, sed aliis licitum esse ad sacerrima conscientiæ jura provocare; docendum, in optimi cujusque & doctissimi animum errorem facile irrepere posse; eumque non nisi argumentis eximi posse. &c. Religionem esse rem liberam, neque metu aut auctoritate aliorum, sed rerum revelatarum certitudine & præstantia fidem Christianorum niti: ita vident Auditores candide cum iis agi, neque juberi in religionis negotio antecedentium turbam temere sequi.

Denique, ut de aliis disciplinis nihil addam, illi, qui ex professo Historiam Ecclesiasticam tradunt, hoc inter alia præcipue monere debent, fastum, superstitionem, aliis insultandi studium, ignorantiam & inclarescendi cupiditatem præcipuarum hæresium, contentionum & litium, quæ in Ecclesiis exortæ sunt causas fuisse, & adhuc esse. Hæc vitia tot violentas persecutiones sæpe excitasse, & frequentissime ab Ortho-

Orthodoxis pariter & Heterodoxis in hoc negotio graviter fuisse peccatum. Ita enim ipsorum Exemplorum inductione, ad modestiam in religionis negotio tenendam, inducuntur. Occasione insuper contentionum de rebus minoris momenti, quæ in antiqua pariter & recentiore Historia reperiuntur, inculcandum illis est, minutas opiniones non temere esse impugnandas, neque statim in dissentientes quosvis parata esse tollenda cornua. Simul vero monstrandum, quam male semper sibi consuluerint, qui sanctissima religionis vel naturalis vel revelatæ capita non solum variis objectionibus impugnarint, sed & posito omni pudore sæpe acerbis verbis perstrinxerint: ita ad prudentiam in gravissimo religionis negotio servandam induci possunt.

Repræsentantur officia Theologiæ Professorum.

VII. Cum vero Professoribus Theologiæ potissimum incumbat, ut ea omnia mature suis Auditoribus injungant, quæ animos ab Incredulitatis & impietatis vitio detrahere, contra vero reverentiam religionis & pietatis inculcare & commendare possunt, singillatim videndum est, quid illis hoc in casu sit præstandum. Et (I.) quidem mature edocendi sunt Auditores, qualis natura sit Theologiæ christianæ, & in quem potissimum scopum ea cum Hominibus sit communicata: nimirum non ad cerebrum infinitarum quæstionum mole onerandum neque ad disputandum & litigandum, sed ad cognoscendum veritates saluberrimas, ad virtutem exercendam, aliosque ad officia Numini præstanda excitandos. Ex quo facile colligere possunt, hanc disciplinam esse gravissimam & utilissimam, neque illi esse imputandum, quod multis in locis illa hirsutis quæstiunculis sit obnubilata, sed vanis hoc, superbis & scholasticis ingeniis esse tribuendum. (II.) Cum vero hoc non obstante multi Auditorum præposteris opinionibus imbuti, Academias etiam publicas frequentare soleant, quantum fieri potest, opiniones hæ ex animis sunt evellendæ. Jam vero publicis Doctoribus constat, multos studiosorum pestilentissima opinione esse imbutos, nimirum veræ pietatis studium nonnisi accessorium quid esse, contra vero apicem hujus scientiæ in eruditarum, necessariarum & non necessariarum quæstionum cognitione, esse positum. Unde etiam multi eheu! per tot utilium pariter & non utilium quæstiuncularum diverticula vagari solent, omnes ingenii nervos intendere debent, ut exitialem hunc errorem radicitus e cordibus eorum evellant. (III.) Cum experientia comprobatum sit, fastum mature optima etiam ingenia corrumpere, eosque ad contemtum religionis inducere, omnibus viribus Doctor publicus eniti debet, ut nocivam hanc herbam ex animis

animis Auditorum suorum, quantum in se est, evellat: Hoc enim malum efficit, ut nondum rite examinatis & expensis gravioribus religionis articulis partibusque nobilioribus ad studia theologica pertinentibus, nescio ob quam tumultuariam eruditionem magnifice de se sentiant, & corrasas hinc inde opiniones paradoxas, non solum exosculentur, sed & aliis tanquam pretiosas valde merces commendent. Hoc in casu Docentibus utendum est methodo Socratica, nihilque tale opinantes in cognitionem sui sunt adducendi, prolatisque paulo difficilioribus quæstionibus ita constringendi & in arctum cogendi, ut salutari afficiantur pudore. (IV.) Commendandi S. L. studiosis in omnibus partibus sanctissimæ disciplinæ tales Libri, qui Eruditissiorum Virorum judicio pro præstantissimis habentur. Consilium hoc quam maxime necessarium est ob varias rationes. Notum est, sæpe in Academiis pariter & Gymnasiis in manus tradi studiosorum Systemata paulo obscuriora, neque sive methodum spectes, sive delectum articulorum & argumentorum, ut de aliis defectibus nil dicam, Auditorum profectui accomodata. Hinc fieri sæpe solet, ut præstantioris ingenii adolescentes, aliquam historiæ theologicæ & literariæ notitiam adepti, ubi his meliora commendari audiunt, non solum publice receptos libellos nauseare incipiant, sed & consilio præpostero omnes promiscue, qui in manus incidunt & hinc inde laudibus extolluntur, libellos evolvant; unde sæpe fieri solet, ut non solum avide legant parum profutura, sed & talia, quæ animos nondum mascula eruditione communitos in periculosas & dubias sententias conjicere possunt. Huic autem malo prudens Doctor mature occurrere potest: qualis tamen non is est, qui ea sola commendat, quæ ipsi placent, sed qui meditatione & lectione præstantissimorum Auctorum adjutus, disciplinas theologicas & earum pondus pulchre callet, excellentique est instructus ingenio. Hoc non adjicerem, nisi perspectum satis esset, a plerisque Theologis ea commendari scripta, quæ sibimetipsis a suis olim commendata fuerunt Præceptoribus, unde ut plurimum tales discipuli evadunt Doctores umbratici, & eunt quo itur, non quo eundum est. Deplorandum est (verba sunt *Celeb. Pfaffii* in dissertatione de *vitiis Eorum qui sacris operantur*,) *eos, qui Litteras sacras tractant, ubi in Præceptorem incidunt, qui ipsemet falsam Theologiæ methodum sequitur ipsius amore captos (ita enim fieri solet, ut intellectus studiosorum, qui tabula rasa est, cedat primo occupanti, qui suis illum lineis suisque ideis implet) eadem quoque principia, eundem falsorum præjudiciorum cumulum imbibere atque degustare,*

ita ut vel tandem, cum in ſcrupuloſam conſcientiam res abierit, religio ipſis ſit, vel latum ſaltem unguem hinc recedere, aut ea quæ menti jam inſcripta ſunt, vel tantiſper in dubium vocare. Hinc cum ſaltem pauliſper a communi via recedi vident, contremiſcunt ſtatim ac anguntur, quaſi Hannibal ante portas eſſet, fidesque tota tempeſtate nova concuſſa, nutaret. Quando igitur eruditus & perſpicax Theologus præſtantiſſimos libellos ſuis Auditoribus commendat, non tamen unquam hoc ita facit, ac ſi in hiſce ſolis omnem ſcientiam theologicam repoſitam eſſe credat, aliorumque ſcripta contemnat. Ita enim efficeret ſua auctoritate, ut non tam rerum pondera expenderent, quam vero cæca admiratione abrepti, ſine examine Auctoris dicta ſequerentur. Eum in finem docendum, ſapientiam theologicam inter omnes ſectas Chriſtianorum eſſe diffuſam, & inter eos etiam, quos jure errare exiſtimamus, reperiri præcellentes Viros in his vel illis partibus Theologiæ verſatos probe & acutum valde cernentes: præſtare interim in hac ætate unum vel alterum ex optimis evolviſſe & ordinis habuiſſe rationem, ne multitudine rerum diverſarum mentes potius obruantur, quam vero ſolida rerum divinarum cognitione imbuantur; Elapſo curſu Academico in patentiſſimum Eruditionis theologicæ campum quemlibet veri amantem exſpatiari poſſe; ſed in hac ætate præſtruenda & probe tenenda, quæ in hoc Litterarum genere principalia & ſolidiſſima ſunt, cætera, quæ ad ornamentum & ad accuratiorem ſingularium partium notitiam pertinent, in aliud tempus differenda; primis & momentoſis illis capitibus Theologiæ frequenter & diu eſſe inhærendum, ita quidem, ut argumenta, quibus veritates illæ capitales probantur, altiſſime animis ſint infixa; ſine hoc, cognitionem religionis chriſtianæ debilem valde eſſe, neque talem, quæ Atheorum & Deiſtarum objectiones poſſit enervare. (V.) Monendi cumprimis Auditores, puram & ſalutarem religionis notitiam ex ſolis S. Litteris præſertim autem ex ſcriptis Chriſti & Apoſtolorum eſſe hauriendam. Ad harum normam omnia Syſtemata eſſe exigenda, & mature ſatis, non demum poſtquam plures annos in evolvendis ſyſtematibus contrivimus: ſcripturam cum commentariis philologicis frequentiſſime eſſe legendam: ſyſtemata omnia aliquid alieni & quod ſcholam ſapiat admixtum habere: tot diverſas opiniones & hypotheſes theologicas inde exortas, quod nimirum multi Docentium, non tam S. Scriptores, quam vero potius vel cerebri ſui commenta, vel auctoritatem Magiſtrorum ſuorum ſint ſecuti. In his Libris ſacris contineri omnia ſcitu factuque neceſſaria

ſine

sine mistura inventionum humanarum, modo eos legamus bono fine, qui est, ut non solum salutaria religionis capita ex iis addiscamus, sed & viam veræ felicitatis reperiamus. Cumque Christiani in suis systematibus theologicis inter se non parum dissentiant, monendum, ad nullos alios litis disceptatores, quam ad Christum & ad Apostolos recurri & provocari posse. Recte de hoc negotio judicavit *Reverendus Osterwaldius* in thesibus de *Orthodoxia* parti VIII. Musei Helvetici insertis (*) Neque putandum propterea Systemata reddi inutilia. Quod si enim in iis sine mixtura inventionum humanarum & inutilium quæstionum, præcipua capita doctrinæ christianæ repræsentantur, maximam habent utilitatem, cum non cujusvis sit, ea quæ de articulis religionis in S. Litteris continentur, ordine quodam naturali disponere,

(*) *Cum solemne sit* (inquit) *ut quilibet sententiam suam Orthodoxam putet: necesse est, ut recurramus ad certam ac constantem regulam & normam, unde quis hanc appellationem sibi & suæ sententiæ vere tribuat, statuere possumus. Hæc norma nulla alia est nisi S. Scriptura, quæ sola est certum atque infallibile Dei verbum. Neque enim alia norma quærenda est Orthodoxiæ id est rectæ sententiæ de dogmatibus ad fidem christianam pertinentibus quam fidei ipsius. Hoc unicum Reformatis inculcandum, ut in suis de Orthodoxia judiciis hujus principii semper sint memores, ne postquam Pontificiorum traditiones rejecerunt, alia humana scripta in illorum locum substituant, ea verbo Dei æquiparent, tantamque ipsis auctoritatem tribuant, ut ab illis tanquam scriptis αὐτοπιστοις ad S. Scripturam non detur regressus.* Masculè eandem veritatem inculcat jam jam citatus præstantissimus *Pfaffius*. Hæc enim sunt Ejus loco adducto verba. *Cum diversæ in quavis ferè Academia vigeant Orthodoxiæ, unaquæque schola existimat, se ad apicem puritatis theologicæ pervenisse, maleque fert, si hoc in dubium quisquam revocaverit, eandemque etiam de se opinionem filiis suis instillat, non potest non sectæ studium, quod inter opera carnis præcipuo quodam jure suo Apostolus Paulus refert Galat. V. v. 20. utramque hoc paginam facere, & quid veritatis loco habendum sit, præscribere. Qua ratione cum ordo rerum rumpatur, veritasque ad Hominum auctoritatem, judiciumque, non judicium Hominum ad veritatis normam exigatur, quæ absque partium studio investigari amat, quivis videt, quanta hinc mala in Ecclesiam profluant, quantaque dissidia, quantæ lites cum odio theologico, quo infestius nullum est, conjunctæ hinc oriantur. At vero longe solidius meliusque, credo, in rebus suis is versabitur, qui Hominum etiam eruditissimorum, acutissimorum, facundissimorumque & celeberrimorum loco unico Doctori suo & Prophetæ Jesu Christo & Spiritui sancto, cujus unctio nos omnia docere potest, se docendum informandumque tradiderit, lucemque, quam ex fontibus hisce purissimam, nanscisciturque (absit vero hic, ut inficetis illis Hominibus, qui fanatici communiter apellantur, atque corrupta phantasia dum laborant, nubem pro junone, lumen erraticum pro vero adprehendunt, frigidam suffundamus) qui inquam, hanc lucem unice sequatur, nec Doctores suos Theologosque, quorum institutione utitur, veneretur, nisi, quatenus ipsi hoc cœlesti lumine perfusi Θεοδιδακτους se esse ostendunt, atque ad divinos hosce fontes discipulos suos manu quasi ducunt. Quod qui fecerit & profecto veritatem ipsam, simplicem illam & puram, nulloque nugarum scholasticarum fuco obductam, sanctam quoque illam & cum pietatis studio arctissimo nexu junctam, hoc est veram illam Orthodoxiam, quam nemo nisi impius contemserit, semper sectabitur.*

sufficientibusque argumentis communire ; Interim semper monendum, Auctores Systematum Homines fuisse, qui errare potuerint & non semel erraverint ; purius igitur ex ipso fonte salutares hauriri aquas, quam ex rivulis. Commendentur hac occasione Auditoribus binæ dissertationes Celebr. Virorum *J. A. Turrettini & L. Moshemii de audiendo Christo.* (VI.) Quando Theologiæ studiosi in eos incidunt Auctores, qui longius a Systematibus receptis recedunt, non propterea illi sunt odio habendi, aut id quod in illis Libris laudabile est, prorsus vituperandum. Dantur ejusmodi Doctores, qui statim ac audiunt, hunc vel illum S. Litterarum cultorem non solis inhærere receptis Systematibus, sed curiositate quadam dissentientium Libros evolvendi duci, exardescant, eum suspectum habeant, innocua dicta pejorem in partem interpretentur, manifestisque indiciis prodant, se Homini illi male cupere : Hæc vero agendi ratio minus est prudens & circumspecta ; non tantum enim ita non est consultum studioso novarum rerum cupido, sed & animus ejus a Doctore redditur alienus, doctrinaque ipsa recepta redditur suspecta, in primis si audiat, longe benigniora a Viris doctis de his auctoribus ferri judicia. Melius igitur facit P. Doctor si Hominem blande compellat, eique significat liberum quidem, imo aliquando necessarium esse in examine religionis dissentientium evolvere systemata, præstare tamen antequam animus solidioribus scientiis excultus, & de gravissimis religionis capitibus persuasus sit, tritæ insistere viæ, atque ea, quæ ad subtiliores quæstiones & controversias pertinent, in aliud tempus transferre : solide nimirum cognoscenda ante omnia principalia religionis capita, antequam alto mari nos committamus, id est diversarum plane Systematum conditores audiamus. Quod si Auctor Libri, quem evolvit studiosus, graviter errat, comiter illi & perspicuis argumentis monstrandum, quam periculosus sit ille error, quodque sit Hominis πρωτον ψευδος. Cæterum cum in Libris errantium multa sæpissime etiam reperiantur egregia, ea non esse repudianda monendum est ; ostendendum simul, qui, qualesve viri, solide hos errores confoderint, & qui argumentum hoc vel illud plenius tractarint. Ita animos præstantioris indolis Adolescentum nobis conciliamus, efficimusque, ut aliis occasionibus vacivis auribus consilia nostra audiant. Qui secus faciunt, Auctores sunt, ut Studiosi vel serviliter omnibus quæ docentur & commendantur subscribant, vel in Indifferentismum, aliosque graves incidant errores.

VIII.

VIII. Inprimis vero (quod (VII.) loco est obſervandum) Libri pietati & bonis moribus nocivi, ſtudioſis S. Litterarum vehementer ſunt diſſuadendi. Utendum his inter alia rationibus: Quod nimirum ea ſit cordis humani corruptio, ea vis affectuum, ea denique in hac ætate animorum levitas, ut facillime animos a virtutis amore retrahant, & non raro in gravia & periculoſa conjiciant peccata; eo ubi ſemel pervenerint, ſincere religionem, quæ eſt doctrina nonſolum veritatis, ſed & pietatis, eos expendere non poſſe: monendum præterea prudentis non eſſe, talibus intentum eſſe ſtudiis, quibus facile nonſolum pietatis ſed & bonæ exiſtimationis naufragium pati poſſint. Exemplorum hoc inductione probandum eſt. Oſtendendum ſecundo loco, quam ſit vita noſtra brevis & fluxa; non igitur inutilium, nedum nocivorum Librorum lectione tempus eſſe conterendum: vitam non alium in finem nobis ab Optimo Numine datam, quam ut noſtram & aliorum Hominum felicitatem promoveamus; jam vero lectione horum libellorum corrumpi animos & ad verum inquirendum reddi ineptos. Tertium argumentum peti poteſt a multitudine & gravitate diſciplinarum theologicarum, quæ cultori Theologiæ, ſi ſuo ſatisfacere officio & conſcientiæ vult, probe cognoſcendæ ſunt. Quis neſcit quanto labore & meditatione opus ſit, ad evolvendos V. Doctorum in S. Litteras Commentarios, ad legenda antiquiſſimorum Chriſtianorum monumenta, ad cognoſcendas præcipuas, quæ inter Chriſtianos agitantur, controverſias; ut nihil dicam jam de officiis Paſtorum & variis caſibus conſcientiæ, &c. Num deeſt fabro labor? an non ſalutaria omni ſtudio ſectanda, frivola vero abjicienda? ſed delaſſandus, inquiet forte quidam Optimarum Litterarum cultor animus, poſt curas & labores ſeveriores. Quis neget? num vero talia deſunt, quæ animum honeſte recreare poſſunt, & ad legendos futiles & peſtilentes libellos, dignos qui in primo partu fuiſſent enecati, provolandum? ſumat talis in manus præſtantiſſimos Latii & Græciæ ſcriptores; legat ea, quæ in Hiſtoria Theologiæ Litteraria & Philoſophica quam maxime ſunt attentione digna: evolvat præcellentiſſimorum Virorum epiſtolas & biographias; amicos conveniat, pietatis & veritatis amantes, quibus cum jucunde & utiliter tempus terere poteſt: frequenter de progreſſu ſuo vel defectu in pietatis & eruditionis ſtudio meditetur; pio animo ſæpe cogitet, quam gravia & momentoſa ſint futuri V. D. Miniſtri officia; quanta hic occurrant impedimenta; cogitet

Memorantur alia officia Theologis præſtanda.

gitet de mediis, quæ degeneri Christianismo opponenda sunt; intimos cordis recessus excutiat & dispiciat, quibus adhuc temperamenti & affectuum tentationibus obnoxius sit: dissertatiunculam aliquam conscribat, visurus quid vires valeant, quid ferre recusent, & mox patebit, si vel ducentesimum vivendo attingeret annum, non defuturum tamen honestum, in quo vires ingenii & corporis exercere posset, laborem. Si talia non audiat noster, vix spes est, eum ad meliorem frugem rediturum & talem evasurum, qui religionem magni facere, aut contra dissentientes rite propugnare possit. Contra vero illi Libri studiosis commendandi, in quibus eruditio vera masculaque continetur, & ad veram sapientiam via monstratur. Pessimum vero hoc est, quod ipsi sæpe Doctores publici veræ eruditionis gustum non habeant, de quo mihi plura, si hujus loci foret, dicenda essent. Profecto felices dicendi sunt illi studiosi Theologiæ (ut de aliarum disciplinarum cultoribus nil dicam) qui mature incidunt in tales Libros, in quibus singulæ partes studii theologici rite & solide pertractantur: miseri vero, qui vel Doctorum umbraticorum auctoritate, vel consilio suorum commilitonum inducti, nullis adhibitis melioribus consultoribus, quosvis Libros, quos promiscua turba studiosorum magni facit, diligenter legunt. Experiundo didici, Adolescentes non contemnendi ingenii, quibus mature tenebricosi Auctores commendati fuerunt, aut quos ipsimet delegerunt, multo labore nihil egisse, & quo magis in obscuris illis & squaligine obductis scriptis seduli fuerunt, eo magis a vera sapientiæ & eruditionis semita recessisse, imo sæpe in ipsa rerum obscurarum cognitione mirum in modum exsultasse. Quando vero dico S. L. studiosis commendandos esse præstantissimos Libros ad solidam non tantum eruditionem sed & sapientiam & pietatem viam monstrantes, dispiciendum probe est Doctori, utrum ipsemet accuratam talium Librorum peritiam habeat; dicam paucis quales illos (de Libris ad Theologiam spectantibus mihi sermo est,) oportere esse existimem: nimirum in illis simplex illa Christi & Apostolorum de officiis & fidei articulis Christianorum doctrina perspicuis verbis & argumentis solidis, missis omnibus mysticis & metaphoricis phrasibus debet repræsentari. *Libri*, in quibus Auctor omnem ingenii vim intendit, ut quæ in medium adfert omnium, qui non plane desipiunt, ingeniis sint attemperata: *Libri*, in quibus virtutis studium redditur amabile, tanquam tale, quod ad felicitatem nostram promovendam unice tendat.

tendat. (*) *Libri*, in quibus ostenditur, officia, quæ religio christiana præscribit, cum purissimis rationis decretis amice conspirare; *Libri* in quibus non solum virtutum Christianarum indoles & natura solerter & vere, non hyperbolice definitur & explicatur, sed & ad eas exercendas efficacissima adhibentur incitamenta, impedimenta earum perspicue repræsentantur, & præsidia, quibus impedimenta illa, quantum in hac rerum caligne fieri potest, tolli possunt, suppeditantur. *Libri* denique, in quibus omnia gravia sint, momentosa, vere utilia, & a scholarum tricis plane libera. (**) Tales Libri omnibus cujuscunque ordinis & dignitatis hominibus utiles sunt, utiles præsertim illis, qui aut ipsimet Libros ad pietatem facientes scribere volunt, aut per vitam conciones ad populum habere coguntur. Non opus est, ut nomine, quos potissimum probo, apellem. Prudenti & erudito Doctori hæc permitto. Neque dubium est, quin studiosus amore veritatis & virtutis incensus, nonsolum singularem ex ejusmodi Librorum lectione percepturus sit usum, sed & aptissimus evadat, christianæ doctrinæ officia Auditoribus suis rite insinuandi, veramque pietatem adversus incredulorum & impiorum insultus defendendi.

Mul-

(*) Multi Doctores in eo peccant, quod quidem gravissimis rationibus pietatis officia injungunt, simul vero non ostendunt, ea omnia ad nostram felicitatem tendere. Errorem hunc inter alios notavit Cl. *Bernardus* in tractatu de *excellentia religionis christianæ* Tomo I. pag 33. Inter alia sic loquitur. *Nous regardons presque toujours la Religion, que Dieu nous a donné, comme un Devoir; il est rare, que nous nous avisions de la considerer comme un avantage. De là vient que nous en prenons le moins que nous pouvons, s'il est permis de parler ainsi, & que si nous avons encore un peu à cœur notre salut, nous observons de la religion precisement autant, que nous en croyons necessaire, pour obtenir le salut & point d'avantage. Peu s'en faut, que l'on ne regarde Dieu, comme un Maitre chagrin & severe, qui ennemi du repos de ses Domestiques exige d'eux mille travaux inutiles, plutot que de les laisser sans rien faire, & qui auroit bien pû leur donner la recompense, sans les engager dans un si grand nombre de facheuses corvées. Qu'on se desabuse. La Religion est toute dirigée pour notre bien. Elle a les promesses de la vie presente, & de la vie à venir. Plus on en observe exactement les Preceptes & plus on est heureux, même sur la terre. Exhorter les Hommes à être religieux, c'est les exhorter à travailler actuellement pour leur bonheur présent. On peut dire, que les Prédicateurs ne montent jamais en chaire, que le salut & la felicité n'y montent avec eux. Le resultat de tous leurs Sermons peut être renfermé dans ce seul mot: Soyés Heureux.*

(**) Dudum hoc inculcavit *Acontius* de *Stratagematibus Satanæ*, vir acuti ingenii & prudens. Libri notissimi pagina mihi 49 *Vera ratio* (inquit) *ab inanibus quæstionibus Homines abducendi est; si illi, quorum munus est, aut populum instituere, aut in Scholis res divinas tractare, quique ad scribendum se conferunt, omissis curiosis quæstionibus, inanique ingeniorum ostentatione abjecta, iis solis insistant ipsi, ea urgeant, quæ pertinent ad firmandam fidem, ad vitia extirpandum, injiciendumque Dei timorem, ad alendam pietatem, consolandos afflictos melioremque in spem erigendos; & eos qui fratrum nomine censeri volunt, in fraterna charitate dulci cum animorum inter se consensione retinendos.*

Multum (VIII.) huc facit si Doctor publicus (de professoribus Theologiæ mihi jam sermo est) S. Litterarum studiosos, amore Litterarum captos, familiari suo congressu & colloquiis dignatur. Ita enim ampliſſimam habet occasionem, varia egregia monita, ad eruditionem, pietatem & sapientiam spectantia, proponendi & de optimis Libris differendi: sunt enim omnes præstantioris indolis Adolescentes ita comparati, ut lubentes in sinum Professorum, quos amant, sua animi sensa de rebus divinis & humanis effundant, atque inprimis, quibus delectentur Libris, exponant. Hic vero Doctor publicus intimos sæpe cordis recessus cognoscere potest, errantem vel vanis & parum profuturis inhiantem monere, horum vel illorum Librorum, quos ipsemet probe perspectos habet, vel defectus recensere, vel pretium ostendere; monstrare qualis ordo in singulis Theologiæ partibus tractandis sit observandus: currentem incitare, inprimis vero ei injungere, ut ea potissimum legat & evolvat quæ statui suo futuro sint utilissima; non tacendum, plurima, ut in aliis disciplinis, sic & in Theologia esse superflua & paucis profutura: ea mature esse resecanda &c. &c. Erudita hac confabulatione efficiet sagax Doctor, ut magis magisque studiosum suum in veritatis & pietatis studio confirmet, omniaque ea adhibeantur media, quæ eum a vitio incredulitatis pariter & impietatis retrahere possunt. Quanta exinde commoda in bonæ indolis Adolescentes redundare possint, vel me tacente quilibet intelligit. Antequam vero studiosus S. Litterarum ita familiariter utitur publico Doctore, seque ipsi fingendum tradit, probe cognoscendus est ille Magister, quod vel ex propriis, quæ edidit, ingenii monimentis, vel ex judicio virorum omnium consensu doctissimorum & præstantissimorum, ipsi constare potest. Hoc vero monitum non est contemnendum. Sunt enim Doctores, qui suæ duntaxat sectæ scripta magni faciunt: sunt qui gravia a levibus parum distinguere norunt; sunt qui omnes leves errores in majus extollunt; sunt qui de hypothesibus quibusdam novis, quas vel ipsimet invenerunt, vel ab aliis sunt excogitatæ, ita magnifice sentiant, ut putares verum nucleum eruditionis theologicæ in iis esse inclusum, quique, ubi adsensum tuum non statim reportant, suscipicionibus pleni sunt, atque in dissentientes asperrime invehuntur. In tales si incidunt S. L. studiosi facile evenit, (quod etiam quotidiana experientia testatur) ut per omne vitæ tempus in supervacuis & non necessariis desudent, atque evadant Homines litigiosi, mordaces, superbi & hæretifices. Sive vero studiosus

sus S. L. prudentem & acuti ingenii Professorem audiat, sive non, omnia debet examinare, trutinare, dicta Professorum cum doctissimorum virorum laboribus conferre, expensisque demum omnibus alterutram in partem inclinare.

(IX.) Tenetur autem quam maxime Theologus, qui cavere vult ne quis Auditorum suorum in vitium incredulitatis incidat, operam dare, ut S. L. studiosi gravissima Theologiæ capita, nimirum de veritate & divina origine Religionis christianæ, de αὐθεντια Librorum Vet. N. Testamenti: de articulis fundamentalibus: de persona, statu & officiis Jesu Christi &c. probe perspecta habeat, quia sine eorum solida cognitione, omnis illa scientia theologica ruinosis superstructa esset fundamentis, & nunquam Deistæ aut Atheo satisfacere possent. Hinc sæpe fieri solet, ut ubi ejusmodi imperiti studiosi, vel V. D. Ministri, in tales Homines incidunt, qui vel exercitii loco, vel serio & ex animi sententia subtiliora quædam argumenta contra religionem in medium proferunt, hæreant, & argutis Hominibus triumphandi materiem suppeditent. Atque in hoc non raro peccari a Doctoribus publicis negari non potest. Sæpe enim æque prolixe tractantur capita minus principalia v. gr. de decretis divinis eorumque ordine, de legibus cæremonialibus & forensibus Hebræorum &c. ac caput illud gravissimum de veritate & divina origine Religionis christianæ, quod tamen ineptum esse concedent omnes, qui religionis veram imaginem animis habent infixam. Iidem sæpe ordinem in demonstrandis & tuendis gravissimis religionis captibus negligunt, quod veræ persuasioni in animis excitandæ, plurimum officit, quia unum vel alterum, quod ante præstruendum erat, adversarii negare possunt: aut denique argumentis gravibus & solidis miscent rationes infirmas, quæ res quanta post se trahat mala, vix verbis edisseri potest. Ita enim adversarii impetum faciunt in argumenta levia & nihil probantia, illa risui exponunt, & ante victoriam canunt triumphos, licet sæpe ne digito quidem tetigerint argumenta solida & primaria. (*) Theologus igitur, qui in hac mate-

(*) *Apud Cl. Zeltnerum in Historia Cryptosocinismi Altorfini refert Ant. Poelenburgius, Sibrandum Lubbertum confutationem Socini de Christo Servatore edidisse; hanc vero ita fuisse comparatam, ut hac confutatione plures ad socinianismum brevi temporis spatio adducti sint, quam omnibus Socinianorum Libris, qui multis retro annis extitissent. Cum Lubberti Librum non legerim, quanti hoc testimonium æstimandum sit, dicere non possum. Hoc certum, multos, Atheos, Deistas &c. aggredi, qui tamen ad certamen cum his hostibus ineundum, parum apti sunt.*

materia versatur, neque ad multitudinem, neque ad auctoritatem eorum, qui his vel illis argumentis usi sunt, respicere debet, sed omnia ipsemet expendat & quantam vim habeant, ratiocinando experiatur. Hoc demum facto sperare potest, vera luce perfusum iri Auditorum suorum animos. Quod si in Auditoriis publicis pro dignitate & amplitudine rei themata hæc non satis excutere potest, privatis in Collegiis hoc præstandum est, aut præstantissimi de hoc argumento scripti libri commendandi sunt. Hoc studium singulare in probandis capitalibus veritatibus deposcunt tempora nostra, quibus incredulitas inter omnis sexus & ætatis homines, caput tollit; Hîc hîc maxime Theologus sui ingenii acumen, eruditionem suam & zelum pro gloria Dei demonstrare potest: agnoverunt hoc viri doctrina & pietate eminentissimi, unde, veluti agmine facto, ad materiam hanc in plena luce collocandam, probandam & vindicandam, ingenii vires intenderunt.

(X.) Dum autem in eo est Theologus, non reticere debet præcipuas objectiones Deistarum & Atheorum, (ut de aliis qui a pura castaque religione recedunt, nil dicam) sed eas sincere & candide repræsentabit, una cum responsione solida, plenaque lucis; nisi enim hoc faciat, Auditores nunquam erunt satis adversus adversariorum objectiones muniti, imo diffidere solent eruditioni & capacitati docentis. Debent autem præcipuæ tantum objectiones in medium proferri, reliqua optimorum librorum lectio & meditatio suppeditabit. In responsione vero ad objectiones non intricatis & vanis distinctionibus sed solidis argumentis, quæ jugulum causæ petunt, est insistendum, & quidem ita, ut ex institutione vel privata vel publica pateat, Auditores nostros vim argumentorum rite percepisse. Dumque hoc agimus, ab odiosis est abstinendum titulis & convitiis: quamvis enim multi incredulorum in suis scriptis impotentius in cæteros Christianos invehantur, non tamen propterea eorum exemplum est sequendum: ubi tamen in criminando & perstringendo modum non servant, & sanctissima quæque albis rident dentibus, possunt jure aceto perfundi Italico. Sed pondera tamen argumentorum omnibus sunt præferenda.

(XI.) Cum vero possibile non sit, ut omnibus dubiis, quæ religioni naturali & revelatæ opponi possunt, satisfaciamus, omniaque ita diluamus, ut nullus permaneat scrupulus, edocendi sunt Auditores nostri, omnes disciplinas suis abundare difficultatibus, neque de religione

gione tantum id dici posse: multum officere accuratiori cognitioni Religionis christianæ linguas, quibus exaratæ sunt S. Litteræ; veritates scitu necessarias ubique per S. Litteras, novum præcipue Testamentum esse sparsas, easque omnium ingeniis esse attemperatas. Ipsos Apostolos, excellentissimos sine controversia Theologos, fassos fuisse, nos in hac vita ἐκ μέρους γινωσκειν, atque demum post hanc vitam nos profundiorem rerum divinarum cognitionem adepturos. Religionem non deposcere exquisitam & omnibus numeris absolutam rerum divinarum cognitionem, quia talis ingenii humani capacitatem superat. (*) Præterea ingeminandum est, doctrinam certis & solidis argumentis superstructam, propterea non esse rejiciendam, quod omnibus circa eam occurrentibus dubiis non ita satisfacere possimus, ut a priore, uti in scholis loqui solemus, causæ dubiorum exponantur dilucide. Ita possumus a posteriori argumentando probare mundum hunc adspectabilem ab Ente quodam æterno, a mundo distincto, optimo, potentissimo & sapientissimo esse productum, licet nexum, qui inter voluntatem Dei, & inter tantæ molis existentiam interceſſit, demonstrare non valeamus.

(XII.) Ut autem eo magis animi Auditorum in veritatis solidæ cognitione confirmentur, multitudine minoris momenti articulorum non sunt onerandi, multo minus illi sunt in majus extollendi, nec pretium eorum nimis urgendum. Multitudo controversiarum Homines è vulgo in varias suspiciones conjicit, adeo quidem, ut putent, de omnibus rebus ad religionem pertinentibus utramque in partem disputari,

(*) Egregie de hoc argumento disserit *Magnus & incomparabilis Grotius* Collect. Poëmat & Epigrammat. Lib. I. pag. 285. inter alia ita loquitur:

Qui curiosus postulat totum suæ
Patere menti, ferre qui non sufficit,
Mediocritatis conscientiam suæ,
Judex iniquus, æstimator est malus
Sui, naturæque: Nam rerum Parens
Libanda tantum, quæ venit mortalibus
Nos scire pauca, multa mirari jubet,
Hic primus error auctor est pejoribus.
Nam qui fateri nil potest incognitum
Velo necesse est ornet ignorantiam,
Umbrasque inanes captet inter nubila
Imaginosæ adulter Ixion Deæ.
Magis quiescet animus, errabit minus
Contentus eruditione parabili;
Nec quæret illam, si qua quærentem fugit.
Nescire quædam magna pars sapientiæ est.

tari posse, ex quo colligunt, religionem certis fundamentis non esse superstructam. Auditores insuper institutionum theologicarum, qui minutos illos & controversos articulos singillatim excutere volunt, non solum male tempus, quod melioribus fuisset consecrandum, collocant; sed & plerumque redduntur rixosi & disputaces, atque se bellos esse Homines existimant, si omnes præsentes & præteritas, ineptas licet sæpe & nemini profuturas controversias in numerato habeant, aut novas etiam cudere, vel veteres ampliare possint. Hæc vero progressu temporis nonnisi ad logomachias excitandas & dissensiones inter fratres alendas faciunt. Atque hæc etiam inter alia præcipua causa est, cur in Academiis & Gymnasiis vix duos vel tres reperias Theologos & V. D. Ministros, inter quos sincera & fraterna amicitia locum habeat, licet nihil magis quam hoc discipulis suis & Apostolis S. Soter noster injunxerit. Audi quid dicat Joh. cap. XIII. v. 35. ἐν τετω γνωσονται παντες ὁτι ἐμοι μαθηται ἐσε, ἐαν ἀγαπην ἐχητε ἐν αλληλοις. Magis nocivæ sunt minutæ illæ opiniones & controversiæ, si pretium earum in majus extollitur, quod frequentissime factum fuisse & adhuc eheu! fieri, tristis edocet experientia. Dantur quidam sacrorum Ministri vel turpi rerum præstantissimarum ignorantia laborantes, vel superbia & falso Zelo ita corrupti, ut omnia graviora iis videantur, quam sunt; omnia, si eos audias periculis plena sunt; sub quolibet lapide dormit scorpius: alii inclarescendi studio incitati & nomen vere Orthodoxorum obtenturi, vix verbis exprimere possunt, quanto consequentiarum periculosissimarum συρματι obnoxiæ sint hæ vel illæ opiniones, quas tamen Vir veri amans, & de singulis ἀθερ παθων judicans, oculatissimus licet sit, cernere non potest; mirumne est tandem si studiosi plerique (dum recte sapientium minor semper est copia) hac veluti peste adflati, non solum ad seros posteros minutas controversias transmittant, sed & sæpe crudas illas & nemini profuturas opiniones in ipsa pulpita sacra transferant. Ἰσοριας igitur ἑνεκα, & velut aliud agendo controversiæ minoris momenti tractandæ & si aliquam earum notitiam habere volunt, ad historiam Litterariam Theologiæ S. L. studiosi sunt amandandi. Theologorum vero est quavis data occasione ingeminare tantum controversiarum, quæ alicujus momenti sint, numerum non esse ac vulgo putatur. Ita passim doctissimi & præstantissimi ex ordine nostro judicarunt. Unius tantum adduco testimonium, nimirum τε Μακαριτε *Cl. Grynæi* Theologi *Basileensis*, qui in opusculis suis Basileæ editis pag. 185. ita loquitur. *Ea mihi vide-*

videtur esse temporum, quibus vivimus, conditio, ut qui Ecclesiæ Dei ejusque saluti consulere & ad studiosorum nostrorum captum suam docendi rationem accommodare volet, eum minuendo inprimis infinito controversiarum atque disquisitionum theologicarum numero, & earundem deinde momento, intentum esse oporteat. Misera enim sane est hoc ævo nostro Ecclesiæ tot sectis, σχισμασι, discordiis, dissensionibus, distractæ facies. fædum in morem dilacerata est inconsutilis illa Christi tunica: exspectari vero vix potest, fore, ut qui de sanandis & consolidandis istis Ecclesiæ vulneribus soliciti sunt γνησιοι, pacifici Servatoris discipuli, aliquid conatibus suis proficiant, nisi ostendant, non esse tantum, quantum vulgo æstimatur controversiarum vere theologicarum, numerum, litesque multas, quæ magnas animorum peperere divisiones, non dignas esse, quæ tanta contentione agitentur, imo persæpe, ubi si diligenter animum advertas, nulla dissensus materies subest, meram altercandi libidinem esse, quæ controversiam perpetuet. Multorum deinde imo plerorumque sanctioris apud nos disciplinæ alumnorum ea est conditio, ut sive ingenium eorum spectes, quod non omnibus multarum rerum capacissimum contigit, sive temporis curriculo studiorum theologicorum præfixi brevitatem, sive rerum futuro verbi divini Ministro cognitu necessariarum multitudinem, facile deprehendas, non esse, cur eos gravi quæstionum curiosarum aut inutilium, & controversiarum difficilium potius, quam ad pietatis doctrinam magnopere attinentium, excutiendarum labore vexare aut ad verborum pugnas & certamina nullos habitura triumphos manuducere debeamus: sufficere potest, studiosorum quam plurimis, si quæ sunt alicujus momenti, quæstiones theologicas rite dijudicare, & præcipuos errores, qui aut veritatem salutarem evertunt aut pietatem nostram in Deum labefactant, aut sanctimoniæ studium imminuunt, solide ex verbo Dei confutare & τες ἀντιλεγοντας ἐλεγχειν didicerunt. Hactenus pius ille Theologus.

(XIII.) Quando de religionis articulis theoreticis agitur, semper Auditoribus est demonstrandum, quem usum in vita, præcipue in christianæ vitæ studio ex cognitione eorum percipiamus. Nisi enim utile est, quod discimus & docemus stulta est gloria. Et profecto titulo religionis christianæ articuli indigna est sententia, quæ nullis ad pie vivendum instructa est incitamentis. Talium vero non exiguum numerum esse, norunt illi, qui necessitate coacti polemicæ Theologiæ universum emensi sunt campum. Sedulo igitur opera danda est publicis Doctoribus, ut semper (si modo id sine violenta applicatione fieri possit) argumentis solidis probent, hunc vel illum religionis nomine

mine commendatum articulum, ita esse comparatum, ut nos ad virtutis studium quasi trahat. Ita enim non aliter animus S. L. cultoris cognoscendi illius articuli amore ardebit, & hoc nomine etiam is populo Christiano poterit commendari. Et profecto, si ad hunc Lydium lapidem omnes inter Christianos motæ controversiæ exactæ fuissent, & adhuc exigerentur, manifestum fuisset, nos notitia multarum facile carere potuisse. Ad hoc vero rite præstandum & designandum, opus est Doctore perspicacis ingenii, momentorum articulorum religionis satis gnari, prudentis simul & circumspecti: secus si sit S. L. studiosus, qui nasum habet, Professorem suum pro doctore habebit umbratico & histrione, qui magno verborum strepitu rem nulli usui futuram, commendet tamen, & fronte contracta laudibus extollat; imo in posterum eum non sine suspicione & tædio audiet etiam de gravibus rebus perorantem.

(XIV.) Abstinere debet ab una parte Theologus ab argumentis ab invidia petitis convitiisque; ab altera vero parte candide errores adversariorum debet repræsentare. Omni tempore viri præstantissimi de multis eorum, qui controversias theologicas tractare solent, conquesti sunt, propterea quod non tam sint soliciti, ut fontes errorum, eorumque gravitatem rite detegant, & contra quam solidis fundamentis superstructa sit veritas, ostendant, quam vero potius, ut adversarios quam maxime reddant invisos. Exemplo *Hieronymi* hoc ostendit *Celeb. Clericus* singulari edita de hoc argumento dissertatione. O quot possemus in omnibus dissentientium inter se Christianorum familiis ostendere *Hieronymo* haud absimiles! sed qui ita agunt, neque verum quærunt, neque quidquam lucrantur. Pone quendam de libertate voluntatis humanæ ita sentire, ut in virtutis exercitio, plura illi tribuat, quam tu par esse existimas, teque propterea hunc Hominem vel *Pelagianum* vel *Semipelagianum* apellare, num propterea error illi est exemtus, vel tua sententia rite adstructa? tantum abest, ut hoc fiat, ut potius nonnisi odium adversarii contra te concites. Tales, qui his artibus, id est convitiis duntaxat loco argumentorum utuntur, eruditus quidam Gallus appellavit *La Canaille des Theologiens;* neque incongrue. Quemadmodum enim Homines e fece plebis, ubi rationibus destituuntur, ad criminationes confugiunt, imo sæpe ad saxa: ita pariter multi eorum, qui controversias tractant agere solent; ubi ratiocinando parum valent, tragicis clamoribus & convitiis vincere volunt. Pessimum vero in hoc negotio hoc est, quod ejusmodi argumentandi me-

methodus publicis scriptis usurpata, Homines a religione ejusque amore reddat alienos; religionem postea multi tanquam spatiosum considerant campum, in quo habenas affectibus suis laxare possint Doctores publici & controversiarum tractatores: abhorrent propterea ab examine rerum divinarum & controversiis etiam gravioribus, existimantes, frustra in his tempus teri: præstare, si quis patriam, qualiscunque tandem illa sit, sectetur religionem. Quales vero risus & triumphos inter incredulos excitare possint ejusmodi disputandi rationes, quotidiana experientia ostendit. Abstinendum ergo est Theologis & controversiarum Tractatoribus a talibus malis artibus, & potius mansuetudine, comitate & amica argumentorum collatione in viam veritatis sunt revocandi errantes, eorumque opiniones sincere repræsentandæ, neque ex hinc inde collectis consequentiarum nexibus judicium de gravitate erroris alicujus judicandum, sed Systema ipsum adversarii sincere est lectoris vel Auditoris judicio subjiciendum.

(XV.) Inprimis autem O. L. studiosis monstrandum, quantum damni non tantum voluntati nostræ & veræ felicitati afferant pravi affectus, sed & quantum illi valeant ad ingenium humanum corrumpendum & a religione pura castaque retrahendum. Non opus est ut multis verbis hanc meam sententiam adstruam; rei natura & quotidiana experientia satis hæc probant; manifestum, successu temporis, & affectuum impetu, voluntatem corporis imperio subjici: unde ille non potest non ferri in id, quod illi gratum & acceptum est. Voluntas vero vividis sensationibus excitata facillime intellectum in suas pertrahit partes: his ergo affectibus qui fræna laxat, vix impetrare a se potest ut illis nullum concilicet colorem. Hinc vera rerum vocabula mutantur, & in religionis negotio illi articuli placent, qui affectibus velificantur. Adductis igitur argumentis e Philosophia & Theologia depromtis, ostendendum, mature hisce esse resistendum; inprimis profliganda est insana illa & pestilens opinio de *Libertate*, quam vocant *Academica*: commendanda S. L. studiosis dissertatio τε Μακαριτε *Celeb. Werenfelsii*, quæ novæ operum editioni est inserta. Neque hæc aliud agendo inculcanda, sed privatim & publice omni studio sunt urgenda & ingeminanda. Et profecto, si Theologi hæc tanto studio, labore & animorum contentione O. L. studiosis inculcarent, quanta cura & diligentia quæstiunculas leves & parum profuturas sæpe urgere solent, sine dubio longe melior Ecclesiarum & Academiarum facies esset quam nunc est. Jam vero cum hoc multis in locis non fiat, pieta-

pietatem tanquam accessorium quid levia ingenia considerant, mediocris judicii Hominibus relinquendam. Ut vero pestilens hæc opinio ex animis S. Litterarum studiosorum, imo omnium, qui alias etiam disciplinas excolunt, eradicetur, ostendere debet Doctor publicus, minori quidem eruditionis apparatu instructum, sed veræ pietatis studio incensum S. L. cultorem plus conferre, ad suam aliorumque felicitatem promovendam, & religionem commendandam, quam Hominem doctissimum multis vitiis contaminatum, imo talem sæpius progressui religionis plus officere, quam Hæreticum. Ubi vero de pietate Doctoris publici sermonem facio, necessario quid pietatis nomine intelligam, definiundum est, quandoquidem Doctores quidam sæpe præposteram veræ pietatis imaginem Auditoribus suis commendare solent. Non igitur *pietatis* nomine intelligo fanaticum quendam, superstitiosum & monachalem religionis cultum, qui Homines reddit tetricos, morosos & ad vitæ civilis negotia ineptos; *pietatem*, quæ in observatione certorum rituum, minutorum articulorum strenua defensione, in sacro quodam silentio, in vestitu sordido & caperata fronte consistat; *pietatem*, quæ omnibus erroribus, quos parum cavet natura humana bellum indicat, omnesque voluptates, quibus mortales honeste uti possunt, severe proscriptas esse velit; sed pietatis nomine intelligimus *studium* indefessum actiones suas, quantum in Hominem cadit, ad voluntatem Numinis componendi: *studium*, suam & aliorum felicitatem promovendi. Hæc pietas comitate, prudentia, charitate, gravitate, est temperata & non minus in congressibus Nobilium & eruditorum, quam vero civium & rusticorum elucet. Tale pietatis studium ad alios vera religione imbuendos, & contra fanaticismum pariter & incredulitatem muniendos, plus efficere, quam eruditionem qualemcunque, sed his virtutibus orbatam, sentiet quisque, qui vera rerum pretia unquam per vitam expendit. Hæc non adjecissem nisi mihi probe perspectum esset, quosdam Doctores publicos, non malo quidem animo, sed tamen minus prudenter tale pietatis studium a S. Litterarum cultoribus deposcere, quod Hominum etiam optimæ indolis vires superat; timidiores vero reddit ridiculos & fanaticos, aliorum vero animos qui rectius sibi sapere videntur & acutius ratiocinantur a religione reddit alienos, dum probe vident, omnia a Doctoribus suis exaggerari & postulari talia, quæ inter τα ἀδυνατα sunt referenda. Hic error quorundam Doctorum ex eo inter alia, quæ afferri possent, oritur, quod verum statum pietatis christianæ describuri,

ri, utuntur quidem vocibus & phrasibus ex S. Litteris depromtis, sed quarum significationes non satis sunt clare definitæ; hinc & videmus mysticos passim & fanaticos miras suas opiniones comprobaturos, presse verbis textus S. adhærere, rejecta plana, & cum religione & ratione consentiente explicatione. Verissimum interim est, quod initio hujus sectionis monuimus, Homines nempe qualicunque eruditione ornatos sed pios, plus conferre ad alios ad religionis amorem incitandos quam eruditos sed variis contaminatos vitiis. Pauciſſimi in majoribus civitatibus, ut de pagis nil dicam, sunt, qui de pretio eruditionis, quæ Doctori publico vel V. D. Ministro inesse deberet, judicium æquum ferre possint. Homines e fæce plebis, & his, si culturam rationis & religionis spectes, non meliores, parum curant, utrum ille, qui præcepta religionis tradit, pro erudito habeatur nec ne; at ubi diligentius ad vivendi ipsius rationem attendunt, præcipites valde sunt, ad male de religione & pietatis officiis ratiocinandum. Alii publicorum Doctorum in eo potissimum sunt, ut Auditores suos & discipulos non tam pios, quam vero Orthodoxos reddant; quod si hoc nomine id velint, nimirum necesse esse, ut ii præcipua capita in religione christiana contenta, rite perspecta habeant, aliisque gravissimis argumentis ea commendare possint, vitamque tam sancta religione dignam vivant, institutum laudo: at si orthodoxias nomine omnes minutas opiniones & controversias sectæ, quam sequuntur, privas, intellectas velint, atque in eo præcipuas futuri Doctoris publici & V. D. M. virtutes positas esse credant, mea opinione vehementer falluntur, neque doctis, neque simplicioribus satisfacient. Illi certe, qui controversiarum minoris momenti gnari non sunt, rationem tamen excoluerunt, sive jam in agro degant, sive in urbe, ad id potissimum attendent, quod ad demandati muneris naturam & indolem pertinet: quærent utrum talis officio suo diligenter vacet; utrum pius, sincerus, liberalis, pacificus & veri amans sit; utrum divites pariter ac egenos amet eisque consulat. Has virtutes aliasque, ubi vident homines non plane stupidi in Doctoris illius publici admirationem & amorem rapiuntur, licet forsan minus sit eruditus, & omnibus sectæ suæ opinionibus addictus. Edocendi ergo sunt Optimarum L. studiosi, ut cum mascula eruditione veram pietatem arctissime conjungant, ita enim & vitiis & incredulitati omnium optime resistere poterunt.

(XVI.) Pertinax de quibusvis, etiam levissimis opinionibus disputandi studium, ex animis Optimarum Litterarum studiosorum mature

est eradicandum, eumque in finem ipsi publici Doctores omnes proletarias, captu difficiles, & nemini profuturas opiniones silentio transmittere debent, & potius Auditores suos adhortari, ut solida eruditione instructi, hostibus, qui gravissima religionis christianæ capita vel risu excipiunt, vel aperte impugnant, solidis argumentis os occludere possint, tum enim demum manifestum fore, quali judicio sint præditi, & quam apti sint ad incredulorum retundenda tela. Quod de studio illo pertinaci de quibuslibet disputandi dico, non sine ratione moneo; notum enim experientia est, tales, qui de quibusvis rebus & cum quibuslibet certare gestiunt, non solum se se per omnem vitam reddere ridiculos, omnibusque esse molestos & exosos, sed & religionem ipsam contemtui exponere, & innumerorum sæpe in Ecclesiis & Rebuspublicis malorum auctores esse; nulli etiam insuper, ut plurimum, a vera modestia, quæ virtutum omnium vernix est, magis alieni sunt, quam hi; nulli minus veræ eruditionis gustum habent, quam ii, & dum per infinitas quæstiunculas, curiosas magis quam utiles discursitant & sibimetipsis eo nomine vehementer plaudunt, res maximi momenti negligunt, & non solum a vera eruditione theologica, sed & a vera pietate recedunt: unde mirum non est, nonsolum plebem, sed & acutioris ingenii homines existimare aliquando, religionis accuratiorem notitiam, homines facere morosos, disputaces & ad negotia hujus vitæ rite peragenda ineptos. Quod si in causas hujus mali inquirere velimus non longe eas repetendas esse patebit: nimirum manifestum est, hoc malum tribuendum esse multis Doctoribus publicis. Ipsimet enim sæpe mascula rerum excellentissimarum cognitione sunt destituti, & parabili eruditione non contenti, de quibusvis disputare aggrediuntur, neque το ὁτι sed & το διοτι, uti in scholis loquimur, in difficillimis & capacitatem ingenii humani superantibus quæstionibus, scire, & demonstrare volunt, arreptis subinde ejusmodi hypothesibus, quæ nonsolum periculosæ sunt, sed & quæstione ipsa, quæ ventilatur, magis obscuræ. Ita anxie multi expendunt, qualis futurus fuisset generis humani status, si primi generis humani Parentes non peccassent. Quasi vero anxia hæc cura & disceptatio ad præsentem rerum statum mutandum aliquid conferret. Profecto ejusmodi Homines mihi similes esse videntur illi, qui experientia edoctus sciret, Majores suos ante aliquot secula fuisse homines ditissimos, sed qui congestis uti nescientes, bona sua dilapidassent, atque ita non solum semetipsos sed & posteros suos & hæredes eum in statum conjecerint,

ut

ut non sine molestia victum sibimetipsis quærant: Simul vero in hunc statum conjectus, frequentissime secum cogitaret, qualis futura fuisset fortunæ suæ ratio, si Majores sui, ad suam usque ætatem congestos illos thesauros in usum suæ familiæ conservassent, & legitimo hæreditatis jure ad se transtulissent. Quid enim solatii tandem ejusmodi homo ex hac disceptatione caperet? Novimus Deum permisisse primorum Parentum lapsum; novimus eo peracto Homines multis & physicis & moralibus malis contaminatos in dias luminis auras prodire; Haud ignoramus insuper, qua ratione Deus postea cum genere humano in gratiam redire voluerit. Hæc nobis sufficiant. Ejusdem naturæ sunt quæstiones quomodo singulis momentis Deus in mentes humanas agat: quæ sit consiliorum divinorum ab omni æternitate captorum ratio & quis ordo, ut de multis quæstionibus ejusdem ponderis jam nil dicam. In ejusmodi quæstionibus ventilandis multi Doctorum vehementer sunt occupati, neque id fit sine supercilio. Hoc cum advertunt Auditores, solidiore cognitione hactenus destituti, in admirationem tantarum scilicet rerum rapiuntur; incipiunt de quibuslibet garrire, & vel ipsas mulierculas in foro sedentes loquacitate superant. Horum ineptos impetus cum reprimere deberent docti & prudentes Professores, vel V. D. M. tales contra nugivendulos sæpe laudant & vovent, tanquam futura Orthodoxæ Ecclesiæ fulcra. Hinc ipsimet quidem sibi plaudunt, altosque gerunt spiritus, sed doctis ludibrio sunt, prudentiores vero miseram religionis sortem deplorant, ad incredulitatem inclinantes in sinu rident, & inutiles quæstiunculas explodunt, non sine detrimento sæpe gravissimorum religionis articulorum. Utinam tantummodo hæc essent de scholastici ævi temporibus ingeminanda! at & nunc his quærelis locum dari, norunt omnes, qui in Historia Litteraria non plane sunt hospites, & ad ea quæ cottidie geruntur, attendunt.

(XVII) Denique, (ut multa alia mittam) S. Litterarum cultoribus frequenter est inculcandum, quod, quantacunque in tradendis sanctioribus disciplinis adhibeatur solertia, impediri tamen non posse, quo minus de his vel illis religionis capitibus aliqua oriatur, etiam inter veri amantissimos, animorum dissensio. Atque hoc inevitabile esse malum, quilibet sentiet, qui ad ingeniorum humanorum diversitatem & ad naturam disciplinarum theologicarum rite attendit. Hæc vero impedire non debent, quominus inter doctos summa animorum conspiratio locum habeat, neque propter dissensum tragicis omnia

clamoribus sunt replenda, aut de omnibus dubitandum. Monstrandum Auditoribus, non obstante illo dissensu, religionem tamen veram in tuto esse collocatam; multa semper in his terris doctissimos Theologos ignoraturos; neque unquam ad perfectionem perventuros; Ipsosmet, qui uni eidemque sectæ sint addicti, non in omnibus posse convenire, si vel maxime vellent, neque tamen ut hoc fiat, necesse esse &c. Sed hæc sufficiant.

APPENDIX,

Quarundam Thesium Theologicarum.

I. Quamvis distinctio inter articulos fidei fundamentales & non fundamentales necessaria & utilis sit, difficillimum tamen est, respectu habito ad singulos Homines definire, utrum hujus vel illius articuli ignorantia Hominem spe salutis excludat nec ne.

II. Dissensus, qui inter Protestantes de quibusdam religionis articulis intercedit, fundamentalis non est, sed facile sine Imperantium auctoritate, vel Concilii alicujus aut Synodi opera, componi posset.

III. Verba Spiritus S. significant, quidquid significare debent.

IV. Multum in Theologia profecit, qui quædam nescire didicit.

V. Emphatica est divinæ sapientiæ & veræ Theologiæ descriptio quam suppeditat *Apostolus Jacobus* cap. III. v. 17. Ita loquens: ἡ δε ἀνωθεν σοφια, πρωτον μεν ἁγνη ἐστιν, ἐπειτα ἐιρηνικη, ἐπιεικης, ἐυπειθης, μεστη ἐλεους, καὶ καρπων ἀγαθων, ἀδιακριτος καὶ ἀνυποκριτος.

VI. Quamvis sententia Reformatorum de S. Cæna rationi & revelationi convenientissima sit, multi tamen in usu hujus sacramenti graviter errant: ad quod non parum conferunt multæ obscuriores phrases & rethoricationes, quibus sæpe Theologi & V. D. Ministri de hoc argumento agentes, utuntur.

VII. Quævis Ecclesia particularis in non fundamentalibus ritibusque & ceremoniis errare potest. Quod si hoc frequenter Theologi Protestantes sibi in memoriam revocarent, ad pacem & moderati animi studium magis essent proclives, quam id eheu! fieri videmus.

VIII. Partium & sectæ studium potissimum impediunt, quo minus S. L. Interpretes rite suis defungantur officiis.

IX. Artis

IX. Artis criticæ & Linguarum peritia, plus confert ad rite intelligendas S. Litteras, quam Philoſophiæ, ſive illa antiqua ſit ſive moderna, cultura.

X. Docta in Theologia ignorantia optima eſt medicina adverſus ſuperbiam & diſputandi pruritum.

XI. Omnium Theologorum hoc eſſe ſymbolum deberet: *In neceſſariis unitas, in non neceſſariis libertas, in omnibus vero charitas.*

MEDITATIONIS DE CAUSIS MAGIS MAGISQUE INVALESCENTIS INCREDULITATIS, ET MEDELA HUIC MALO ADFERENDA.

PARS XII. & Ultima.

Sect. I.

Quid cavendum & præstandum sit V. D. Ministris & Oratoribus Sacris, homines a vitio Incredulitatis retracturis.



IN proxime antecedente dissertatione, ad ultimam partem Instituti nostri pervenimus, nimirum ostendendo media, quibus caveri possit, ne homines in vitium Incredulitatis incidant. Eum in finem, quid *Parentibus*, *Præceptoribus*, *nobiliorum Scientiarum Doctoribus*, & *Theologis* potissimum cavendum & præstandum sit, repræsentavimus; restat antequam ulterius progrediamur, ut dispiciamus, quid in gravi negotio præstare debeant *Oratores sacri*, & Ipsi *Imperiorum & Rerumpublicarum Moderatores*. Omnia, quæ inculcari possunt Oratoribus S. ad duo denuo commode revocantur capita; nimirum quædam Ipsis *cavenda*; quædam vero *præstanda* sunt. Inter *cavenda* hoc primum est monitum; videndum ne talia Oratores publici in orationibus suis scriptisque in medium proferant, quæ *inepta* & *superstitiosa sunt*; facile enim talia homo acutæ naris deprehendit, & albis dentibus nonsolum ridet, sed & de reliquis dogmatibus veris etiam & certis Religionis addubitare occipit. Unde fieri aliter non potest, quam ut in iis locis, ubi crassa superstitio grassatur, multi sint, qui religionem ipsam una cum superstitione rejiciant. Ita Ora-

Oratores sacri inter Romanenses, si omnia Religionis suæ Decreta tueri volunt, frequentissime talia proferre tenentur, quæ non possunt non excitatioribus ingeniis ridendi occasionem suppeditare. Secundum horum sententiam, S. Scriptura, obscura quippe & plebis ingenio plane non attemperata, legi non debet: ab altera parte Sanctorum & Mariæ cultus quammaxime urgetur; reliquiarum vis & efficacia deprædicatur, innumera miracula vi reliquiarum & intercessione horum vel illorum Sanctorum contra omnem verisimilitudinis speciem gesta referuntur: pluribus in locis idem corpus, vel partem corporis reperiri sine pudore affirmatur, & mille aliæ ineptiæ & fabulæ publice in Orationibus ennarrantur, quarum is effectus est, ut plebs ad teterrimam superstitionem, doctiores vero & sapientiores in *Deismum* vel *Indifferentismum* incidant. De quo tamen argumento in prioribus de causis Incredulitatis partibus jam me egisse memini. Vide epistolas *Emiliani* in qua extat una *de modo concionandi in Italia usurpata.*

II. *Cavendum* Oratoribus, ne ubi momentosissima inculcare & probare conantur, utantur aut infirmis plane argumentis, aut saltem prudentem eorum delectum non habeant. Si ullibi, certe hîc cauti esse debent V. D. Ministri. Argumentum quod nihil probat, nonsolum vim nullam in animos hominum habet, sed & articulos ipsos, qui probandi sunt, reddit valde suspectos. Quando imbecilla plura admiscentur uni vel alteri solido argumento, infirmiores non solum vim solidi argumenti ab infirmo distinguere non poterunt, sed qui acutius cernunt, nonsolum de Eruditione Oratoris sæpe abjecte sentient, sed & incipient de veritate ipsa articulorum dubitare. Profecto non debent hîc sequi Oratores sacri *Ciceronem*, qui libro secundo de Oratore ait; *Oratoris omnis actio opinionibus non Scientia continetur: Nam & apud eos dicimus, qui nesciunt, & ea dicimus, quæ nescimus ipsi.* Unde (quod in transitu monemus) patet, Eum, qui cum fructu & laude Oratoris sacri munere defungi vult, solida Eruditione instructum esse oportere. Neque dicendum, Apostolos optimos fuisse Oratores, licet variis disciplinis exculti non fuerint; nam illi erant φερομενοι ὑπο πνευματος ἁγιε, miraculisque erant illustres, adeo ut longa subtilium argumentorum serie opus non esset, ad has vel illas veritates probandas. Hodie vero judicio, meditatione, variisque disciplinis opus est, ad veritates in S. Litteris contentas, probandas & vindicandas.

III. *Cavendum* Oratori Sacro a Meteoris Orationis, ampullatis & hyperbolicis locutionibus, allegoricis & mysticis phrasibus. Hæ enim non-

nonsolum fructum nullum habent, sed sapientioribus etiam materiem risus & contemtus religionis, suppeditant. Scriptus est ab erudito Anglo, nomine *Easchar* libellus, sub titulo; *De contemptu Religionis orto ex Concionibus publicis.* Is in idioma germanicum est translatus, cum præfatione docta τε μακαριτε *Celeb. Reinbekii.* In hoc vero libello tot ineptarum, insulsarum & ridicularum allegoriarum, comparationum item & rethoricationum talia exempla prostant, ut vix credere potuissem, tam ridiculos dari inter Protestantes, Anglos inprimis, Oratores, nisi *Illustris Burnettus* in *Historia sui temporis*, miserabilem faciem eloquentiæ sacræ illius ætatis delineasset, & per quos novum splendorem vera dicendi peritia acceperit, exposuisset. Hodie, quæ Seculi nostri felicitas est, nonsolum *Angli*, sed excellentissimi *Germaniæ* Viri nativam indolem masculæ Eloquentiæ & regulis & exemplis præclare repræsentarunt. At frustra tamen hoc ingeminabis his, qui acri & subacto judicio destituti, artisque cogitandi parum periti sunt. Ex quo simul patet, quam vitiosa sit, & impia quorundam opinio, qui existimant, qualiacunque argumenta, & qualemcunque dicendi, & res divinas proponendi methodum, plebi sufficere.

IV. In Concionibus Sacris *abstinendum* est, a tractatione subtiliorum & minus necessariarum controversiarum; Illæ enim captum plerorumque Auditorum superant, neque errantibus, si qui in cœtibus adsunt, satisfacere possunt Oratores. Neque munus & officium quo defunguntur, id ut fiat, postulat. Exspectamus ab Oratore sacro claram & solidam veritatum salutarium in S. Litteris contentarum expositionem, una cum ponderosissimis ad virtutem sectandam incitamentis, plura non item: quod si Pastor iste tam peritus est Controversiarum, amplissimum habet campum singularem, qua se instructum esse existimat, ingenii ἀκριβειαν & Eruditionem demonstrandi, & non deerunt, (quod in cætibus ipsis, ubi conciones habentur nefas est) qui forte argumenta argumentis opponant & accerrimo examini subjiciant.

V. In familiari conversatione cum Viris prudentibus, manifestis indiciis probare debent, se a disputandi de quibusvis prurigine esse alienos, neque nescio cujus rigidioris Orthodoxiæ studium & famam in tractandis quibusvis controversiis adfectare, sed omnibus sua modestia & moderati animi studio, sese commendare debent. Inprimis vero evitandæ sunt artes inquisitoriæ, quo nomine intelligo insanam quandam cupiditatem, quosvis a se dissentientes impugnandi, illorum existima-

ſtimationi detrahendi, Principibus in Rebuspublicis Viris eos exoſos reddendi, errores denique eorum in majus extollendi: tales enim nonſolum a Sapientioribus pro Doctoribus umbraticis habentur, ſed & Incredulis præbent fæcundam Miniſtros perſtringendi materiem, & religionem ipſam in contemtum adducunt, quod experientia omnium temporum ſatis docuit, & libri Deiſtarum probant.

Ea vero quæ Oratori S. & V. D. Miniſtro *præſtanda* ſunt ad ſequentia revocari poſſunt. I. Omnibus viribus eis elaborandum eſt, ut oſtendant, ſe religionis chriſtianæ eſſe gnariſſimos, & quidquid in ea ſublime, excellens, & pulchrum eſt, cognita & perſpecta habere, omnibusque illis diſciplinis excultos, quæ ad præſtantem Oratorem formandum facere poſſunt. Ipſi etiam Increduli tales viros admirantur, & talibus duntaxat Viris vacivas aures præbent, minime vero imperitis Declamatoribus.

II. Principalia Religionis dogmata, ſolide & perſpicue Auditoribus ſunt proponenda, eumque in finem utendum eſt ſtylo perſpicuo & ſimpliciſſimo. Notum quidem eſt in quibusdam (quemadmodum penes nos) Eccleſiis uſu eſſe receptum, ut ſecundum ſeriem capitum, vel Evangelium aliquod, vel epiſtola apoſtolica explicetur; at hoc non obſtante quærendæ & captandæ ſunt occaſiones, præcipua Theologiæ Naturalis & Revelatæ, Theoreticæ pariter & Practicæ capita populo chriſtiano proponendi. Nota eſt multorum in his argumentis ſupina ignorantia; notum, fidem horum hominum, ubi dubia quædam eorum animos occupant, vehementer nutare; & qualis tandem eſt iſta perſuaſio, quæ notitia accuratiore horum articulorum deſtituitur? Hinc laudabile plane fuerat *Nobiliſſimi & Eruditiſſimi Boylei* inſtitutum tales nimirum conſtituendi Oratores, qui ſingulis annis religionem Naturalem & Chriſtianam rite explicarent, & contra Atheos & Deiſtas maſcule & erudite defenderent.

III. *Religionem* ſemper tanquam rem valde amabilem, rationi convenientem, & nonniſi ad felicitatem noſtram promovendam ab Optimo Numine datam, repræſentare debent Oratores Sacri. Hac enim ratione ſola, animi illius amore incenduntur. Unde ſimul manifeſtum eſt, omnia ea, quæ ad finem illum obtinendum nil faciunt, Oratoribus eſſe omittenda.

IV. Scitu cognituque neceſſaria Religionis dogmata perſpicue & ſolide, miſſis Scholarum tricis & obſcurioribus phraſibus, frequenter ſunt explicanda, probanda, & commendanda. Hîcque nulli la-

bori parcere debet Orator Sacer; agitur enim de rebus graviſſimis & momentoſiſſimis; neque ad multitudinem argumentorum ſed ad pondus eorum eſt attendendum: imbecilla enim argumenta nonſolum nullam in animos habent vim, ſed & ipſam religionem in contemtum adducunt. Ad hoc vero præſtandum plura requiruntur, quam vulgo exiſtimatur.

V. Pro Cathedra nonniſi errores graves & pietati nocivi, idque poſtulante neceſſitate refutandi: at hoc fieri debet ea judicii ἀκριβεια, eo argumentorum pondere, ſtylique puritate & ſimplicitate, ut ipſi Incredulo, ſi qui præſentes ſint, fateri teneantur, Oratorem artis ratiocinandi eſſe peritum, omnibusque præſidiis eſſe inſtructum, quæ ad ſententiam ſuam probandam & tuendam facere poſſint. Ex quo ſimul ſequitur, ineptire illos, qui leves errores & hypotheſes, ad pietatis ſtudium nihil conferentes, publice tamen impugnant, quarum etiam plerique Auditorum ignari plane ſunt.

VI. Cum pravæ animorum commotiones religioni & pietati inſidias ſtruant, Ethicæ Philoſophicæ pariter atque Chriſtianæ quammaxime periti eſſe debent Oratores Sacri, atque harum diſciplinarum ope, ſpecioſas ſed falſas præjudiciorum & affectuum cauſas detegere. Circa hoc argumentum multi V. D. Miniſtri gravi verſantur in errore. Multi per vitam nonſolum Ethicam philoſophicam non excoluerunt, ſed & eam periculoſam eſſe putant. At quomodo hi tandem demonſtrare poterunt religionis chriſtianæ & præceptorum ejus præſtantiam, æquitatem, & cum ratione conſenſum? Quid reſpondere poterunt Incredulo, præcepta religionis chriſtianæ impugnanti, atque dicenti, ea in gratiam hominum fanaticorum eſſe ſcripta, omnibusque rectæ rationis Decretis eſſe contraria? Et quænam tandem cauſa eſt, cur multi Chriſtianorum, officiorum, quæ in hominem cadunt, adeo ſint immemores, & in ſuperſtitionem & fanaticiſmum incidant, quam vero, quod ipſi ſæpe Sacrorum Miniſtri, harum diſciplinarum ſint ignari? Imo multi Oratorum ne quidem ferre poſſunt eos, qui Ethicam Chriſtianam magni faciunt, & frequentiſſime eam in Sermonibus ſacris adhibent atque urgent, ſed eos neſcio cujus Heterodoxiæ ſuſpectos habent, clamantes, ſyſtematicas veritates graves pariter & leviores jugiter eſſe inculcandas. Hinc ut plurimum fieri ſolet, ut hi Oratores aut in generalibus Ethicæ Chriſtianæ præceptis adquieſcant, aut myſticas neſcio quas phraſes populo propinent, aut ſingula officiorum genera ita exaggerent, ut homo ſanæ mentis ad amorem virtutis nulla

nulla plane ratione adduci possit. Et profecto cæcum in religionis negotio oportet esse V. D. M. qui non videat, & quasi palpando deprehendat, non minus necesse esse, ut frequenter inculcentur Ethicæ Christianæ præcepta, incitamenta, ejusque ad pie vivendum præsidia, quam vero dogmata scitu necessaria. Audi quid de hoc argumento differat ὁ Μακαριτης *S. Werenfelsius* Theologus Excellentissimus in dissertat. *cur Incitamenta Scripturæ sæpe sint inefficacia* p. m. 150. sqq. *Non ignotæ mihi sunt* (inquit) *Doctorum quorundam querelæ, qui non ferendum clamant, quod religio hodie a multis in puram putam Ethicam convertatur: quæ sane querelæ justissimæ sunt, si nolunt illam converti in Ethicam paganam, quæ nec virtutem nobis excellentiorem proponat, quam Gentiles Philosophi, nec gravioribus nos ad eam stimulet incitamentis. At si quis de magnis illis christianæ Religionis Mysteriis, Philosophis Gentilium incognitis, uti par est, persuasus, existimat, sibi in eorum speculatione subsistendum non esse; sed illa omnia, quot quot sunt, consideret ut Mysteria pietatis i. e. ut totidem ad pietatem, virtutesque cum ea connexas, incentiva: Si existimat in hunc præcipue finem a Deo sibi illa esse revelata; aut vehementer fallor, aut hic demum veram animo concepit Religionis Christianæ ideam. Certe meliore loco essent res Ecclesiæ, si omnes Christiani religionem suam hoc modo in Ethicam converterent, quam si, qui illam convertunt in puram putam Metaphysicam, ac sterilem proprietatum & operum divinorum contemplationem.* De iis vero, qui Sectæ suæ opiniones frequenter in cætibus sacris commendandas esse putant, ita pronuntiat idem *Eximius Vir. Qui religionis* (inquit) *cardinem in hoc uno verti autumat, ut dogmata, quæ profitetur meliora & saniora sint, quam dogmata cæterorum, qui Christiani vocantur, utque illi Ecclesiæ adhæreat, quæ talium dogmatum professione se a cæteris distinguit; is gravissimis, de quibus diximus incitamentis, ad nihil aliud commovebitur, quam ut Ecclesiæ suæ, ejusque opinionibus firmius adhæreat, pro iis pugnacius dimicet, contra sentientes magis aversetur, in eos acerbius invehatur, &, ubi satis potens est, illos immitius persequatur, immanius tractet, crudelius torqueat, ac dirioribus suppliciis afficiat.* De eodem Practicæ disciplinæ seu Ethicæ Christianæ neglectu, conqueritur Rev. *Bowles in libello de Pastore Evangelico. Illi,* (inquit) *qui practica negligunt, tanquam vulgaria, pervia & omnibus exposita, & languent interim circa quæstiones quasdam subtiliores & controversias implexas, cum postea ad concionandum accedunt, sibi ipsis placent quidem nimis, sed omnibus prudentibus nunc risum, nunc misericordiam solent movere: Risum cum minima arrepta ansa, de controversia aliqua non*

necessaria, plura effundunt quam par est: misericordiam, cum de practicis dicturi, quasi in alium mundum translati, prorsus frigent.

VII. Præjudicia generalia, sed religioni & pietati valde noxia, de vera pietatis indole frequenter sunt impugnanda, fontesque siniſtrarum opinionum detegendi. Hæc profecto plus nocent religioni quam Hæreses. Sic multi inter doctos putant, summam pietatis in Orthodoxiæ studio i. e. omnium opinionum, & hypotheſium quas Præceptores noſtri nobis inculcarunt, accerrima defenſione conſiſtere; alii in aſſidua frequentatione templorum, rituumque receptorum ſedula obſervantia, maximam & præſtantiſſimam cultus divini partem ſitam eſſe putant; rurſus alii in refugio ad Chriſti miſericordiam ſine ulla tamen mentis mutatione ſpem ſalutis reponendam ſciſcunt &c. &c. Peſtilentes has opiniones graviſſimis & clariſſimis argumentis debent impugnare Oratores Sacri. Exemplum quod ſequantur, monſtravit ὁ Μακαρίτης *Cl. Werenfelſius* in Diſſertatione: *De Securitate carnali.*

VIII. In præſtatione ſuorum officiorum monſtrare debent V. D. M. ſe ea præcipue curare, quæ pertinent ad religionis & pietatis progreſſum; contra vero omnem navare operam, ut ea quæ ad ignorantiæ, ſuperſtitionis, & impietatis decrementum & extinctionem faciunt, ſtrenue exequantur. Ita enim cæteri, qui hæc vident firmiter credunt, Eos de Religionis Chriſtianæ præcellentia firmiter eſſe perſuaſos, neque veriſimile eſſe, tales, in rebus ad religionem ſpectantibus, meros hiſtriones agere. Ubi contra vident, Eos negligentiſſime officiis ſuis defungi, lucripetas eſſe, & pro pane potius lucrando, quam pro veritate & pietate ſollicitos eſſe, multi, nonſolum de Ipſorum pietate, ſed & ſæpe de veritate Religionis addubitare occipiunt.

IX. Philoſophiæ ſtudia non negligere debent Oratores Sacri: præterquam enim, quod ea ſola verum decus & Ornamentum cæterarum Litterarum ſtudiis adferunt, efficiuntque, ut Orator ordine & ſolide, quæ tractanda ſunt, proponat, gravia & ſolida a levibus diſcernat, argumentorum vim & pondus monſtrare ſciat, meteora Orationis & inanem verborum ſtrepitum prudenter evitet: neceſſarium eſt hoc ſtudium, propter eos ipſos, qui vel ad Incredulitatem inclinant, vel jam in hunc morbum inciderunt. Ubi harum diſciplinarum rudem plane eſſe Oratorem Sacrum ſciunt hujus generis homines, non niſi cum faſtidio Eum audiunt, indignaque judicant cum attentione quæ ab Eo proferuntur, audiendi: hoc certum, Oratores his præſidiis deſtitutos, fruſtra cum Incredulis ſermocinari, neque eorum objectiones

nes rite retundere posse. Imo potius ipsis Incredulis multivariam suppeditant occasionem, religionem ipsam contemnendi & Ministros ipsos V. D. tanquam Superstitionis & Fanaticismi Auctores, vellicandi.

X. Quando Oratores Sacri, ut sæpe fieri solet, congressibus Virorum ordinis politici intersunt, hique liberius de rebus ad Religionis negotia spectantibus sermocinantur, prudenter & circumspecte se gerere debent: sæpe enim nihil aliud ita agendo quærunt, quam ut experiundo discant, qualis sit Pastoris illius in rebus divinis peritia, & qua ratione his vel illis difficultatibus occurrere posset. Hîc profecto necesse est, ut talis ostendat, se in causas Incredulitatis diligenter inquisivisse, atque jugulum causæ petere i. e. difficultatum in medium prolatarum præcipua fundamenta docte tollere posse. Ita enim non-solum aliquam sibi comparat auctoritatem, sed etiam impedit, quo minus aliis occasionibus incautius hi homines de religione loquantur. Cavebit autem prudens V. D. Minister, ne propterea tales odio habeat, eorum famæ & existimationi detrahat, multo minus eos de rostris acerbioribus verbis incessat. Nonsolum enim hac ratione nihil obtineret, errantemque in viam minime reduceret, sed & sæpe nociva sibimetipsi concitaret pericula.

XI. Sacrorum Ministri prudenter agunt, si de suis vocationibus vel internis vel externis nulla exigente necessitate altum servant silentium. Hæc moneo, quia experientia edoctus sum, eos, qui V. D. Ministros pro superstitionis Auctoribus & Propagatoribus habent, ex hisce pabulum suæ Incredulitati & præsidium petere. V. D. Minister, qui eruditione & pietate eminet, officioque suo intentus est, quantum naturæ humanæ infirmitas patitur, non opus habet, ut de vocatione sua interna verba faciat. Quæ vero ratio sit vocationis illius, quæ vocatur externa, pulchre omnes norunt: Neque ea, si cætera ornamenta muneris absunt, ullum verum decus Doctori conciliat.

XII. Quamvis Ministri V. D., ut cœteri Mortales, non ab omnibus erroribus & vitiis immunes plane sint, cavere tamen debent quammaxime, ne torrente horum vel illorum se se abripi patiantur: Licet enim ex his colligi non possit, Religionem ipsam nulli vel debili argumento esse superstructam; occasionem tamen rudioribus & religionis non satis gnaris suppeditare potest, de religionis veritate dubitandi; de quibus tamen nos jam egisse in prioribus dissertationibus, meminimus.

XIII. Hypotheſes partim incertæ, partim nullum uſum in pietatis ſtudio habentes, pro roſtris non ſunt uſurpandæ. A doctioribus Auditoribus, ut plurimum eæ non admittuntur, cæteri, quorum maximus eſt numerus, eas non intelligunt. Hunc in cenſum referendum etiam eſt nimium ſtudium novas allegorias & typos captandi & ad fixos quoſdam temporum noviſſimorum terminos, obſcuriora Veterum Vatum Oracula adſtringendi.

XIV. Denique (ut alia ſilentio tranſeam) ſi quando V. D. M. norunt, quoſdam in ſuis cætibus dari, qui paulo liberius de religionis negotiis ſentiant, non propterea illi ſunt odio habendi, aut inſectandi, aut plane tanquam pertinaces negligendi; ſed comitate, modeſtia, argumentisque, ſunt in viam reducendi. Monſtrandum V. D. Miniſtros non eſſe Hæretifices, ſed religionis amatores: ſæpe modeſtia & prudentia obtines, quod nimia ſeveritate nullo modo conſequaris. Sed de his in progreſſu hujus diſſertationis plura dicentur. Nullus ego dubito, quin V. D. M. & publici Oratores Sacri, ſi dictis vacivas prebeant aures, uberrimum exinde fructum ſint percepturi, & ita impedituri, quo minus vitium Incredulitatis, quantum in ipſis eſt, magis ſerpat, altasque radices in animis hominum agat.

Quid Imperantibus & Rerumpublicarum Moderatoribus hoc in negotio præſtandum ſit, oſtenditur.

II. Hactenus expendimus, quid V. D. Miniſtris præſtandum ſit, ſi graviſſimo malo, Incredulitati nimirum occurrere, animosque contra id communire velint. Tempus jam eſt, ut diſpiciamus, quid Imperantes & Rerumpublicarum Moderatores conferre poſſint, ad morbum hunc epidemicum impediendum & reprimendum. Novimus quidem præcipuam curam Imperantium in eo eſſe poſitam, ut Societatis civilis commoda promoveant, eaque potiſſimum curent, quæ ad Reſpublicas ſartas tectasque conſervandas facere poſſunt, eoſque Jura in conſcientias hominum non habere, neque pro arbitrio ſuo articulos credendi ſuis ſubditis imponere poſſe. At vero ubi conſiderantur tanquam Principes communibus religionis vinculis devincti & Eccleſiarum chriſtianarum membra, ad maximas dignitates evecta, nonſolum quoad regimen externum Eccleſiarum plurima conferre poſſunt, ad ἀταξιαν evitandam, ſed & ſaluberrima conſilia ſuppeditare, quibus vera & ſalutaris notitia rerum divinarum ſubditis tradi, inculcari, atque adeo religioni & Societati civili infeſti errores, evitari poſſunt. Principii igitur loco ponimus, non tantum licitum eſſe, ſed & officium eorum eſſe Religionem *legitimis*, *legitimis* inquam mediis ſubditis ſuis commendare, omniaque præſtare, quæ ad ſalutarem notitiam chriſtia-

na:

næ religionis comparandam conferre aliquid posse existimant. Dixi autem id fieri oportere mediis *legitimis*: Quo ipso proscribimus omnem violentiam, persecutiones omnes: præterquam enim quod hæc ratio agendi neque jure divino, neque humano id illis est concessum; violentis mediis Hypocritas tantum efficiunt, reverentiam, quæ illis debetur, ex animis etiam optimorum subditorum evellunt, & ad Incredulitatem inclinantes, in ea, quam fovent opinione, confirmant, Religionem nimirum a nutu & voluntate Principum dependere, atque adeo illos rectissime facere, qui, ubicunque, & inter quoscunque degant, religionis ibi receptæ dogmata sequantur. Legitima autem illa media ad sequentia potissimum capita referri possunt. *Primo* debent operam dare Imperantes, vel ii, quibus talia munera constituendi demandata est cura, ut in publicis Scholis, Gymnasiis, & Academiis, tales constituantur Doctores, Theologi inprimis, qui nonsolum magno Eruditionis solidæ sint instructi apparatu, sed & qui sapientes, circumspecti, & pacifici sint. Quantum tales Doctores ad Incredulitatis vitium minuendum facere possint, operosa demonstratione opus non est. Contra vero iidem publicarum Scholarum Moderatores & Curatores, ingenia superba, disputacia, ad lites & contentiones excitandas & alendas natura quasi facta, a locis illis virtuti duntaxat & sapientiæ consecratis, arcere debent. Ex quibus patet, Eruditionem solam, qua instructos esse oportet Doctores publicos, non sufficere, ad malum hoc reprimendum, sed accedere debere veram mentis perspicaciam, prudentiam, amorem veritatum gravissimarum & moderati ingenii studium. Ubi enim dominantur homines, qui Diis iratis nati, nihil aliud satagunt & quærunt, quam ut cum quibuslibet, & de quibuslibet minutis quæstionibus ferram disputationum reciprocent, nonsolum perpetuæ lites & contentiones inter fratres & cives excitantur, sed & Religio ipsa, tanquam res ad alendas duntaxat rixas comparata, in contemtum adducitur, acutioribus vero, sed exiguo religionis amore tactis, ridendi ampliſſima subministratur materies.

II. Imperantes omni data occasione ostendere debent, se nonsolum Viris eruditis, cordatis, & pacificis bene cupere, sed & eorundem famam & existimationem, contra rixatorum, Hæretificum, & calumniatorum susurros & clamores tueri tenentur. Ita enim hi magis magisque ad officia sua læto animo præstanda excitantur, & in adyta veritatum majore cum diligentia penetrare nituntur; ita denique omnibus constat, non stemmati aut rixandi cupiditati, sed masculæ Eruditi-

Eruditioni & veræ sapientiæ sua esse reposita præmia. Ubi vero Optimates & Rerumpublicarum Moderatores manifestis indiciis ostendunt, se homines inepto zelo incensos, & Hæretifices fovere, iis patrocinari, facileque pati, ut optimis & præstantissimis Viris insultent, multi ab inquirenda veritate absterrentur, hypocritas agere incipiunt, suam publice deprædicant Orthodoxiam, in sinu vero eam rident, & ita contra sanctissimam conscientiæ vocem peccant, succesuque temporis eo deveniunt, ut perinde ipsis sit, quid de religione sentiant.

III. Ut vero Imperantes hoc malum evitent, haud facile debent rixatoribus & clancularüs accusatoribus vacivas præbere aures. Inter artes horum hominum & hæc est: Solent nimirum sæpe frequentare Viros principes, quos nonsolum multum valere in Republica sciunt; sed & pulchre norunt, Eos omnes avitas opiniones, leves licet & parum profuturas, consuetudinesque magni facere, & tueri solere. Horum in sinum exponunt aliorum sententias, eas ut valde periculosas repræsentant, opinionesque cum invisis valde nominibus conferunt; unde sæpe fieri solet, ut de hominibus optimis & innocentissimis Optimates siniſtras foveant opiniones, eosque sine causa odio habeant. Ut igitur malum hoc eviterur, aut a conspectu suo tales crabrones arcere debent, aut, quæ est hominum illorum importunitas, si admittere eos debent, antequam sine ulteriore mora illis assentiuntur, audiendi placide sunt accusati, aperiunda accusationis capita & responsa. Ubi vero postea manifestum erit, aut mera fuisse mendacia, quæ effutiverunt infruniti homines, aut sententiam siniſtre repræsentatam fuisse, aut denique agi de lana caprina, id est nullius momenti quæstiuncula, nonsolum mature posticæ debent occurrere sannæ, sed & tales ita excipere, ut in posterum calumniandi, aliosque vellicandi lubidinem abjiciant.

IV. In rebus ad Religionis Essentiam non pertinentibus, quæstionibus criticis, historicis, philosophicis, & aliis ejusdem naturæ, Imperantes prudentem & modestam sentiendi libertatem concedere debent. Ubi enim etiam in minoris momenti rebus, dissensus omnis proscriptus est, vera & mascula Eruditio caput non tollere, neque veræ sapientiæ studium florere potest; sed regnabit ignorantia, superstitio, & hypocrisis, quæ profecto religionem non promovent, sed deprimunt, imo ad Indifferentismum viam sternunt. Quid enim facere potest Vir doctus & acutus, vivens in gremio Ecclesiæ v. gr. Romanæ, ubi mille audit fabulas & ridiculas opiniones, quas ratio repudiat,

diat, & quas tamen tanquam articulos fidei admittere & deoſculari tenetur? Aut hypocritam debet agere, & id quod colere tenetur, in corde ridere, aut Inquiſitoribus tradi, aut denique dulce Patriæ Solum relinquere debet. Ubi vero modeſta aliqua illi concederetur libertas, de Eruditione & Republica bene mereri poſſet. Eſt vero hoc conſilium eo magis Principibus ingeminandum, quod certiſſimum ſit, per rerum naturam fieri non poſſe ut homines, eidem in eſſentialibus capitibus religioni addicti, in particularibus hypotheſibus, quæſtionibus criticis, exegeticis, philoſophicis, &c. per omnia conſentiant. Unde aut turpiſſima ignorantia & ſuperſtitio eſt fovenda, quæ omnis impietatis mater eſt, aut in ejusmodi opinionibus, aliqua eſt concedenda ſentiendi libertas.

V. Erectiora ingenia non debet Princeps premere, ſub pretextu, ac ſi talia in Eccleſiis & Rebuspublicis novas & non neceſſarias lites excitatura eſſent. Per hominem erectioris ingenii intelligo talem, qui incredibili veritatis inquirendæ ſtudio ducitur; qui omnia divina & humana omni diligentia expendit; qui levia a momentoſis diſtinguere ſolet; qui nihil ſibi obtrudi facile ſine ſufficiente ratione patitur; qui in receptas denique publice opiniones diligenter inquirit. Talia ingenia fovenda potius, quam odio habenda eſſe exiſtimamus. Horum enim ſolorum opera, veritas omni tempore in apricum fuit producta, tenebræ vero diſſipatæ. Exemplo eſſe poſſunt B. *Majores noſtri*, qui religionem turpi ſuperſtitione fædatam, licet publice receptam, impugnarunt ſtrenue, & priſtino reſtituerunt nitori. Verum eſt quoſdam ex hoc numero, aut cupiditate cuncta ſciendi, aut ambitione extra Orbitam vagari ſæpe velle: quæ animi adfectio mature ſe ſe in ejusmodi hominibus exerit; quod ubi manifeſtis indiciis hoc conſtat, tradendi ſunt tales Doctoribus Eruditione & ingenii acumine eminentibus, qui arte æſtum illum animis inſitum temperent, & in planam eos ſemitam ducant, talia illis offerendo objecta, & tales diſciplinas commendando, ex quibus diſcere poſſunt, quam arctis cancellis ſit noſtra ſcientia, qualiscunque tandem illa ſit, circumſcripta; quot in variis diſciplinis non tam ob ingeniorum imbecillitatem, quam vero ob rerum ipſarum obſcuritatem, occurrant dubia. Hac ratione æſtus iſte refrænatur, incipiuntque ſuam ſciendi aviditatem ad certas reſtringere regulas. Unde ſæpe factum eſt, ut tales poſtea de Litteris, Eccleſia, & Republica optime fuerint meriti.

VI. Dixi ſupra Principes modeſtam ſentiendi libertatem ſuis ſubditis

ditis concedere debere, in rebus nempe minoris argumenti; ubi vero mutuis publice se se invicem adoriuntur convitiis, aut leves opiniones pro rostris vel defendere, vel impugnare volunt, licentia hæc publica auctoritate coercenda est. Hæ enim contentiones cum scandalo sunt conjunctæ, mirasque in animis excitant effervescentias. Ubi vero in disputando modum ponunt, & amice argumenta invicem conferunt, imaginaria illa bella siccis intueri possunt Imperantes oculis.

VII. Ubi oriuntur de gravioribus religionis articulis dissensiones, tales certe, quæ Viris vere doctis (non zelotis, doctoribus umbraticis, & nulla vel exigua Eruditione instructis) tales esse videntur, non statim accusati pro reis sunt habendi, aut non auditi damnandi; sed negotium ad Viros doctissimos, a partium studio alienos, iisdemque Sacris addictos est deferendum, audiendaque eorum Consilia. Hoc ideo necessarium est, quia quælibet dissentientium pars errores omni studio minuere, vel periculum exaggerare solet. Hujus rei innumera prostant in Veteri & recentiori Historia Ecclesiastica exempla: ubi vero audita sunt Virorum præstantissimorum judicia, accusato spatium temporis concedendum est, sua cogitata tranquillo animo denuo examinandi, cum aliorum judiciis conferendi, sententiamque tandem suam omnibus expensis, repræsentandi. Pensitatis omnibus, & ad æquitatis regulas revocatis, quæritur quousque tolerantia ecclesiastica extendenda sit; nam de politica inter Juris peritos, tales certe qui & Jus Naturæ, & Conscientiæ Leges intelligunt, prolixa disceptatione opus non erit. Atque in hoc negotio eo minus est præcipitandum, quod experientia constet, multos gravissimorum errorum postulatos, elapso brevi temporis spatio, absolutos, & pro innocentibus habitos, accusatores vero omnium odiis & detestationi expositos fuisse. Quid superiore Seculo in causa *Cartesii*, ætate vero nostra in negotio *J. Wittichii* & *Illustris Wolfii* obtigerit, Eruditis omnibus notum est.

VIII. Ex iis, quæ jam jam dixi, sequitur; Eos qui Rempublicam campessere volunt, optime & prudenter agere, si accuratiorem Religionis christianæ notitiam sibi comparare annituntur, & eorum præcipue articulorum, qui a Præstantibus Theologis pro fundamentalibus habentur. Quamvis enim Imperantium non sit, Religionis momenta decidere, & pro lubitu suo articulos Religionis præscribere, utile tamen est quammaxime, si in his argumentis rudes non sunt. Ita enim sibi ab infrunitis zelotis haud facile imponi patiuntur, simul vero judicia Virorum doctorum de his vel illis controversis articulis melius

expen-

expendere possunt. Profecto laudandi sunt Rerum publicarum Proceres, si doctissimorum Virorum scripta, ubi a curis publicis aliquid concessum est otii, de præcipuis articulis Religionis Naturalis & Revelatæ evolvunt. Beata certe Respublica, ubi *Philosophi regnant*, vel *regnantes philosophantur*.

IX. Ad Incredulitatem (quantum in Imperantibus situm est) prohibendam, & Religionem pietatemque promovendam & confirmandam, multum facit, si in urbibus pariter ac in agris tales constituuntur V. D. M. qui eruditione, prudentia, moderati animi studio, & in muneribus suis defungendis sedulitate, eminent. Necesse quammaxime est, ut hoc fiat in urbibus majoribus: Multi enim Auditorum artem cogitandi & philosophicas pariter ac theologicas disciplinas callent; quod si Oratores ineptis rationibus ad res sanctissimas probandas utuntur, non potest non Religio ipsa in contemtum adduci.

X. Curandum inprimis Rerum publicarum Moderatoribus, ut in agro Scholæ probe sint constitutæ, præceptorum rusticorum prudens & pius habeatur delectus, institutionesque catecheticæ diligentissime habeantur: sine his conciones omnes sunt frustraneæ, & superstitio pariter & ignorantia una cum contemptu Religionis triumphabunt.

XI. Magnates permittere non debent, ut Oratores sacra pulpita conscendant, sine accurata meditatione & scriptione earum rerum, quæ proponendæ sunt. Profecto si cuilibet licet quicquid in buccam venit effutire, & pro religione venditare, non poterit non religio risui exponi.

XII. Concedere itidem non debent Rerum publicarum Moderatores, ut homines profani & Scurræ, publice impune sanctissima Religionis Naturalis & Revelatæ capita albis dentibus rideant, & ita ea, quantum in se est, in contemptum adducant. Aliter agendum esse cum iis, qui conscientiæ scrupulis commoti, modeste sua argumenta proferunt, infra docebo

XIII. omnem debent navare operam Principes, ut subditi & cives, non metu persecutionis, aut per hypocrisin religioni publice receptæ subscribant, sed de ea sint, quantum necesse est, persuasi. Profecto nulli meliores sunt cives, quam illi, qui de religionis præcipuis argumentis sunt convicti, licet forte in minoris momenti rebus errent. Nulli vero magis Rebus publicis sunt nocivi, quam Hypocritæ: Qui enim non serio cultui Numinis est addictus, quomodo Imperantes, eorumque Decreta magni facere poterit?

XIV. Multum etiam huc conferet, si ipsi Imperantes & Principes, Religionem & cultum Numinis amant: contra ubi locum habet illud tritum: Exeat aula, qui vult esse pius, subditorum multi parum curabunt Religionem. Atque hæc Imperantes ad impediendam Incredulitatem facere & possunt & debent. Præter ea consilia, quæ hactenus Imperantibus dedi, duo adhuc restant, quæ in medium produxit ὁ Μακαριτης Celeb. *Werenfelsius de Jure Magistratus in conscientias: Primum est*, (inquit) *ut ad errores graves refutandos, nonnisi adhibeantur Viri ad hoc idonei. Quantum inquit ad hoc conferre potest pius Magistratus, si prospicit, ut nemo ad errores cum voce tum scriptis refutandos adhibeatur, nisi præ cæteris ad hoc sit idoneus; qui naturam mali, quod sanare vult, ejusque originem, atque efficacissima remedia probe perspecta habeat. Qui non modo aptus sit ad falsitatem opinionis alicujus perspicue ostendendam, sed ad præjudicia erranti eximenda, & affectus ejus compescendos, qui veritatis agnitionem impediunt. Qui denique, quod ab Oratore exigit Fabius, sit Vir bonus (addo ego bonus Christianus, pius, mansuetus, humilis &c.) dicendi peritus*, i. e. *ad veritatem aliis persuadendam aptus: ad persuadendam dico, non imperandam & minaciter obtrudendam. Neque enim quicquam majorem apud plerosque vim habet, lenitate & mansuetudine, solidis rationibus suffulta. Hac Nanzianzenus plurimos segreges ad Catholicam Ecclesiam a se reductos gloriatur: secutus sine dubio divinum illud Pauli monitum: Servum Domini non oportet pugnare, sed mansuetum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos, qui contrario animo sint affecti, experturum, num aliquando daturus sit eis Deus resipiscentiam ad agnitionem veritatis.——. Multum huc conferre potest Magistratus, si operam dat, ut vigeat cultura judicii & studium bonæ mentis. Hoc enim ubi regnat, ibi plausum non inveniunt inanes opiniones & somnia, quæ se hominibus* φαντασιαστικοις, *sed infirmi judicii, tantopere commendant. Hæc imaginationem eorum magis magisque corrumpunt, & transversos in nescio quæ avia abripiunt. Unde per gradus tandem itur ad Fanaticismum, quo nullum in Ecclesia malum est magis contagiosum & minus sanabile. Præsertim si accedunt intempestivæ, contra rationis in religione usum, declamationes: quibus fit, ut homines tanto magis sibi placeant, & plaudant, quo magis a Sapientibus se vident exsibilari. Quantum in primis pius Magistratus ad errores pestilentes tum cavendos tum sanandos conferre potest, si scandala tollit, quæ in Orthodoxa sunt Ecclesia: quæ doctrinam ejus ita suspectam reddunt, ut ii, qui foris sunt, putent, illam, cum tales fructus ferat, falsam esse:*

esse: plurimi qui in Ecclesia sunt, de ea dubitare incipiant, eamque considerent tanquam fabulam quæ a nemine fere credatur. Hic amplum habet Magistratus zelum suum monstrandi campum. Hic cogere, hic punire potest: hic leges magnam efficaciam habent. Hic quoque procurare potest Magistratus ut Ecclesiæ ejusque disciplinæ sua constet auctoritas, atque hæc debita severitate & moderatione exerceatur. Hoc uno remedio irritus redditur plerorumque seductorum conatus, qui specie pietatis aliis illudunt, &, quod deplorandum est, iis præcipue illudunt, qui vitiis & peccatis grassantibus quammaxime ingemiscunt. Sic Anabaptismo, sic fanaticismo vires præciduntur: sed & Deismo & Atheismo. Quamdiu enim tam pauci vivent vitam religioni veræ convenientem, non desinent Fanatici se tanquam Christianismi Reformatores plebeculæ obtrudere, nec desinent profani, hominibus clam insinuare, vana esse, quæ de religione garriantur atque ab iis ipsis, qui ea profitentur, minime credi. Ita Sapientissimus ille Theologus.

III. Sed tempus est, ut tandem ad eos deveniamus, qui ad Incredulitatis vitium propendere videntur. Quoniam vero facile homines in suis judiciis falli possunt, primo κατ' ἀρσιν ostendemus, quinam in hunc catalogum referendi non sint. Et quidem primo pro talibus habendi minime sunt, qui non omnia Scholarum placita admittunt, sed ab iis sæpe recedunt, imo turpes errores, sed longo usu inolitos & confirmatos, culpant & rejiciunt, neque jactatam illam Orthodoxiam, quam quælibet secta sibi tribuit, magni faciunt, & in differendo de rebus divinis pariter & humanis ingenuo homine digna utuntur dicendi libertate. Tales profecto in numerum Incredulorum non sunt referendi: contingere enim hoc solet Viris præstantissimis, & ab omni impietatis specie plane alienis. Imo injuria talibus infertur, si malignis premuntur suspicionibus; vehementioris ingenii homines, auditis ejusmodi calumniis, sæpe audentiores fiunt, accusatores pro inficetis, indoctis, umbraticisque Doctoribus habent, atque eos deinceps majoris facere incipiunt, qui inter Incredulos nomen aliquod obtinuerunt. Quid agendum cum iis, qui ad vitium Incredulitatis inclinant.

(2) In hunc censum referendi non sunt, qui nihil sine rationibus gravissimis admittunt, sed omnia examini subjiciunt accuratissimo, expensisque demum utramque in partem rationum ponderibus, vel assentiuntur, vel non assentiuntur. Cum tales vero albis corvis rariores sint, sed plerique avita placita sine mora amplectantur, mirum non est, si tales a vulgo Eruditorum pro Incredulis habeantur. Injuriam autem illis fieri, in aprico est.

(3) Neque illis hoc odiosum nomen tribuendum, qui in con-

gressibus privatis exercitii causa, ea, quæ alii prima & immota esse putant, impugnant, eum in finem, ut alios exerceant, vel videant, quibus argumentis ad hoc vel illud dogma statuminandum utantur. Sæpe enim his occasionibus multi suam imperitiam inviti deprehendunt, & ad novum examen argumentorum hactenus usurpatorum instituendum invitantur.

(4) Neque illi huc referendi, qui argumenta hucusque pro capitali veritate probanda allata publice, infirma esse dicunt, rationesque, cur ita sentiunt, proferunt. Notum est Patrum nostrorum memoria inter argumenta v. gr. pro existentia Dei allata, fuisse consensum Gentium, conscientiæ morsus, Entis perfectissimi notionem & insitam mentibus omnibus ideam Numinis. Quis autem nescit, doctissimos ætatis nostræ Viros, solidis argumentis comprobasse, argumenta hæc infirmiora esse, quam ut contra Atheum usurpari cum fructu possint, eorumque in locum longe graviora substituisse. Tantum abest, ut tales pro incredulis habeantur, ut potius gratiæ illis sint agendæ, quod veritati novam accenderint lucem. *Deerunt profecto, qui suadebunt, si suasisse periculum sit*, inquit *Darius* apud *Curtium*.

(5) Non sunt insuper hujus vitii arguendi, qui libertatem conscientiæ tuentur, argumentisque gravissimis hanc veritatem propugnant atque ostendunt, hunc articulum certissimis argumentis esse superstructum. Dantur multi inter Theologastros, qui Legis naturæ & conscientiæ decreta ignorantes, quam primum audiunt hunc vel illum acerrime sentiendi libertatem defendere, clamitent, hunc hominem esse Indifferentistam; quasi vero omnibus stultis & erroneis opinionibus faveat, qui ferri saltem debere, nec persecutionibus subjici a nobis dissentientes, asserit.

(6) Denique, nec hi incredulitati patrocinari dicendi sunt, quibus Theologia eclectica placet, quique servatis præcipuis Religionis Naturalis & Revelatæ capitibus in cæteris neque *Lutherum* neque *Calvinum* in omnibus sequuntur, sed attente, adhibitis omnibus præsidiis genuinæ Interpretationis, S. Litteras tanquam unicam fidei regulam sectantur, & quod in iis revelatum esse satis clare esse existimant, admittunt. Tales profecto in numerum *Indifferentistarum* immerito referuntur. His enim perinde est quamcunque tueantur de religione sententiam. Illi vero, de quibus ago, capitalia religionis capita profitentur, & ad credendorum unicam normam, nimirum ad S. Scripturarum recurrunt, cæteris vero minus capitalibus articulis, qui in Scholis

lis defensitantur, pro captus sui modulo subscribunt, vel non subscribunt. Et profecto, (si modo sua principia rite cognoscant Protestantes) tales pro Indifferentistis & Incredulitati faventibus, haberi non possunt.

IV. Jam disquirendum jam est κατα θεσιν, quibus certis indiciis probetur, hunc vel illum ad vitium Incredulitatis valde inclinare. Necesse autem est ante omnia, ut is, qui de alio, hoc in argumento sine formidine erroris judicare vult, hominis, quem Incredulitati patrocinari pronuntiare vult, ingenium, mores, & universam vivendi rationem vel ex familiaribus sermonibus, vel ex Scriptis perspecta habeat. Hoc enim nisi fiat, dubium sæpe & anceps erit ejus judicium: Plerique enim homines sibi non semper constant, sed pro temperamenti, circumstantiarum, animorumque dispositione de rebus humanis pariter & divinis, diversa ferunt judicia. In genere tales hic repræsentamus characteres qui ad plerosque, qui hoc morbo tenentur, applicari possunt. Ex quibus characteribus judicari possit, utrum quis ad Incredulitatem vere inclinet.

Primus est: Si quis nulla urgente necessitate, omni data occasione, nonnisi paradoxa, castæ religioni inimica, & quæ optimum quemque offendere possunt, in medium profert; simul tamen omnibus, qui eo familiariter utuntur, constat, eum omnibus præsidiis ad rite de argumentis gravioribus judicandum destitutum esse, de eo possumus dicere eum ad Incredulitatem inclinare.

Secundus: Qui ubique dubia in causa Religionis videt neque tamen Doctissimorum Virorum scripta, qui ea tollere aggressi sunt; evolvere & examinare dignatur, hujus vitii suspectus est.

Tertius: Qui omnes ingenii nervos, omnem ingenii aciem intendit, ad præcipua Religionis Naturalis & Revelatæ capita impugnanda, simul tamen alios inducere vult, ut credant, hæc eum tantum in finem fieri, ut ingenii humani pateseat infirmitas. Hoc morbo talem laborare verisimile plane est, & frustra hac agendi ratione doctis imponere conatur. Et hoc potissimum nomine ad Incredulitatem propendisse doctissimum *Baylium* Viri præstantissimi judicarunt: aliter vero sentiendum de Ill. P. D. *Huetio*, qui quidem in libello de *imbecillitate ingenii humani*, *Scepticismo* patrocinatus est; ita tamen, ut aliquid inde præsidii Ecclesiæ Romanæ accedere posse existimarit.

Quartus est: Qui nullo habito respectu personarum, omnes Theologos & V. D. Ministros pro ineptis stultisque Declamatoribus & superstitionis, Tyrannidisque promotoribus venditant, hujus vitii merito

merito suspecti sunt, & epidemico hoc morbo laborare plerosque Deistas ex Scriptis quæ prostant, manifestum est.

Quintus est: Qui Profanorum & Incredulorum scripta omnia in cœlum tollunt laudibus, & tanquam Oracula cœlitus data deoscuculantur; de scriptis vero virorum omnium doctorum consensu oculatissimorum abjecte sentiunt & paucis maculis offenduntur minimosque errores, quos forte committunt, vehementer carpunt, Incredulitati patrocinantur,

Sextus: Qui mirifice gaudent, quando audiunt hæc vel illa argumenta, quæ hactenus tanquam fortissima, pro Religione vel Naturali, vel Revelata a Viris doctis usurpata fuerunt, impugnari, licet sæpissime objectionum vim & pondus ne quidem expenderint, imo ob Eruditionis defectum expendere non possint, in eandem classem non immerito referuntur. In quibus hi characteres & alii deprehenduntur, sine formidine erroris dici potest, eos ad Incredulitatem valde esse proclives. Alia Signa hujus morbi, inprimis, ubi malum ex ambitione oritur, in medium protuli, in superioribus dissertat: de hoc argumento scriptis. Uno veluti fasce hos characteres hominis ad Incredulitatem inclinantis, repræsentavit ὁ Μακαριτης *Cl. Barbeyracius in Præfat. Tomo IV. Sermonum Sacrorum Ill. Tillotsonii, præmissa.* Verba pag. XXXI sq. ita sonant: *A l'égard de ceux, qui, après avoir exaggeré au dernier point les difficultés, & ruïné, entant, qu'en eux est, la certitude des lumiéres les plus pures de la raison, declarent, que, malgré l'absurdité apparente des principes de la Religion, qui nous les enseigne; ceux-là, dis-je, se découvrent assez eux-mêmes, pour nous autoriser, à ne pas faire beaucoup de fond sur des protestations, qui paroissent dementies, par leur conduite. Une affectation perpétuelle de ne laisser passer aucune difficulté, si petite qu'elle soit, sans la relever & la pousser a toute outrance; un acharnement impyteiable à critiquer tous les Ouvrages qui paroissent pour la defense de la Religion, & à en donner quelquefois, par avance une opinion devantageuse, sans entendre de les avoir vûs & examinés comme il faut; un air de triomphe, qui marque assez clairement la joie secrete, qu'on a de voir le Défenseur de la cause commune dans des embarras, dont on donne à entendre, qu'il ne sauroit se tirer; tout cela, à mon avis, sent fort un homme qui se trahit, & qui trahit son parti. Je sai, qu'il est de la bonne foi de ne pas dissimuler les difficultés: mais elle ne demande nullement, qu'on les étale soi-même & qu'on les presse sans aucune nécessité. Il suffit, de les avouer dans l'occasion; est-il nécessaire d'avertir soigneuse-*

ment

ment l'Ennemi des endroits foibles, comme s'il ne savoit pas trouver lui-même ? Ces obscurités que Dieu a trouvé bon de laisser dans nos connoissances les plus nécessaires, sont un objet mordifiant, pour toute personne, qui aime la verité : Sied-il bien de s'en rejouïr, & est-ce là un acte de cette humiliation, qu'on dit, que Dieu c'est proposé de nous inspirer en mettant une contrarieté perpétuelle entre les lumiéres de la Foi & celles de la raison ? Que ne travaille-t-on plûtôt à representer la Religion telle qu'elle est, & souverainement avantageuse, & souverainement raisonable, quoi qu'on ne puisse pas toûjours rendre raison de la conduite de Dieu, qui est un Etre infini ? Pourquoi ne pas preudre plûtôt à tâche de dissiper tant d'obscurités étrangéres, que l'ignorance ou la malice humaine ont repanduës sur les priucipes les plus clairs & les plus certains, de dédager les Verités & les Maximes de la Religion de tant de fausses glosses, de tant d'explications forcées, de tant d'applications mal entenduës, de tant de conséquences peu justes, qui en la défigurant, contribuent peut-être plus que toute autre chose à empécher son effet ? Il y auroit là un champ assez vaste pour s'exercer, si l'on étoit aussi bien intentionné en faveur de la Religion, qu'on veut le persuader. Ita Doctissimus ille Vir.

Antequam vero singillatim ostendimus, quomodo cum diverso genere hominum ad Incredulitatem inclinantium agendum sit, quædam in genere de modo cum his hominibus conversandi monenda sunt. In *genere* de hoc argumento loquendo, modeste, circumspecte, & cum sinceri amoris testificatione cum iis conversandum. Abstinendum a durioribus verbis, quæ animos illorum a nobis possent reddere alienos, comparationibus horum vel illorum, qui in Hæreticorum numerum fuerunt relati. More Medicis recepto, sunt tractandi, id est iis non irascendo, sed media mollia suppeditando. Eum in finem efficiendum, ut favorem eorum nobis conciliemus, & sinceritatem nostram quavis occasione testemur : Orandi sunt, ut libere dubia in animis hærentia in sinum nostrum conjiciant, sancte profitentes, non-solum hoc gratum nobis acceptumque fore, sed & nos favore complecti eos, qui missa omni hypocrisi, id, quod verum esse putant, candide exponunt : Optimis, præstantissimis, veri amantissimis sæpe obtigisse, ut vel meditatione abstrusiore, vel Veterum & Modernorum lectione, occeperint de his, quæ imberbes didicere, addubitare ; sæpe rem exigui momenti impedire, quo minus vim argumentorum pro his vel illis articulis religionis allatorum, sentiamus : cordati & candidi hominis non esse, religioni patriæ sine examine subscribere, sed omnia esse ἀθερ παθων examinanda. His, aliisque rationibus excitan-

di, efficiendumque, ut firmiter credant, nos solius veritatis amore commotos, consilia nostra cum iis communicare velle.

Videndum quibus de causis homines ad Incredulitatem inclinent.

V. Qui homines istos propendentes ad Incredulitatem retrahere vult, probe debet expendere, utrum hæc inclinatio *affectibus* duntaxat sit tribuenda, an vero *rationibus & dubiis* animum occupantibus. Quod si manifestis indiciis, manifestis inquam, constet, hunc vel illum pravis inclinationibus commotum Incredulitati patrocinari, dispiciendum, quis potissimum affectus vim in animum ejus exerat. Plerumque autem hi homines vel *ambitione*, vel *voluptatum amore* impediuntur, quo minus religionis christianæ articulis gravissimis subscribant. Quod si pateat, hominem prava ambitione captum esse, 1) jubendus est talis in se descendere, & serio expendere, utrum ad hanc vel illam sententiam probandam vel rejiciendam puro veritatis inquirendæ amore, an vero novitatis, laudisque in Orbe erudito consequendæ studio commotus sit. 2) Monstrandum, quam sit hic affectus inquirendæ veritatis studio noxius, & Viro, qui nonnisi rationibus ad assensum vel dissensum commoveri se jactat indignus. 3) Cum illi, qui hoc vitio laborant, inter se quammaxime diversi sint, & unus præsidiis veræ eruditionis sit destitutus; alter vero artem ratiocinandi probe caleat, variisque disciplinis sit excultus, nemo non videt diversa etiam ratione cum utroque esse agendum. Ille, quem ambitiosa cupido duntaxat vexat nova & insolita defendendi, ineptus licet sit, ad colorem aliquem suæ sententiæ conciliandum, facilius stultitiæ suæ argui potest, quam is, qui aliquo eruditionis apparatu est instructus. Fieri id autem tamen debet quam modestissime & providentissime. Articulus quem ille impugnat, rite est explicandus, idque verbis satis claris, argumenta solida sed ingenio tamen ipsius attemperata in medium proferenda, hocque demum facto, audiendum, quid ipsum impediat, quo minus veritati vacivas præbeat aures, illique fontes errorum detegendi. Si vero is eruditione aliqua est instructus, monstrandum (1) quam sit viro cordato indignum, propter fluxam atque incertam nominis famam paradoxa & Religioni adversa pertinaciter defendere velle: veritatem ipsam propterea non mutari; argumenta sola addere pondus veritati, quibuscunque ex causis impugnatæ: 2) Ostendendum, omnes quidem affectus amori cognoscendæ veritatis multum officere, quoniam in eam partem nos rapiant, quæ desideriis nostris, quammaxime satisfaciant; ambitionem vero plurimum in animos hominum valere, quod specie aliqua laudis, & studii inquirendæ veritatis se se com-

commendet; 3) Ostendendum est adductis variis argumentis, ex variis disciplinis petitis, quam sit nostra cognitio arctis inclusa cancellis, hacque occasione commendandus est *Nobilissimi Lokii* de *intellectu humano* liber, qui hominem veri amantem, sed magnificentius, quam par est, de scientia sua sentientem, in cognitionem sui ipsius adducere potest. Profecto eo nomine semper mihi placuit eximius hic liber. 4) Exemplis ostendendum, in quot se se conjecerint pericula, & quam ærumnosam & acerbam sibimetipsis fecerint vitam, homines hoc morbo laborantes. 5) Præcipue vero dubia ipsa, quæ movet, æquissimo animo sunt perpendenda & trutinanda, ita quidem, ut illi concedatur, quidquid concedi potest; neque in minutiis ad rem ipsam parum aut nihil facientibus hærendum, sed jugulum causæ est petendum, missis odiosis consectariis, nisi absurditas ipsius systematis, quod defendit necessario hoc requirat. 6) Monendum, agi de re maximi momenti, neque perinde esse, modo admittamus Numen, quod nonsolum omniscium sit, omnesque reconditas etiam mentium humanarum cogitationes perspectas habeat, quidquid de Deo, ejus virtutibus & voluntate sentiamus. Opus proinde esse, ut antequam animos contra ea, quæ a Doctissimis Viris inter Christianos de religione dicuntur, obfirmemus, omnia serio expendamus, neque præcipiti nimis impetu ad laudis gloriam grassemur, &c. Quod si vero manifestum est, hominem ad Incredulitatem inclinantem pravarum *voluptatum* amore captum esse, tum ante omnia videndum, ut oportunas cum eo loquendi quæramus occasiones. Tales autem sunt, ubi serena fronte rationes audit, animusque æstu affectuum non est turbatus; tum temporis illi est monstrandum, quam turpe sit, & homine sapiente indignum plane, id demum velle in religionis negotio admittere, quod adfectibus gratum & acceptum sit: neminem facile crediturum talem vi conscientiæ & amore veritatis duci, qui apertis indiciis prodat, se id unum agere religionem impugnando, ut affectibus fræna laxet: Quo magis horum consiliis obtemperet, eo minus eum aptum fore, rite veritatem examinandi; imo successu temporis, ipsum eo deventurum, ut sanum de religione judicium ferre non possit: Veritates cujuscunque generis non dependere a desideriis nostris & voluntate, sed ab intrinseca rerum constitutione, argumentorumque robore, &c. Interim tranquillo animo audienda sunt ejus dubia placideque cum eo est agendum. Conferenda, quæ hoc in casu monuit *Ill. Burnetus Comitem Rocestrienſem* in viam reducturus.

Sunt denique, qui ad Incredulitatem inclinant nullis pravis affectibus commoti. Quorundam hominum animi constitutio talis est, ut argumentorum vim parum sentiant, contra vero ubique videant dubia. Quidam mature in Scepticorum vel Deistarum scripta inciderunt, animo nondum satis severioribus disciplinis exculto. Alii legerunt tales Auctores, qui gravissima religionis capita infirmis probarunt argumentis; sunt denique, qui præter merita sua innumeris premuntur malis ab insolentibus hominibus; Hi incipiunt dubitare de Providentia divina, & ex una dubitatione in aliam conjecti, occipiunt de veritate religionis Naturalis & Revelatæ ἐπέχειν. Cum his (1) circumspecte est versandum, atque ubi eos compellandi est occasio, vel satis noti nobis sunt, laudandi in eo, quod ἀθεῳ παθων negotia religionis expendant, neque sine sufficientibus rationibus statim receptis publice sententiis album adjiciant calculum. Monstrandum (2) optimis & præstantissimis Viris obtigisse, ut per tempus de maximi momenti veritatibus dubitaverint, successu vero temporis re melius expensa, ex hoc labyrintho eosdem eluctatos esse feliciter. Deum, qui intimos hominum recessus perspectos habet, & quibus quisque ad religionem vel amplectendam vel rejiciendam inducatur rationibus, pulchre cognoscit, scrupulos in animo contra hæc vel illa religionis capita exortos, malam in partem haud interpretaturum, modo id agant, ut nimirum nihil eorum omittant, quæ majorem veritatum salutarium lucem in animis excitare possint. Eum in finem (*tertio*) ostendendum, in omnibus disciplinis, etiam iis, quæ Societatis civilis commoda promovent, dari tamen multa incerta & dubia, neminem tamen qui sapit propterea de utilitate harum disciplinarum dubitare: Deum plura non postulare circa cognitionem rerum divinarum, quam quisque meditando, legendo, vel alios consulendo, consequi potest: legendos inprimis eos Scriptores, qui in examinandis & solvendis dubiis, quibus animus jam quidem divexatur, singularem curam & solertiam adhibuerunt: cavendum vero quammaxime est, ne scrupulos, qui animum ejusmodi hominum occupant, levibus armis, id est infirmis argumentis, aut scholasticis distinctionibus oppugnemus. Profecto nulli sunt minus apti ad ejusmodi homines in viam revocandos, quam illi, qui in legendis minutis controversiis ætatem triverunt. Opus contra est, ut tales familiariter utantur iis, qui præstantissimis disciplinis mentem imbuerunt, & quid solidum & inane sit, ut in cæteris

teris disciplinis, sic inprimis in controversiis cognitum & perspectum habent, atque ut Deistarum, sic etiam Virorum inter Christianos excellentissimorum scripta maxima cum attentione evolverunt. Qui his præsidiis destituti sunt, & Scholæ duntaxat placitis inhærent, tantum abest, ut aliquid lucrentur, ut potius eos in erroribus, quos fovent, confirment.

Disquiritur, quomodo tractandi illi, qui in ipsum Atheismum, vel Deismum inciderunt.

VI. Denique ad eos perveniendum est, qui in ipsum Barathrum *Atheismi*, vel *Deismi* inciderunt, & in hoc statu secure se adquiescere posse putant. Hi vero uti dico vel *Atheismum* profitentur vel *Deismum*. Quod ad Atheos spectat, quidam falsis duntaxat, sed subtilioribus ratiociniis decepti sunt: alii vero pravis studiis sunt corrupti, divina humanaque rident, & ex profanorum hominum sermonibus tela veneno tincta, adversus ea, quæ omnium sapientum judicio attentione dignissima sunt, depromunt, neque unquam serio rationes pro religione pugnantes audiverunt, rejectoque examine rerum gravissimi argumenti, locis quibusdam communibus, quibus scurræ uti solent, inhærent. Hi indigniores videntur quibuscum Vir doctus conferat. Quid enim agas cum illo, qui de gravissimi momenti dogmate, neque ratiocinari potest, neque vult? Interim tamen hi non plane sunt deserendi, sed ostendendum illis, quam sit rationi contrarium, in re maxime seria argumentorum loco, jocis & sapiente omni indignis profanationibus, uti velle; nebulonem quemvis, aut insanum hominem sanctissima quæque albis dentibus ridere posse; at neminem, qui frontem non habet perfrictam plane, tali vacivas præbiturum aures, sed potius cum indignatione & detestatione talem rejecturum: cum innumeri homines, iique doctissimi, oculatissimi, & eruditissimi severissimo examine instituto, Dei existentiam probarint, sapientis non esse, in tam gravi argumento rationes, quibus superstructa est hæc veritas, expendere nolle; Quod si docilem eum deprehendas, inque se descendat, neque tamen subtiliora Metaphysicorum argumenta percipiat, optime factum erit, si rationibus utaris a *fine*, *ordine*, & *usu rerum creatarum*, animantium præsertim & hominum petitis, commendandique illi tales libelli, qui data opera sapientiam, potentiam & bonitatem Dei ex creaturis elucentem, probarunt. Interea temporis exspectandum, quem fructum hæc colloquia & consilia habuerint, & pro circumstantiarum ratione consilia sunt moderanda.

Cum iis vero, qui aliquam in ratiocinando peritiam sunt adepti & eruditionis aliquo sunt instructi apparatu, & Systema aliquod quali-

litercunque inter se connexum sequuntur, paulo aliter agendum esse prudens quisque & rerum peritus, facile judicabit. Qui vero hodie Atheismum profitentur, ut plurimum aut *Spinozæ*, aut *Epicuri* subscribunt hypothesibus. Novi quidem pulchre, quæ Viri docti de Atheismo *Aristotelico*, *Stratonico*, *Kabalistico* &c. monent; at qui hodie hoc morbo laborant, in tales opiniones utplurimum incidere haud solent; sed vel *Spinozæ* vel *Epicuri* deffendunt sententias. *Spinozæ* discipuli, unam admittunt substantiam æternam, cogitantem simul & extensam, ab omni æternitate necessario agentem: Hujus unius & æternæ substantiæ partes sunt, quotquot existunt creaturæ: Hos si audias, nullum est ab adspectabili hoc mundo distinctum principium; causa nulla efficiens vel finalis hujus universi, sed omnia, quæ cogitando adsequimur, sive sint νοητα sive διανοητα, quæ videntur & tanguntur nonnisi unicam absolvunt substantiam, cujus non homines tantum, sed & arbores, pecora, metalla &c. partes sunt; verbo, vocabulum Deus, præter totum mundum significat nihil. Huic sententiæ inter recentiores *Comes Passerati* & *Edelmannus*, ut de aliis nihil dicam, addicti fuerunt. Alterum Systema est *Epicuri*; qui hoc sequuntur, rejecta causa finali & efficiente, totum universum, & singulas ejus partes, artificiosissime licet, secundum omnium, qui sensui communi nuntium non miserunt, judicium constructas, nescio quibus fortuitis atomorum concursitationibus adscribunt. Huic vero systemati pauci, ex recentioribus Incredulis addicti sunt; adeo enim inficetum est, & ab omni verisimilitudinis specie abhorret, ut sapientum omnium ludibrio merito is exponatur, qui serio illud deffendere vellet.

Cuicunque autem is homo sit addictus systemati, ante omnia tristis conditio, in qua versatur, gravibus adductis argumentis illi est repræsentanda, ita tamen cum eo agendum, ut sentiat, nos veri amore compulsos, neque vano duntaxat injecto metu sortem suam deplorare; Eum in finem nisi res sit aliis nota, efficiendum, ut negotium hoc intra privatos parietes maneat clausum, saltem opera nostra fieri non debet, ut graviter errans, Magistratus auctoritate sine ulteriore mora publica afficiatur ignominia. De emendatione ipsius potius ante omnia est cogitandum, quæ nonnisi modestia, patientia, & argumentorum adductorum pondere obtinetur. Eum in finem Viri eruditissimi & in philosophia versatissimi frequenter cum ejusmodi homine conferre debent. Et quia ad errorem aliquem rite cognoscendum & ejurandum, tempore opus est, non statim, ubi nostrorum argumentorum

rum vim non percipit, dimittendus, aut omnis cura ejus abjicienda; monendus interim est, ne errorem suum in vulgus spargat, & hac ratione sibi nociva concitet pericula.

In genere vero homo tam graviter errans, hortandus est, ut in se ipsum descendat, serioque omnes cordis recessus excutiat & discpiciat, an non aliud quid præter rationes, ipsum in hunc errorem conjecerint; facile enim homines sibimetipsis imponere solere: cumque cœteri mortales, fere omnes, nonsolum rudes & disciplinis non culti, sed eruditissimi acutissimique, & ab omni credulitatis & superstitionis suspicione alieni plane, Atheismum tanquam maximam insaniam & crassissimum errorem considerent, necesse esse, ut sine ulteriore examine sententiæ semel arreptæ pertinaciter non adhæreat, sed in re maximi momenti providentissime agat: Systema igitur cum systemate; rationes cum rationibus, dubia cum dubiis, ita denuo esse conferenda, tanquam res hactenus expensa non fuisset, idque præstandum ἀθεϱ παθων solius veritatis inquirendæ causa; hoc enim officium esse omnium sapientum, & veritatis amantium; rogandus igitur est, ut denuo inspiciat acutissimorum & doctissimorum Virorum scripta, & inprimis attendat ad ea responsa, quibus difficultates suas impugnarunt; monendus inprimis est, ne propter quorundam debilia argumenta rem ipsam pro suspecta aut plane falsa habeat, fieri enim id facile posse in aliis etiam disciplinis: non sufficere dubia quædam contra existentiam Dei, aut ejus naturam, in medium proferre; sed demonstrandum, rationes quibus utuntur illi, qui Numen ab adspectabili mundo distinctum esse propugnant, plane esse infirmas, argumenta vero, quibus Atheismus, qualiscunque ejus species sit, commendatur, nonsolum esse solida, sed & fortiora iis, quæ pro existentia Dei adferri solent.

Quod si is sequatur systema *Spinozæ*, ante omnia ad prima principia Metaphysicæ de contingenti & necessario, possibili & impossibili, ad notionem substantiæ &c. est deducendus, illaque ita explicanda, ut ea non possit non intelligere; positis rite primis principiis & definitionibus, ipsum systema est adoriundum: deinde ostendendum, quantum συϱμα ineptissimarum & abominandarum consequentiarum ex hoc systemate per legitimas & planissimas ratiocinandi leges consequatur. Eam viam contra *Spinozam* ingressus est P. *Baylius*, & nuper contra *Edelmannum Clarissimus* & *Doctissimus Mejerus*, Professor Philosophiæ Halensis. Novi quidem quibusdam hanc argumentandi methodum non probari. At cum ex ipsa definitione Dei, quam *Spinoza*, & ejus disci-

discipuli adhibent, necessario sequatur, totum universum, omnes creaturas, & *partes* ejus Deum esse, non video cur hæ consequentiæ non possint urgeri. Si vero ille systema *Epicuri* sequitur, positis rursus primis principiis, de causis finalibus, de natura ordinis, nexuque sapientis a fatali necessitate discrimine, ad artificiosissimam animantium plantarumque structuram; ad systematis planetarum harmoniam, ad hominum primam originem &c. est provocandum, monstrandumque variis rationibus & exemplis, quam sit ineptum, fortuito casui adscribere velle opus artificiosissimum. Commendandi ad privatam lectionem *Derhami*, *Raji*, *Wolfii* aliorumque Virorum doctorum scripta, in quibus data opera demonstrarunt Dei sapientiam, potentiam & bonitatem ex universi attenta contemplatione elucentes.

Cavendum autem quammaxime, ne nimirum unquam utamur argumentis aut nihil probantibus, aut innumeris exceptionibus obnoxiis, qualia eheu! passim in scriptis quorundam reperiuntur; ita enim potius in suo errore confirmantur, quam ab eo retrahuntur. Nullibi certe magis periculose erratur, quam in hoc casu: Denique ejusmodi hominibus ob oculos ponenda est vitæ humanæ brevitas, periculumque maximum, in quod incidant, si Numen aliquod detur, quod humanarum rerum curam gerat. Pergendum igitur scrutando, examinando, atque cum Viris doctissimis conferendo: quamvis enim talis commatis homines, ea, quæ de statu Impiorum post mortem dicuntur, albis dentibus rideant, monstrandum tamen illis est, impossibile plane esse, ut invictis argumentis probare possint ficta omnia esse, quæ de his dicuntur. Atque ita ratiocinando, monendo, persuadendo, pergere debemus neque desperare plane de felici successu laboris nostri. Deus interim domi est orandus, ut caliginem mentis deceptæ dispellat, lucemque in ea accendat.

Disquiritur, utrum pœnis civilibus vel supplicio mortis affici debeant Athei

VII. Non alienum erit a materia, quam hactenus tractavimus, disquirere, utrum *Athei* pœna civili, vel etiam supplicio capitis affici possint. Quamquam enim nos de mediis moralibus, quibus homines ab erroribus revocari debent duntaxat agamus, non alienum tamen erit hîc loci disquirere, quomodo tractandus sit is, qui gravi hoc errore constrictus est, neque salutaribus tamen monitis & consiliis, vacivas aures præbere vult. Agunt hac de re & Theologi & Juris Consulti. In medium afferam Affirmantium & Negantium, quantum quidem mihi perspecta sunt argumenta, Lectorique permittam, de universa disputatione judicandi licentiam, quanquam non diffitear, me

Afferuntur argumenta eorum qui id adstruunt.

sem-

semper in eam propendere sententiam, quæ cum æquitate naturali & conscientiæ jure, quammaxime convenit. In hac sectione repræsentabimus eorum argumenta, qui existimant, Atheum, publicis, iisque gravissimis pœnis affici posse & debere. Ubi tamen in antecessum monemus, non agi hîc de Homine hujus vitii duntaxat suspecto, ex cujus Systemate, ipso invito, periculosissima nectantur consectaria; neque de eo, qui aut per tempus de existentia Dei dubitat, vel amicis quibusdam secretum animi aperit; sed de eo, qui nonsolum se talem esse profitetur, sed & libere animi sui cogitata præsentibus aliis aperit & publicis scriptis defendit. Secundo observandum, quæstionem illam, in se spectatam gravem esse valde & momentosam; at si cogitemus, pauciissimos tanta insania laboraturos, ut publice hunc errorem profiteantur, videtur hæc quæstio tam sollicito & accurato examine indigna, saltem minus momentosa esse. In regionibus, ubi nulli aut raro occurrunt Leones & Pardi, non adeo necesse esse videtur, Venatoribus anxie leges præscribere, qua ratione efficere possint, ut animalia illa carnivora in fugam conjiciantur. Sed veniamus ad rationes ipsas, quibus utuntur illi, qui hominem, Atheismum profitentem, gravibus pœnis, imo mortis supplicio, adficiendum esse contendunt.

Primum argumentum, quod hi adferunt hoc est: per publicam professionem Atheismi fieri aliter non posse, quam ut multi ad pestilentem hanc opinionem arripiendam inducantur; Eos profecto, qui pravis adfectionibus & vitiis constricti sunt, vacivas his hominibus aures præbituros; Imperantium vero esse, omnibus viribus conniti, ut firma sit religionis persuasio; primo quidem argumentis esse utendum; ubi vero iis cedere nolint, publicis pœnis, imo morte ipsa esse puniendos, non tam ob errorem, quam pertinaciam in eo defendendo.

Secundum: Fidem, pietatem, amicitias, inter homines ita labefactari, quæ tamen sint arctissima societatis civilis fulcra; Imperantium vero esse, omnia, quæ ad vincula illa arctius constringenda facere possunt, præstare; contra vero, quæ dissensionibus & diffidentiæ inter cives occasionem suppeditare possunt, præcidere. Adducunt eum in finem locum *Ciceronis de Nat. D. cap. II.* ubi inter alia ait: *Religione sublata, fidem etiam & Societatem humani generis & unam excellentissimam Virtutem Justitiam è rebus humanis tolli.*

Tertium: Crimina ab Imperantibus severe esse punienda; Cavendum, ne quidquam detrimenti patiantur Respublicæ; Inter crimina

autem atrociſſima referendum Atheiſmum ; hominem tam peſtilenti opinione imbutum non ſolum ipſummet in omne impietatis genus ruiturum, ſed & alios ut idem faciant, invitaturum.

Quartum : Juramenta in omnibus Rebuspublicis ad conſervandam ſecuritatem publicam & obedientiam præſtandam, quammaxime neceſſaria eſſe ; juramentum vero homini, qui nullas leges vel naturales vel revelatas admittit, præſcribi non poſſe ; aut igitur talem proſcribendum & in exilium cum infamia eſſe relegandum, vel niſi reſipiſcat, graviſſimis ſubjiciendum pœnis.

Quintum: Hoc eo magis recte fieri poſſe, & ſine injuria, quod homo ἄθεος nullas proferre poſſit rationes, cur opinionem ſuam propalare & aliis commendare velit. Cæteros homines, qui alicui ſectæ inter Chriſtianos addicti ſint, ſaltem hoc argumento ſe tueri poſſe, quod vi conſcientiæ commoti, non poſſint non alios, quos gravibus erroribus conſtrictos eſſe putent, meliora docere & in ſuam ſententiam pertrahere ; Atheum vero, nullis conſcientiæ ſtimulis induci poſſe, ut aliis ſuam velit commendare ſententiam ; mera igitur petulantia, ſuperbiaque intolleranda eum ſtimulari, ad talia publice in medium proferenda.

Sextum : Moratiores Gentes v. gr. Græcos, homines religionem publicam impugnantes, gravibus ſubjeciſſe pœnis : notum autem eſſe ex Juris-Conſultorum ſcriptis, in dijudicandis legibus naturalibus, nonſolum ad earum normam naturamque, ſed & ad præſtantiſſimos antiquitatis Viros, Philoſophos præſertim & Legumlatores, eorumque judicia decretaque, eſſe reſpiciendum.

Septimum : Atheum non puniri propter errorem intellectus ; ſed propter vitium voluntatis corruptæ : Hanc enim efficere, ut nonſolum imprudenter & contra Imperantium Decreta, ſuam propalet ſententiam, ſed & diſcrimen inter vitium & virtutem tollat, ſimilisque homini ſit, qui venenum pro ſalubri medicamento venditet.

Octavum : In V. Teſtamento falſos Prophetas & blaſphemos mortis ſupplicio ex mandato divino fuiſſe adfectos, unde neceſſario ſequatur, multo magis id contra hominem atheiſmum profitentem, præſtari poſſe.

Nonum : Addunt denique qui ita ſentiunt ; niſi ſerio animadvertatur in eos, qui ita profanas ſpargunt opiniones, erroresque graviſſimos defendunt, plures, in tanta generis humani corruptione repertum iri, qui in hanc inſaniam, adfectibus pravis adblandientem, propenſuri

pensuri sint. Imperantium autem esse, mature hisce malis obicem ponere.

VIII. Adduximus præcipua argumenta eorum, qui existimant, pœnis civilibus iisque gravissimis, subjiciendos esse Atheos; restat, ut audiamus eos, qui secus sentiunt. Utuntur autem hi sequentibus Argumentis: *Primum* est: Non negandum, Atheismum esse gravissimum errorem, sed errorem tamen, undecunque ortus sit, esse intellectus: Hic vero adhibenda media non coactiva, sed naturæ erroris consentanea duntaxat, id est argumenta gravissima: Errores non pœnis eximi erranti, sed meliora monstrando. Repræsentantur argumenta Eorum, qui secus sentiunt.

Secundum: Atheum suam sententiam in medium proferentem, non turbare Rempublicam vel cives; ratiocinari enim eum duntaxat, neque ad assensum quenquam invitum pertrahere posse; in potestate enim Auditorum situm esse, vel argumenta ipsius missa facere, vel expendere serio, atque adeo vel rejicere, vel non rejicere; veritatem insuper de Numine ab adspectabili mundo diverso, tam altas in plerorumque mortalium animis egisse radices, ut credibile haud sit, Atheum in suam sententiam multos pertracturum: quod si quidam, antea jam ad Incredulitatem propendentes, forte hac ratione excitentur, Athei rationibus album calculum adjiciendi, id non tam argumentis Athei, sed inclinationi pravæ hominum esse adtribuendum: In universum vero putant, qui ita sentiunt, argumentum hoc a turbis & contentionibus petitum, plus probare, quam probandum esset, atque adeo nihil plane probare: Hoc enim si valeret, inquiunt, nonsolum Hæretici, sed & innocentissimi Viri, a reliqua turba dissentientes, pœnis civilibus essent subjiciendi, quod tamen æquitati & justitiæ contrarium sit. Ponamus (inquiunt) Hominem quendam Protestantium partibus addictum, in *Hispania* vel *Italia* palam veritatem sui systematis propugnare atque a tetra superstitione, homines in his locis degentes gravibus argumentis retrahere velle; sine mora sacrificuli & Inquisitores dicent; hominem non esse ferendum, sed sine mora gravibus adficiendum pœnis; quo vero vehementiores eæ esse possunt, si Barbaros audias homines, iis erunt innocentissimi licet subjiciendi; hanc autem cum errantibus nostra opinione agendi rationem, iniquissimam esse: Necesse igitur semper esse, ut illi, qui gravibus pœnis errantes puniendos esse ajunt, clarissimis argumentis probent, manifestissimum intercedere nexum, inter erroris defensionem & inter obligationem & potestatem talem pœnis civilibus adficiendi.

Tertium: Persuasionem de Existentia & Providentia Numinis firmissimum esse Societatis civilis vinculum negari non posse; at non statim inde sequi, eum, qui dogma illud negat severissime esse puniendum, cum alia adsint rationi magis convenientia media, hominem meliora edocendi, eumque in veritatis viam reducendi: neque etiam Athei opinione Societatis vincula rumpi.

Quartum: Fidem & pietatem, mutuumque amorem, religione nixas virtutes, multum conferre ad officia Societatis civilis observanda: fatendum quidem, notum autem simul esse plerosque Christianorum, non ob conscientiæ dictamen, sed ob auxilium ab aliis exspectandum, necessitatem & pœnarum metum, mutua illa officia præstare: Atheum, si in Societate tranquille vivere velit, leges civiles & posse & debere custodire: secus si faciat, illum non tanquam Atheum, sed tanquam refractarium puniri posse.

Quintum: Verum esse Juramenta, ut homines in officiis suis contineantur, plurimum conferre posse, neque tamen ita necessaria, ut nulla Respublica sine illis stare possit: notissimum esse iis in locis, ubi frequentiora inculcantur juramenta, homines ea etiam plerumque negligere & transgredi: in *Anglia*, *Belgio*, & aliis in locis tollerari, & quidem secure *Anabaptistas*, qui juramenta tamen præstare recusent. Atheum vel esse civem alicujus Imperii & Reipublicæ, vel alienigenam hinc inde vagantem: Si civis sit, posse ipsum beneficiis quibusdam & privilegiis, quibus cæteri cives, qui juramentis se obstrinxerunt, privari, & si contra Societatis jura peccet, pœnis affici; necesse autem non esse, ut, ubi tranquille vitam degit, aliosque non lædit, aut gravibus pœnis, aut violenta morte puniatur. De extraneo hic non agitur.

Sextum: Atheum, leges divinas non admittentem, non tamen propterea in omnia scelera statim ruiturum; homines non semper agere convenienter suis principiis, quod ex eo quotidie constet, quod sanctissima divinæ legis præcepta ipsi Christiani pedibus quasi conculcent; Atheum, vi temperamenti, amore tranquillitatis, metu pœnarum, &c. impediri posse, quo minus fræna laxet his vel illis vitiis: Quod si proximum lædat, aut talia præstet, quæ legi civili contraria sint, posse ipsum æque ac cæteros cives, pro delictorum gravitate puniri.

Septimum: Verum esse, vi alicujus legis divinæ Atheum non obstringi ad sententiam suam aliis commendandam: sed aliud tamen esse

esse ratiocinari tantum, suamque sententiam proferre, aliud commendare & anxie insinuare; innumeras dari quæstiones *grammaticas*, *criticas*, *historicas*, *philosophicas* &c. quas Eruditi in lucem emittant, mercemque suam commendent; ad quod præstandum tamen nullis religionis & conscientiæ vinculis obstringantur. Atheum posse existimare, religionem superstitionis & multorum malorum causam esse, amorem igitur proximi postulare, ut homines meliora edoceantur: accedit, quod saltem existimare possit argumenta sua fortiora esse iis, quæ pro existentia Dei adferuntur: licitum insuper semper esse iis, qui talia audiunt, assentiri vel non, & si sine examine album calculum adjiciant pestiferis opinionibus, suæ adtribuant stultitiæ necesse esse.

Octavum: Quæ de moratiorum Gentium consuetudine dicantur, homines a patria religione i. e. superstitione publice recepta alienos, pœnis publicis adficiendi, parum nos movere oportere: præterquam enim quod dubium quammaxime sit, utrum tales omne Numen penitus rejecerint; nihil nos obligare veterum consuetudinem: ostendendum semper consuetudinem & Decreta aliorum, cum legis naturalis indole conspirare; hoc nisi manifestum sit, vim legis non habere aliorum Decreta: Eodem argumento Pontificios uti posse, adversus eos, qui tot sanctorum & sanctarum rident narratiunculas, & eorum cultum explodunt; tales nimirum tanquam Hæreticos igne puniendos esse: a Viris doctissimis jam satis probatum, quot Juri Naturali & æquitati contraria laudati illi moratiores Græci & Romani, dogmata induxerint: verum esse, Athenienses v. gr. severe in eos sæpe animadvertisse, qui patriam religionem, id est Deorum cultum spreverunt; quo jure vero id factum fuerit, quæri oportere: Cicutam debuisse bibere *Socratem*: quam vero præceps hoc Judicum Atheniensium Decretum fuerit, vel ex eo manifestum esse, quod iidem Judices Athenienses, statim post obitum tanti Viri *Melytum* accusatorem ejus, capitis damnarint, *Anytum* peregre profectum, illo ipso die *Heracleotæ* ex civitate ejecerint, cæteros quoque ejus hostes exilio multarint, mortem ejus deplorarint, æneam illi statuam posuerint, templumque in ejus memoriam, quod *Socrateion* vocabatur, ædificarint, quæ omnia recenset *Diogenes Laertius*: Periculosissimum insuper esse exempla hac in parte aliorum sequi: Si enim semel legis vim habeat decretum, Atheum interficiendi, facile innocentissimos Viros, a quibusdam, difficiliorum controversiarum imperitis, sed qui multum valent, hujus erroris postulatos, in maximum vitæ discrimen adductum iri. Et profecto

fecto si nostra ætate, homines Atheismi postulati, & quidem publicis scriptis statim neci traditi fuissent, e medio ita sublati fuissent Viri a crimine hoc alieniſſimi & de optimis Litteris præclare meriti: caute igitur & circumspectissime in hoc negotio versandum esse.

Nonum: De Atheo dici non posse, quod vitio voluntatis duntaxat peccet, nisi dicas hoc ipsum crimen esse pœna gravi puniendum, cogitata nimirum sua cum alio velle communicare: Homines vitiis deditos, sæpe alios exemplo & rationibus ad idem præstandum inducere; propterea tamen, nisi infantes plane sint & excordes, qui ad vitia se se induci patiuntur, morte non puniri; præcipue animadvertendum in eos, qui cum meliora edocti erant, vitiorumque turpitudinem perspectam habebant, nihilominus tamen aliorum pravis consiliis vacivas præbuerunt aures, quanquam & illi, qui suasionibus & rationibus ad mala perpetranda alios induxerunt, a pœna immunes non sint. Deinde etiam hoc argumentum dicunt nihil probare, quod plus probet, quam probandum est: Eodem enim argumento probari posse, hominem Protestantium religioni addictum, & animi sua sensa de religione v. gr. in Hispania cum aliis communicantem, vitio voluntatis peccare, atque adeo eo nomine atrociſſimis pœnis adfici posse, quod tamen eorum ipsorum sententiæ, qui adeo severe cum Atheis agendum esse putant, contrarium sit.

Decimum: Pergunt, qui mitius cum Atheo agendum esse putant, & dicunt, Atheum nulla ratione dici posse blasphemum; eum enim demum hujus criminis postulari posse, qui Numen perfectissimum, sanctissimum, & ab adspectabili hoc mundo diversum, admittit; simul vero contra conscientiæ suæ decreta talia de Deo effundit verba, quæ sanctissimæ naturæ e diametro oppositæ sunt: neque Hæreticum, qui fundamentalia religionis capita impugnat, & de quibusdam eorum abjecte sentit, propterea blasphemum esse appellandum; judicandum enim hominem secundum sententiæ suæ, non aliorum qui secus sentiunt, decreta: Verum esse, Prophetam falsum juxta mandatum divinum in veteri testamento Judæis injunctum, severis pœnis subjiciendum fuisse; at talem, qui Idololatriam commendarit, & Israelitas a Deo Israelis avocaverit censendum Perduellionis crimen commisisse, juxta Theocratiam populi judaici, quod a Viris doctis fuse monstratum sit.

Undecimum: Animadverti posse in Atheos societatem turbantes, id est talia crimina perpetrantes, quæ ubique locorum gravibus pœnis adfici solent, neminem negare: errorem tamen semper a crimine probe esse

esse distinguendum. *Spinozam* in Belgio vixisse pacate neque Societatem turbasse: pœnas omnes civiles æquitate niti debere; at demonstrandum, gravem pœnam erranti duntaxat irrogatam, æquam esse. Superstitiosos insuper in Societate civili frequentissime turbare Regna & Respublicas neque tamen propterea eos morte puniri. Omnes detestari Hispanorum Barbariem contra Americanos adhibitam.

Duodecimum: Si Atheus (porro sic instant) gravi pœnæ i. e. morti subjiciatur, postquam per aliquod intervallum temporis suum professus est errorem, eum ita in æternam miseriam necessario conjici; si vero tempus illi concedatur, omnia probe & libere expendendi, præstantissimos libros evolvendi, & cum eruditissimis Viris conferendi, facile fieri posse, ut tandem ad meliorem redeat frugem, erroremque suum agnoscat: Historiam omnium temporum docere, Viros gravissimis erroribus constrictos, expensis eorum causis, meliora edoctos fuisse atque veritati victas tandem dedisse manus.

Decimumtertium & ultimum: Dicunt, qui ita sentiunt, tandem, neminem in judicando esse infallibilem, & doctissimum quemque sæpe in judicio suo de Atheismo deceptum fuisse: Notum esse, quid superiore seculo evenerit *Cartesio*, nostra vero ætate J. *Wittichio* & Illustri *Wolfio*. Quod si semel statutum sit publicis legibus, hominem Atheismi postulatum gravibus pœnis & morte violenta puniendum, necessario talia statuendo multa in Republica exoritura fore incommoda & nocentem pariter & innocentem iisdem sæpe pœnis involutum iri. Notum esse, quam dubia sint sæpe Virorum doctorum judicia, ubi de gravitate errorum judicium est ferendum. Atroces hic ex dogmate aliquo consequi errores perhibet, ubi alius nihil tale se cernere posse perhibet. Omnibus expensis, nihil melius præstari posse, quam si talia media adhibeantur, quæ errantem etiam gravissime, in viam revocare possint. Talia autem, si a solidis argumentis discedas, dari nulla. Atque hæ sunt præcipuæ rationes, quibus utuntur illi, qui mitius Atheum tractandum esse existimant. Coronidis loco duo adducam testimonia recentiorum Eruditorum, qui huic posteriori sententiæ favent. Unum est *Juris-Consulti*, alterum *Theologi*. Joh. L. *Fleischerus* Juris *Consultus Hallensis*, *In der Einleitung zum geistlichen Rechte* pag. 1070. ita de hoc negotio judicat, dicens: *Die theoretische Atheisterey ist, welcher Gott, so ferne er natürlich erkant wird, und auch folglich alle Religionen läugnet; Das ein solcher mit schwerer Leibes-*

Straffe

Straffe könne beleget werden, halt man für eine ausgemachte Sache, wenn man aber die Sache selbst ansiehet, so kan auch diese Atheisterey in Ansehen der menschlichen Gesellschaft ohnmöglich als ein Verbrechen betrachtet werden: Denn ein Atheiste turbieret die äusserliche Ruhe der Republique nicht, er lebet auch nit schlimmer, als ein abergläubischer und ruchloser Heuchler: Und ob man gleich nit läugnen kan, dass es in Ansehung Gottes, ein sehr grosses Verbrechen ist, so folget aber nit, dass es deswegen von Menschen müsse bestrafet werden, oder dass ein solcher durch menschliche Strafen könne gebessert werden. Zugeschweigen, das öfters Leuthe vvider ihr Verschulden darein verfallen können. Da man also dieselben mit Sanftmuth und Gedult aus ihrer Tohrheit reissen könte, so sehe ich nit, vvie man dieses Verfahren von einer grossen Grausamkeit frey sprechen vvill, vvann dergleichen Leuthe ohne Erkantnus Gottes hingerichtet vverden.

Alterum testimonium nobis suppeditat Vir pl. *Reverendus* A. F. W. *Sackius Potentissimo & Sapientissimo Regi Borussiæ a Sacris*, Vir *Eruditione, pietate, prudentia, modestia & moderati animi studio præcellentissimus.* Hinc in introductione ad librum suum bonæ frugis plenissimum cujus inscriptio est: *Vertheidigter Glaube der Christen* parte prima pag. 5. & sqq. ita pronuntiat: *Es ist vvahr, dass eine gevvisse Freyheit zu denken unter vernünftigen Menschen statt finden müsse, und nichts dem Geiste des vvahren Christenthums mehr zu vvider sey, als Verfolgung und Gevvissens-Zvvang: Und vielleicht hat auch nichts dem Glauben der Christen mehr Schaden gebracht, als eben der Mangel der gehörigen Sanftmuth gegen Irrende. Nicht allein die Gesetze vvohl eingerichteter Staaten, sondern auch die Gesetze des Evangelii selber erfordern, dass man dieselbe dulde, und ihnen, und vvann es auch vvürkliche Atheisten vvären, alle Pflichten der Menschlichkeit und Liebe erzveise: so lange sie sich nemlich ruhig halten, und für sich allein denken, vvelches sie immerhin und ganz ungehindert, auf ihre eigene Gefahr, thun mögen. So bald sie aber so dreiste vverden, dass sie die Ruhe der menschlichen Gesellschaft stören, die eingeführte Religion eines Landes offentlich höhnen, in denen Häuseren herum gehen, und Anhänger suchen, die Offenbarung in ihren Reden und Schriften boshaft durchziehen, und also denen Christen gleichsam ins Angesicht speyen: so däucht mich, dass es vvenigstens einem ehrlichen Manne nicht allein erlaubt, sonder auch seine Pflicht sey, seiner und vieler tausend rechtschaffener Leute Glauben, vvider dergleichen freche Anfälle zu kühn gevvordener Lästerer offentlich zuretten: und allen nachdenkenden und unpartheyischen Gemüh-*

teren

teren zu zeigen, daß die Christen, nicht ohne Vernunft und Gründe hoffen und glauben. Ita venerandus ille Vir. (*)

IX. Postquam in antecedentibus satis superque ostendimus, quomodo tractandi sint *Athei*, restat tandem ut dispiciamus, quid ad lucrandos *Deistas* præstandum sit. Videndum autem ante omnia cui tandem factioni, vel Sectæ addicti sint. Notum est, eos, licet in eo conveniant omnes, quod Revelationem non admittant, inter se quammaxime dissentire, quod Viri doctissimi, *Clarkius in demonstrat.* de *existentia Dei* &c. Tom. II. Cap. 11. & nuper *Clarissimus & Amicissimus Vernetus* Tom. I. novæ editionis, de *Veritate Religionis Christianæ*, cap. I. probe observarunt. Sunt inter eos, qui solam existentiam Dei admittunt, cætera vero capita Religionis Naturalis, aut in dubium vocant, aut prorsus negant; Sunt qui Providentiam dari credunt, quatenus Deus universum conservet; Eundem vero singillatim res humanas non curare, contendunt, unde etiam omnia, quæ de statu piorum & impiorum posthanc vitam dicuntur, inter fabulas referunt; sunt denique qui propius ad verum accedunt: Hi omnia Theologiæ Naturalis, & Juris Naturæ capita serio profitentur, sed Religionis tamen christianæ divinam originem inficiantur diversas ob rationes. Quidam ad magnum illum inter Christianos dissensum provocant contenduntque, hoc indicium esse, religionem christianam certis principiis non esse innixam. Quidam incidernnt in libros Theologicos, ubi omnia hirsutis minutisque opinionibus plena sunt, hinc inceperunt contemnere Religionem christianam in genere. Alios in transversum egerunt infirma

Quomodo in viam revocari possint Deistæ.

(*) His addendus est Theologus *Eruditus, pius & cordatus* Joh. H. *Hottingerus Professor in Academia Heidelbergensi Clarissimus.* Hic in brevi libello *Edelmanno* opposito postquam impudentiam Hominis deplorasset, in hæc verba pag. 5. libelli, erumpit: *Was ist zu thun? Soll man gegen ihn streiten mit fleischlichen Waffen? Soll man den Kayser, Christliche Oberkeiten gegen ihn excitieren, um ihm das Maul zu stopfen, und zu gebührender Civil-Straff gezogen zu werden? Das sey ferne! Fleischliche, weltliche Waffen sind eine Schand allen Wissenschaften, sonderlich den Christlichen Wahrheiten. Wann Henker und Dragoner müssen die Wahrheiten und Religionen beschützen, so ist es damit elend beschaffen. Wo bleibet die Uberzeugung im Gewissen? Wie gefährlich ist solche Hülf? Wie wann der Kayser selbsten die Wahrheit nit einsihet? Wann selbiger durch seine Ministros streitet für die Irrthümer und weltliche Maxime. Es ist vielmehr zu loben an Obrigkeiten, welche nur sorgen vor die Justiz und ausseres in dem gemeinen Wesen: Die sich nicht mit fleischlichen Waffen mischen in Religions-Streit und Fragen vom Gesez und Evangelio.* Similia legas in Vita F. *Junii* Edit *Gerdesii* pag. 227. & 28 & apud Rev. & doctissimum *Wagnerum* Apologiæ contra *Edelmannum* impudentissimum religionis contemtorem. Tomo I. pag. 105.

firma argumenta, quibus Doctores publici, religionis veritates capitales probaturi, usi sunt. Hunc offendit doctrina de mysteriis religionis christianæ, quæ illi videntur ἀσυζατα esse. Alii desiderant claritatem in doctrina de officiis Christianorum, asserentes, in Scriptis Apostolorum plurima, quæ mysticis, id est, ut illi interpretantur, fanaticis locutionibus plena sint, reperiri; denique sunt qui existimant nimis rigidam esse Ethicam christianam, & cum officiis vitæ civilis consistere non posse, ut de iis jam qui pravis duntaxat affectibus commoti, a religione christiana alienos gerunt animos nihil dicam. De causis hisce hîc nihil in medium proferam, quandoquidem id in antecedentibus abunde a nobis præstitum esse existimo. Manifestum vero est, prouti plura aut pauciora concedunt Theologiæ Naturalis capita Deistæ, ita pariter cum illis etiam ratiocinandum esse. Ubi adfectionibus pravis eos abripi certo constat, omnia illa sunt illis insinuanda, quæ supra, ubi de *Atheismo* egimus, in medium protulimus. Ponamus vero rem nobis esse cum homine, qui omnia Religionis & Juris Naturalis capita candide & sincere admittit, tum ego sequentia observanda, & inculcanda esse, existimo: (I.) Monendum, in religionis negotio non exspectandas esse demonstrationes mathematicas, sed tales duntaxat, quæ hominem veri amantem ad cognitionem veram salutaris persuasionis adducere possunt. Verum est, existentiam Numinis, id est Entis a mundo diversi plane, quodque omnibus entibus cæteris existentiam dedit, evidenter satis posse probari: at ubi deventum est ad naturam tantæ tamque præcellentis substantiæ rite explicandam, hæremus valde, & imperfectam plane eius habemus notitiam, sufficientem tamen, ad eam cognoscendam & colendam: idem dico de omnibus ejus attributis sive moralibus sive physicis. Finitum non esse infiniti capax, penes omnes in confesso est. Quis nescit quantæ difficultates, admissa etiam Providentia divina ad omnia, maxima, medioxuma, minima se se extendente, circa originem mali moralis & physici occurrant, ad quas tollendas, quantum in hac rerum caligine fieri potest, non tantum Christiani, sed & ipsi Deistæ, qui providere Deum rebus humanis, eumque esse sanctissimum, æquissimum, & justissimum, serio profitentur, tenentur. Mentis immortalitas sufficientibus quidem rationibus cum ex attributis moralibus Dei tum ex natura entis cogitantis probari potest; at evidentiam mathematicam locum habere dici non potest; quidquid recentiores quidam eruditi dicant, quod fuse hic probare supersedeo. Quod si hoc locum habet in

ipsa

ipsa Theologia naturali, quis mirabitur, si talia reperiantur in libris antiquis valde, & ubi præsidia desunt omnia perfecte cognoscendi? Thesin *Celeberrimi Werenfelsii*, quæ ita sonat, pro verissima habemus: *Cognitio* (inquit) *Linguarum orientalium, veterum historiarum, consuetudinum, rituum, opinionum, non tanta hodie comparari potest, quæ sufficiat omnibus Scripturæ locis intelligendis, omnibus difficultatibus & dubiis solvendis, omnibusque apparentibus contradictionibus conciliandis.*

II. Non postulamus a Deista, ut instituto examine, & lectione seria & attenta S. Litterarum, statim huic vel illi sectæ nomen det, nedum, ut assensum det iis, quæ non intelligit; sed ut ἀθερ παθων primo N. Testamentum expendat, legat & relegat, sique linguam græcam intelligit, fontem consulat, doctissimosque omnium judicio Interpretes conferat, hocque facto in certas classes referat præcipuas propositiones, quas ibi se deprehendisse satis clare existimat, & ni me omnia fallunt in summa rerum cum christianis plerisque conveniet. Regula hæc æquissima mihi esse videtur, ubi *Aristotelis*, *Platonis*, vel *Stoicorum* systemata intelligere volumus, idem nobis præstandum est.

III. Cum Deista, qualem quidem jam nobis repræsentamus, primaria principia Theologiæ Naturalis admittat, pro certo ponere possumus, eum scepticum non esse; admittit enim certas propositiones theoreticas & practicas, concedet igitur, dari veritates quasdam historicas; v. gr. in terris vixisse aliquem *Alexandrum*, *Ciceronem*, *Cæsarem* &c. legat eum in finem, quæ de indole fidei historicæ doctissimi quique, & inter eos *Dittonus* in medium protulerunt, & omnibus serio expensis sentiet, moraliter impossibile esse, ut probetur, nullum unquam Christum in terris vixisse. Quod si hæc veritas nondum ipsi satis clara videtur, in causas hujus rei inquirat, eosque, quos in hoc argumento doctissimos & acutissimos esse existimat, consulat, & ni me omnia fallunt, deprehendet tandem hujus veritatis vim. Hic primus erit gradus perveniendi ad cognitionem veritatis historicæ, conferendo omnes quatuor Evangelistas, iisque tantum tribuendo, quantum alii veraci rerum gestarum narratori creditur: & manifestum erit eos omnes in eo consentire, Christum non solum doctrinam admirabilem tradidisse, miraculisque illustrem fuisse, sed & innocentem violentæ morti fuisse traditum, & e mortuis in vitam fuisse revocatum, provocarique ad testes plurimos oculatos talesque, qui antequam res gesta fuisset, induci non poterant, ut crederent, hoc unquam eventurum. Quod si circumstantiæ quædam circa tempus, & personas,

quæ primi testes hujus resurrectionis referunt, ipsum morantur, videndum utrum ob diversam aliquam narrationem harum circumstantiarum, res quam maxime commemorabilis, id est resurrectio Christi, sit in dubium vocanda: legat igitur denuo noster Deista doctissimos hujus veritatis defensores, in primis vero *Nobilissimum West*, qui circumstantias illas omnes, quæ morari Lectorem veri amantem possent, accurate expendit. Cumque resurrectio mortuorum talis sit eventus, qui sine miraculo fieri non potuit, sive rem Deo, vel Christo tribuas, pergendum in lectione Evangeliorum, & videndum qualia facta huic Christo tribuantur; hic vero manifestum plane erit omnes quatuor Evangelistas in eo conspirare, Christum innumera patrasse miracula diversissimi generis, præsentibus hostibus & amicis, adeo quidem, ut quidam nolentes volentes falsi fuerint, Dei auxilio ea patrari; alii vero cum res vere gestas esse diffiteri non possint, occultis malorum spirituum operationibus adscripserint. Hic vero Deista noster, quem veri amore duci jam ponimus, aut negare debet, quicquam in hoc universo præter leges naturæ fieri posse; aut narrationem Evangelistarum suspectam fraudis esse tueri debet; aut nimis credulos hos homines fuisse & simplices, quam ut quid naturale, quid supernaturale rite dijudicare potuerint, asserere tenetur, aut denique, quæ narrantur, vere gesta fuisse confiteri debet. Quod ad primum attinet, vix credi potest, Deistam, qui, Deum omnia maxima & minima, id est universum mundum condidisse fatetur, & quidem secundum sapientissimas leges, negare velle, eundem Deum gravissimas ob rationes aliquando leges illas per tempus mutare posse, impossibilia igitur non esse miracula, fateri tenebitur, modo systema, quod tuetur, rite expendat. Sed probabile inquiet forte Deista, non est, Deum sapientissimum leges a se positas mutaturum. Respondemus verum esse rarius occurrere miracula, & jam per plurima secula facta fuisse nulla; sufficit autem eum talia patrare posse, si velit, cumque Deus nihil faciat sine rationibus sufficientibus, omniaque ad sapientissimos fines adaptet, eumque in finem utatur mediis ad finem hunc obtinendum plurimum facientibus, restat, ut inquirat Deista, utrum miracula quædam facta sint, hocque concesso disquirendum, quem tandem in finem ea præstita sint. Quod si serio & ἀθεῳ παθων legit & relegit Evangelistarum narrationes, vix sibi temperare poterit, quin credat, miracula vere a Christo patrata fuisse: adeo enim perspicuis verbis omnia exponunt, circumstantias personarum & locorum enarrant, idque tam frequen-

frequenter contigisse ingeminant, ut aut universa eorum narratio sit in dubium vocanda, & auctoritas testium horum plane rejicienda, aut fatendum tandem, verum esse, patrata fuisse miracula. Hoc vero concesso, patebit mox, quem tandem in finem hæc fuerint patrata: partim enim Christus ipsemet dissertis verbis testando ea ad Evangelium suum confirmandum fieri asseruit: partim ipsa rei natura, hominumque eo tempore viventium status, quem ea in finem fierent, designare poterant.

Quando Deus inter homines miracula edit, ipsique qui talia edunt, fatentur, quam id fiat ob causam, nihil aliud colligi inde potest, quam facta ea fuisse, ut homines de aliqua veritate gravi & momentosa edocerentur. Homines quidem ex miraculis Omnipotentiam Dei veluti digito tangere possunt; at hæc veritas etiam sine revelatione & miraculis cognosci potest. Et quid opus est pluribus verbis? nemo qui Evangelia legit, ut de Apostolorum Actis & Epistolis nil dicam, ignorare poterit, id præcipue Christum egisse, ut probaret, se esse illum cœlitus promissum Messiam. Hæc erat tum temporis inter Judæos celeberrima illa quæstio. Judæi non negabant venturum Messiam; sed talem præstolabantur, qualem secundum præconceptas opiniones desiderabant. Christus edidit inter populum hunc miracula, quia sine iis innumera dubia contra eum doctrinamque, quam profitebatur, adferre poterant; visis autem tot miraculis, & provocatione ad miracula V. T. causas sonticas afferre non poterant, cur Mosis miracula tanquam divina admitterent, non vero Christi, quæ oculis suis frequentissime videre poterant. At hic jam finis Dei sapientissimus patebat, nimirum Messiæ veri characteres exhibere, & ad doctrinam ipsius salutarem amplectendam homines commovere. Forte dicet Deista, neque tamen finem & scopum obtinuisse Deum inter Judæos & Principes quidem eorum Pharisæos, qui majore tamen doctrinæ apparatu fuerint instructi, quam vulgus: sed hæc parum ad rem facere Viro sapienti videbuntur. Deus rationem eum potissimum in finem mortalibus concessit, ut ex universi contemplatione Majestatem, sapientiam & potentiam perspicerent, atque ad eum colendum inducerentur: Hoc non obstante multi, imo plerique incurii sunt rerum pulcherrimarum in universo occurrentium, & ad tantas O. N. perfectiones caligant; num ergo Deus fine, quem intendit, excidit, & frustra sunt tam stupenda & artificiosissime constructa manuum suarum opera? non putaverim. Si Deista historiam evangelicam, pro uti decet, perlegit,

legit, & ad characteres Phariſæorum, aliorumque Principum hujus populi, attendit; ſine magno labore cauſas reperiet, cur plurimi inter Judæos conſpectis etiam tot miraculis chriſtianæ tamen religioni nomen non dederint, nimirum ſuperbia, ſtupor, inolitæ de ſanctitate & prærogativis judaicæ Nationis opiniones, traditionum a Patribus acceptarum admiratio, animus a cultu interno religionis alienus, & in externo plane defixus, aliaque miſeros homines impediverunt, quo minus attente ad illa miracula, & ad doctrinam excellentem animos adverterent. Licet enim Deus miracula edat, ad homines de doctrina cœleſti perſuadendos, non vult tamen invitos per miraculum ad adſenſum pertrahere. Potuit igitur noſtra ſententia Deus in gratiam doctrinæ cœleſtis patrare ob ſapientiſſimas plane rationes miracula, licet, multi homines ad tantam lucem oculos clauſerint. Idem dicendum de Gentilibus, quæ tamen omnia fuſius eſſent demonſtranda, ſi data opera veritatem miraculorum, quod a doctiſſimis Viris abunde factum eſt, probare aggrederemur. Ex dictis ſaltem hoc manifeſtum eſt, Deiſtam noſtrum male argumentari, quando ex narratione Evangeliſtarum de tanta miraculorum a Chriſto patratorum copia colligit, fraudis eſſe ſuſpectos Evangeliſtas: probandum enim ante omnia eſſet, miracula inter ea eſſe referenda, quæ ſunt ἀδυνατα, quod profecto is non poteſt profiteri, qui Deum ab adſpectabili hoc mundo diverſum admittit. Neque tandem tertio loco ſequitur, homines illos nimis credulos fuiſſe, eaque, quæ ipſis mirabilia videbantur, ſtatim in numerum miraculorum retuliſſe. Narrant enim, quæ ipſimet viderant, neque ut, qualis natura horum factorum eſſet, anxie diſquirunt, ipſis potius, qui ἀυτοπται erant dijudicandum relinquunt, quid de rebus iſtis geſtis ſit ſentiendum. Ex ipſis autem judiciis, quæ a Judæis ferebantur, manifeſtum erat, eos in maximam admirationem fuiſſe raptos, neque neſcio cui naturalium cauſarum concurſui ſtupendas illas actiones auſos fuiſſe adſcribere; ſi more eruditi noſtri ævi recepto, incepiſſent cauſam ſuam argumentis metaphyſicis a contingenti & neceſſario, poſſibili vel impoſſibili &c. petitis tueri, merito ſe ſe ſuſpectos reddidiſſent, quia in ipſa, quam narrant, hiſtoria, fatentur, ſe humili loco natos fuiſſe, & potius piſcando quam Litteras excolendo magnam ætatis partem exegiſſe. Ipſis potius Deiſtis probandum incumbit, omnia, quæ de miraculis ab ipſis narrantur, facile ex cauſis phyſicis explicari poſſe. Poſtquam Deiſta noſter omnia ſerio expendit, fraudesque nullas in narratione Evangeliſtarum deprehendit, &

mira-

miracula a Christo edita fuisse negare nequit, rursus recurrendum est ad resurrectionem Jesu Christi, tanquam miraculum inusitatum plane & stupendum: postquam enim legit Christum tot miracula in vita sua edidisse, Deique præsentissimo auxilio adjutum fuisse, non est mirandum, si ejusdem potentia, e mortuis in vitam fuit revocatus; cum vero æque disertis verbis Evangelistæ exponant miracula, quæ patravit, ac ipsius resurrectionem, non minus priori testimonio, quam posteriori fides est habenda. Hoc vero concesso, ipsemet Deista facile consectaria ex resuscitatione hac Christi sponte sequentia, elicere poterit. Dabimus quædam: ponimus vero Deistam nostrum lectis Evangeliis ad Acta Apostolorum, epistolasque ad varias datas nationes, perrecturum, eaque, quæ post resurrectionem evenisse narrantur, simili cura & attentione perlecturum.

Primum esto: Christus ut supra diximus, patravit miracula ad doctrinam, quam in medium protulit, astruendam: Jam vero aut dicendum Deum in gratiam Impostoris talia miracula edidisse, aut id præstitisse ad doctrinam a Christo annuntiatam probandam, & confirmandam. Prius tueri non potest Deista, quia Theologiæ Naturalis & Juris Naturæ capita admittit, esset enim hæc assertio omnibus Dei virtutibus contraria: Posterius ergo dicendum est. Hoc posito non solum miracula Christi erunt divinæ originis, sed & ejus doctrina.

Secundum: Evangelistæ omnes nonsolum testantur, Christum in vitam fuisse revocatum, ingentique turbæ se se videndum exhibuisse, sed & sublimem in cœlos abiisse, videntibus suis discipulis; Imo ipsummet hoc certo futurum prædixisse: ex quo sequitur, ipsum potentia Dei exaltatum fuisse, Deumque doctrinam, quam Judæis annuntiavit Christus, ita comprobasse tanquam veram.

Tertium: Christus discipulis promiserat, testibus Evangelistis se post breve temporis intervallum, postquam cœlo fuisset receptus, donum miraculorum ipsis largiturum, eosque omnia edocturum, quæ ad veritatem Evangelii rite intelligendam, aliisque annuntiandam, facere possent. Dictum factum; post elapsos dies 50. incipiunt hi homines ἀπαιδευτοι variis linguis loqui & τα μεγαλεια τε Θεε deprædicare, quod exaltati Christi certissimum signum erat; unde simul sequitur, eos phantasia non deceptos, sed ipso sensu, & experientia edoctos fuisse, non suæ diligentiæ aut labori, sed Christo hoc beneficium tribuendum.

Quartum: Apostoli, postquam Christus e mortuis in vitam fuisset

set evocatus, & in cœlum ascendisset, hinc inde Judæam peragrantes has res gestas ubique exponunt cordate & intrepide, nullisque minis a confessione hujus veritatis se se abduci patiuntur; ex quo facile colligi potest, eos, de rerum gestarum certitudine intime fuisse persuasos, neque enim constantiæ illius in asserendis his veritatibus ulla verisimilior reddi potest ratio.

Quintum: Ipsi discipuli Christi, postquam is receptus esset cœlo, nonsolum dono linguarum sed & facultate patrandi miracula fuerunt instructi, prout ex Actis Apostolorum clarissime hoc patet. Neque hîc falli poterant quoniam ipso opere omnes simul videbant homines, variis morbis laborantes sanari, atque mortuos in vitam revocari; tentet idem præstare homo fanaticus, & mox sentiet, quam sit ille conatus stultus plane & irritus. Hæc omnia vero se præstare dixerunt in nomine Jesu in vitam revocati & exaltati. Causa igitur alia insignis hujus facultatis dari non potest. Maxime hîc in hac disquisitione attendendum est, Acta Apostolorum a Luca scripta statim fuisse ac Evangelium suum composuisset. In iis autem nonsolum exponit ipsos Apostolos fuisse miraculis illustres, sed & narrat, quibus in locis hæc vel illa gesta sint; in scenam producit personas, quibus Evangelium, & quo cum successu, sit annuntiatum, totque circumstantias pandit ut omnibus manifestum sit, eum de rerum gestarum certitudine fuisse persuasum: profecto malitiosissimus, nec plane stupidus tamen impostor, talia in medium proferre ausus non fuisset, eo tempore, quo omnia in recenti erant memoria, & si falsa fuissent, apertæ fraudis coargui potuisset. Pluribus hoc argumentum urget Vir *Doctissimus A. Joungs* in disquisitione de *Idololatria edit. germ.* pag. 428. seqq.

Sextum: Evangelistæ quatuor & Lucas in Actis narrant nativitatem J. Christi, ejus miracula, mortem, resurrectionem, ascensionem in cœlum, Spiritus Sancti super Apostolos effusionem; fata doctrinæ christianæ; conveniunt in omnibus, quæ ad summam rerum gestarum faciunt, interserunt passim, doctrinam Jesu Christi nunc apertis verbis nunc per parabolas traditam, memoriam confirmante eo Spiritu, qui, se omnem eos veritatem edocturum, ante promiserat. Summa veritatis erat: Jesum Nazarenum verum esse Messiam, Patribus promissum, & a Prophetis plurimis ante Seculis annuntiatum. Apostoli nonsolum viva voce capitales illas veritates injungunt, & ex iis argumenta solidissima petunt, ad veritates illas Judæis pariter & Gentilibus

tilibus commendandas; sed & scriptis variis ad *Romanos*, *Ephesios* &c. Epistolis, hoc unum præcipue agunt, ut Jesu Christi mortem & resurrectionem tanquam prima ad veram pietatem incentiva, & præcipua Religionis Christianæ fundamenta proponant. Hinc tota eorum Ethica his principiis est superstructa, de quo infra aliquid monendum est.

Septimum: Quocunque oculos convertimus, respiciendo ad testimonia primorum discipulorum, eorum consensum in exponendis rebus gestis, constantiam plane admirabilem in rebus adversis, nullas alias causas hujus rei reperire possumus quam altissimam de rerum gestarum certitudine persuasionem: Quod si enim ad ea respicimus, quibus homines ad aliquid fingendum & adpetendum duci solent & quasi trahi; nimirum ad *ambitionem*, vel *voluptatum amorem*, aut *auri sacram famem*, patebit eos ab affectibus illis fuisse alienos; ambitio ut plurimum non cadit in rudes homines, sed docti & excellentioris ingenii homines sæpe hoc morbo laborare solent. Et in quibus tandem horum hominum ambitio consistere debuisset? Neque Eruditionis copia, neque eloquentia, neque disciplinarum philosophicarum peritia excellebant. Sed pone tandem etiam rudes quammaxime homines ambitione capi; quæro quomodo homines illi tam artificiosam fabulam rite fingere potuissent, ut mendacium non potuisset pellucere? In Judæa, præcipue vero in Galilæa nati erant hi homines; fingunt, si Incredulos audias, Christum aliquem in Judæa vixisse miraculis illustrem, dogmata in medium protulisse a Gentilium plane & Judæorum placitis aliena, eum vitam vixisse austeram plane & duram, Ipsum principes populi scribas & pharisæos ob hypocrisin, depravatamque antiquam religionem frequentissime castigasse, tandem horum hominum insidiis circumventum neci traditum, sed quod mirabile & incredibile pleriſque hominibus videtur, e mortuis in vitam revocatum, & in cœlum ascendisse, ibique regnare &c. Quod si hæc omnia ficta fuissent, nescio quomodo boni illi homines ambitione scilicet capti, sperare ulla cum verisimilitudinis specie potuissent, homines non plane sensu communi destitutos, rerumque in Judæa gestarum gnaros, vacivas sibi aures præbituros fuisse. Profecto hæc fuisset talis ambitionis species quæ nonnisi vexare solet homines stollidissimos. Non rudis piscatoris, labore manuum victum quærentis est, ingeniosam aliquam fabulam, ad verisimilitudinis leges exactam, excogitare. Plura hîc requiruntur. Addo talia respectu locorum, in quibus hæc vel illa facta dicuntur, ab iis narrata fuisse, ut vix sibi, nisi plane de-

mentati fuissent, persuadere potuissent, homines sani cerebri assensum ipsis præbituros. Denique non artificiosis Rethoricæ utuntur regulis, ad facta hæc, quæ narrant, insinuanda, aut longe repetitis argumentis probare intendunt, sed loquuntur ita, ac si res narrata omnibus plane nota tum temporis fuisset. Plura de hac objectione non addo, quoniam ea parum habet verisimilitudinis. Idem dico de *amore voluptatum*, quo forte inducti, historiolam illam in vulgus spargere aggressi sint. Ignobiles & pauperes voluptatibus quidem inhiant, sed talibus plerumque, quibus abunde famem & sitim sedare queunt. Opiparas cœnas non quærunt: parabilis usitatusque cibus sed sufficiens eorum desiderio satisfacit. Nulli autem minus apti, quam tales, ad cerebrum novis & artificiosis historiis excogitandis fatigandum; cuticulam potius curant, creduntque quod vulgo creditur, ulterius vero curas suas non extendunt. Denique pessimum morbum *avaritiam* hos primos disciplinæ christianæ alumnos occupasse, non magis verisimile est: Quos tenet insatiabilis hæc cupiditas, illi non tantum sibi prospicere volunt, sed & curam suam ad familiam suam, ad posteros ditandos extendunt, avideque corradunt per fas & nefas, quæ ad acervos jam congestos augendos facere possunt: at primo raro vexat auri argentique fames pauperes: deinde facile hi homines perspicere poterant, prolata & disseminata doctrina nova, domum patriamque esse derelinquendam, nullibique corradendæ pecuniæ relictum esse locum, neque inter Gentiles neque inter Judæos. Sufficiens erat inter Gentiles numerus sacrificulorum quos alere debebant Imperantes, neque talia sibi promittere poterant primis illis temporibus Christiani, omnibus exosi. Dices experientiam testari, viles & pauperculos Monachos devotis paupertatis pulchre garrientes ad immensas tandem perveniisse divitias, adeo quidem, ut in multis Europæ & Americæ partibus cum ipsis possint de divitiis certare Regibus. Verum hoc est. At quorum præsidio quibusve artibus in eum statum pervenerint, quærendum est. Nimirum notum, superstitiosos Imperatores & Pontifices, in causa fuisse hujus rei, existimantes se Deo rem gratissimam facturos, si homines inertes & fanaticos beneficiis singularibus cumularent, ipsi vero Monachi prensationibus, fictis miraculis, & reliquiis, pecunia emunxerunt homines superstitione vana captos. At talia minime sibi promittere poterant Apostoli, & primi disciplinæ christianæ alumni, sive ad Judæos respicias, sive ad Gentiles: sufficiebat ipsis, ex liberalitate quorundam Christianorum tantum accepisse, quantum ad victum & amictum satis erat.

Octa-

Octavum: Conversio Pauli mirabilis plane, veracitatis Apostolorum de veritate resurrectionis Jesu Christi & exaltationis ejus argumentum suppeditat irrefragabile. Hic enim in ipso persecutionis æstu positus, voce cœlitus demissa, *Saul Saul quid me persequeris* ita fuit commotus, ut mox totus a se mutatus, disciplinæ christianæ nomen daret; Quam incredibili vero diligentia ubique Evangelium J. C. annunciarit, quos labores & molestias devoraverit, mortemque constantissimo animo pertulerit, ex ipsius epistolis, & primævæ antiquitatis monumentis patet. Veram autem fuisse hanc Pauli conversionem non imaginariam, vel ea ipsa, quæ post visionem illam docuit & perpessus est, manifestissum est. Eum certe non fanaticum, neque Impostorem fuisse, data opera nuper probavit *Nobilissimus* & *Eruditissimus Lidlethonus Anglus* singulari libello, in quo ex ipsa conversione Pauli, ejus doctrina & gestis, argumentum desumit, pro veritate Religionis christianæ.

Nonum & ultimum: Effectus mirabiles; quos habuit publica illa professio, Jesum Christum pro peccatoribus obiisse mortem, e mortuis in vitam fuisse revocatum, & sublimen in cœlos abiisse, satis testantur, primos Christianos de veritatibus hisce fuisse persuasos. Plurimi ut ex Actis Apostolorum constat, ex Judæis & Gentilibus audita hac doctrina, visisque miraculis nomen dederunt Religioni christianæ, imo multi etiam extraordinariis superfusi erant donis. *Neronis* jam ætate plures fuisse Christianos gravis Auctor est *Tacitus*. Inter Gentiles plures abjecta superstitione, & cultu idololatrico, simplicem illam, nec adfectibus adblandientem Christi doctrinam professos fuisse, nonsolum Acta Apostolorum & Epistolæ, ad varios cætus datæ, sed & ipsa primæva antiquitatis ecclesiasticæ monumenta testantur. Probe autem observandum nos a multitudine duntaxat credentium non argumentum petere, ad originem divinam religionis christianæ probandam; pulchre enim novimus, ipsum Impostorem *Mahometem* plurimos habuisse & adhuc habere Sectatores, ut de tot gregibus Monachorum inter Christianos nihil dicam: argumentum nostrum petitum est a *modo* propagationis; a *simplicitate* primorum doctorum; a *præjudiciis*, quæ exuenda erant; ab *obstaculis* huic doctrinæ oppositis; a *constantia* tandem in tuenda sanctissima disciplina. Atque hæc sunt principalia cor sectaria, quæ ex veritate de resurrectione Jesu Christi sine subtili meditatione & violentia erui possunt. Paucis tantum hæc insinuavi, quia *Celeberrimi* & *Eruditissimi* Viri religionis christianæ

veritatem probare aggressi sunt data opera hæc omnia plenius excussserunt, & ad omnes Deistarum objectiones fuse responderunt.

Hactenus a Deista nostro nihil aliud petivimus, quam ut ea, quæ a discipulis Christi de resurrectione dicta sunt, serio expendat; testium quantitatem & qualitatem probe examinet, factoque examine judicet, quid tandem de hoc testimonio Apostolorum secundum leges rectæ ratiocinationis existimandum putet. Quoniam vero vel ipsa miracula maxima, siquidem talia fierent, ad probandam doctrinam ineptam, contradictionibus meris scatentem, & divinis plane virtutibus contrariam nihil tamen conferre possent ad homines in adsensum pertrahendos, necesse est, ut aliquid de dogmatibus religionis christianæ ejusdemque præceptis moralibus addamus. Deista, qui resurrectionis Jesu Christi ab Apostolis unanimi consensu narratam veritatem rite expendit, vix cohibere se poterit, quo minus ad adsensum aliquem huic narrationi concedendum inclinatum sentiat animum; unde etiam factum esse puto, ut doctissimi eorum, quantum ego quidem scio, *Dittoni* de veritate resurrectionis Christi librum intactum hactenus reliquerint. At ubi ad doctrinam ipsam & dogmata religionis christianæ deveniunt, putant, se sufficientes reperire rationes totam illam historiam pro suspecta habendi, cum iidem Evangelistæ, qui rem plane miram de Christo resurgente exponunt, simul tamen fateantur, eundem, & post eum ita dictos Apostolos, portentosa quædam, & tamen creditu necessaria tradidisse dogmata, quæ tamen sua nimirum opinione cum rectæ rationis decretis nulla arte in concordiam redigi possint. In hanc vero classem referunt inprimis doctrinam de S. Trinitate. Videndum ergo paucis utrum propterea Deistæ justas triumphandi & religionem christianam rejiciendi causas habeant. Eum in finem sequentia iis probe expendenda damus.

Primum est: Non tantum licitum, sed & necessarium esse putamus, ut omnia dogmata Religionis christianæ, potissimum ea, quæ Mysteria vocantur, ad exactissimas ratiocinandi leges examinentur. Nolumus ut Deistæ assensum præbeant propositionibus in N Testamento detectis sine accuratissimo examine. Quod si omnibus rite expensis ad lancem illam trutinarunt dogmata Religionis christianæ, neque tamen sibi satisfacere hactenus possunt, per tempus ad ἐποχην, antequam plane ea rejiciant, confugere debent, & in aliud tempus, instituto novo examine, rem transferre. Quod enim mihi prima occasione conceptu difficile esse videtur, alio tempore, aliaque animi dispo-

dispositione, verosimile videri potest. Hoc ideo ante omnia monemus, quia quidam Theologi, ubi de mysteriis agitur, eorum examen accuratius proscriptum vellent, atque adeo Deistis ea vellicandi materiam suppeditant.

Secundum: Concedimus & fatemur, ea, quæ manifestam involvunt contradictionem credi non posse: Sic credere, etiamsi vellemus, non possumus, dari circulum quadratum, aut idem corpus eodem tempore in pluribus locis esse posse: Hæc propositio omnis rectæ ratiocinationis prima regula est, qua rejecta, nihil tam portentosum & absurdum est, quod insinuari non possit. Quam diu igitur Deistæ putant, hic vel illic in religione christiana talia reperiri dogmata, causa non est cur iis irascamur. Sequantur legem conscientiæ, neque quisquam, dum in hoc statu sunt, eos increpandi habet causas; ne ipse quidem Deus homines ad ἀσυζατα credenda cogere potest; in repugnantibus enim nonnisi reperias voces sensu carentes.

Tertium: Dogmata religionis christianæ non sunt dijudicanda secundum hoc vel illud Theologiæ Systema, sed secundum ipsa verba, quibus Scriptores sacri utuntur, adhibitis rectæ interpretationis regulis, & præsidiis philologiæ sacræ. Si hæc jam antiquis seculis a primitivæ Ecclesiæ Patribus observata fuissent, tam innumeris contentionibus & litibus locus non fuisset relictus. Secundum Protestantium sententiam (utinam sibi semper in hoc constarent, & suorum principiorum essent memores) nullum dogma religionis credi debet, quod non aut αὐτολεξει in S. Litteris clarissimis verbis sit expressum, aut per evidentissimam consequentiam inde eruatur: non insuper obtrudimus Deistis, in castra christianorum transituris, hoc vel illud systema, has vel illas particulares hujus vel illius Sectæ opiniones, sed hoc unum desideramus, ut ἀθεῤ παθων N. Testamentum expendant, persuasi, eos primaria christianæ religionis capita facile inibi reperturos.

Quartum: Ex quo ipso per legitimam consequentiam sequitur, oportere Deistam Novum Testamentum evolventem, sensum sub verbis Evangelistarum & Apostolorum latentem sequi, neque id quærere, quod duntaxat vel hypothesibus suis, vel perversis adfectionibus animi acceptum & gratum esset. Si quis *Platonem* vel *Stoicum* legeret scriptorem eo fine, ut *Epicuri* decreta ubique reperiret, sensumque adeo horum Scriptorum ad hujus Κυριας δοξας torqueret, omnium, qui sapiunt, judicio desiperet. Licet enim Deista nondum divinam originem religionis christianæ admittat, tenetur tamen, nisi scriptores N. T.

pro hominibus insulsis & fanaticis habeat, ea exinde colligere, quæ per legitimas, & omnibus Interpretibus communes interpretandi regulas in iis continentur. Quod si hinc inde hæret, neque in doctissimorum Interpretum, qui stylum græcum probe intelligunt, explicationibus adquiescere potest, habet remedium quo uti potest, nimirum ἐποχήν, quod etiam non raro doctissimis evenire solet Viris.

Quintum: Cum Mysteria, quæ in S. Litteris reperiuntur fides sint in oculis Deistarum, antequam de iis, quæ in Novo Testamento reperiuntur, agamus; hoc monendum est: aut Deista confitetur, posse dari revelationem, aut negat. Posterius facere non potest, nisi antequam revelationem admittit, jam pro certo ponit in omni Revelatione contineri Mysteria, id est propositiones, ut ille explicat, contradictorias, quod tamen, si de veris mysteriis sermo sit, illi nemo Christianorum concedet. Intelligimus enim per Mysteria tales veritates, quæ ope solius rationis reperiri nulla arte possunt. Homo revelatione destitutus, quamvis sit sagacissimi ingenii, necessitatem revelationis alicujus probare non poterit, neque optare, quandoquidem harum veritatum nullam potest habere ideam; quicquid enim extra nexum veritatum, rationis ope inveniendarum positum est, illud homo neque concipere neque etiam tanquam necessarium adpetere potest. Valet enim & hic illud Tritum: Ignoti nulla cupido: aliud est dicere, nos posse admissa veritate & divina origine religionis christianæ, a *posteriore* probare, necessitatem hujus revelationis; aliud vero: posse hominem omni revelationis luce destitutum, cognoscere tamen revelationis, id est propositionum, opera rationis non cognoscibilium necessitatem. Qui de divina origine revelationis nobis concessæ persuasus est, facile ita argumentari potest; Deo sapientissimo placuit nobis concedere revelationem, in qua continentur veritates rationis captum superantes, sed cognitu necessariæ; ergo necesse fuit, ut illa mortalibus daretur. Hanc distinctionem si observasset Anonymus quidam, qui nuper in *Mercurio Helvetico Cl. Vernetum* carpsit, quod in volumine primo demonstrationis veritatis religionis christianæ novæ editionis, caput de *necessitate* revelationis omisisset, forte ab hac censura abstinuisset. Quod si fatetur noster Deista Deum posse hominibus dare revelationem, eo ipso etiam concedat necesse est, posse dari mysteria, id est veritates, quæ ex nullis principiis rationis deduci possunt, quasque per omnem æternitatem ignorassemus, licet omnes ingenii nervos intendissemus: v. gr. cui mortalium oculatissimo etiam

in

in mentem venire potuisset; Christum Jesum τον λογον inter mortales corpore humano indutum compariturum: Hunc pro peccatis hominum mortem violentam passurum: hanc mortem unicam esse reconciliationis nostræ cum Deo causam; Eum post mortem resuscitatum iri & sublimem in cœlos abiturum; in infinita & inennarrabili natura divina dari Patrem, Filium & Spiritum Sanctum &c. &c. Locum *Socratis*, quem adferunt quidam eruditi ad probandum, Gentiles necessitatem revelationis cognovisse, alibi excussimus. Hoc unum cognoscere poterant Gentiles, utile esse, si Theologiæ naturali nova lux accederet, hominesque accuratius res divinas cognoscerent. Et profecto *Socratis* desiderio & omnium sapientum inter Gentiles satisfactum fuisset, si illis Systema Theologiæ naturalis, quale adornarunt moderni inter eruditos, v. gr. *Clarkii*, vel *Ill. Wolfii* in manus datum fuisset.

Sextum: Cum Deistæ mysteria, quæ in novo Testamento potissimum reperiuntur, aggrediantur, paucis quædam, cum alibi in his dissertationibus de hoc argumento verba fecerimus, monenda sunt.

1) Nimirum inprimis impugnant, doctrinam de ἐνσαρκωσει τȣ̃ λογȣ̃; dogma de Trinitate, & de opere Redemtionis. Hic primo fatemur quidem, ea, quæ de his narrantur, captum nostrum superare, & obscure plane ea a nobis cognosci; neque fieri aliter potest, postquam concedimus eas veritates, quæ mysteria a nobis appellantur, non rationis inventum esse subtilium ingeniorum opera in lucem protractum.

2) Ipsi Scriptores Sacri non postulant a nobis, ut naturam & indolem horum mysteriorum exacte cognoscamus, sed ut ea, quia a Deo revelata esse certis documentis sumus persuasi, saltem pro divinis veritatibus habeamus, præsertim, quod cum aliis veritatibus ubique in novo Testamento occurrentibus, indissolubili nexu cohæreant.

3) Atque hoc eo magis facere possumus, quod natura divina infinita & inennarrabilis sit, multaque in ea esse possint, quæ nostram capacitatem superant.

4) Christiani omnes vel plerique saltem licet mysterium Trinitatis admittant, clamant tamen & fatentur, se unicum perfectissimum Numen credere, & ab hac confessione nullis sophisticationibus se se avelli patiuntur, & nisi apertissimis locis Scripturæ cogerentur, Mysteria non admitterent.

5) Vox Mysterium in S. Litteris duplici sensu sumitur; vel enim denotat revelationem veritatis, quæ antea ignota erat; manifestata

vero

vero probe intelligi potest, ita vocatio Gentium mysterium appellatur. Vel mysterium appellatur dogma, cujus indoles & vera natura post datam revelationem ignoratur, neque ingenio humano cognosci accurate potest. De posteriore significatu hic agitur eaque Mysteria rejiciunt Deistæ.

6) Hoc unum ergo Deistæ probandum est, ea quæ de Mysterio Trinitatis dicuntur, manifestam involvere contradictionem. Fieri id posse, hactenus mihi persuadere non potui. Ut probetur, in hac vel illa propositione contineri manifestam contradictionem subjectum & prædicatum mihi est accurate cognoscendum. Ita quando novi, quid sit corpus rotundum, quid triangulare, video manifestam esse contradictionem, si quis dicat datur circulus triangularis, ipsi enim termini se mutuo tollunt. At ubi dico in infinita & inennarrabili natura Dei est aliqua distinctio, quæ Patris, Filii & Spiritus Sancti, tanquam trium personarum distinctarum nomine venit, aliquid affero, quod partim intelligo, nimirum dari Ens unum, infinitum, perfectissimum &c. partim obscurum est, quando nimirum dico, in Deo sunt tres personæ, quia vocem personæ non eo sensu intelligo, quo communiter sumitur; non enim hæc sunt tria individua, a Deitate distincta, cum una quæque Divinitatis in Scripturis particeps sit. Ubi igitur ingenue confiteor, me personæ vocem non satis posse definire, contradictionem veram mihi monstrare nemo potest; aliud enim est incomprehensibile, aliud contradictorium. In hac vero quæstione aliqualiter explicanda, non est attendendum ad horum vel illorum Theologorum obscuras phrases, distinctiones & comparationes, sed in iis simpliciter est subsistendum, quæ in S. Litteris traduntur. Quæro igitur ex Deista utrum putet, se recte sentire & agere, si propter obscurius aliquod dogma, quod infinitam Dei naturam spectat, universam Religionem christianam rejiciat. In novo Testamento legimus frequentissime Christum innumera patrasse miracula, e mortuis in vitam fuisse revocatum, testibus fide dignis sublimem in cœlos abiisse, Apostolis vim patrandi miracula & linguarum dona dedisse, admirabilem doctrinam, quæ omnia Philosophorum tum temporis viventium decreta longissime superat, in medium proposuisse; eum Sanctitate vitæ excelluisse, & in ejus doctrina tam egregia reperiri ad pietatem incentiva &c. Quæro inquam, an talis vir fidem non mereatur, quando dicit, dari unicum Deum, eum vero esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

Si

Si quis amore philosophiæ Platonicæ incensus, ex operibus hujus Philosophi plurima collegisset pulchra & rationi convenientia, incideret vero in ejusdem *Philebum* & *Timæum*, multaque hic offenderet, quæ propter obscuritatem intelligere non posset, num propterea ea dogmata, quæ perspicuis verbis in aliis *Platonis* scriptis designata reperit, rejicienda essent, vel asserendum, *Platonem* ineptum esse Philosophum? Profecto magis rationi convenienter ageret, si *Socratem* sequeretur, qui ubi legisset *Heracliti scripta*, & interrogatus, quid de eorum pretio sentiret, dixisse fertur; *quæ intelligo pulchra mihi videntur & egregia; unde colligo, cætera, quæ non satis intelligo, excellentia etiam futura* Applicatio facilis est: Nescio ego profecto, quid Deistæ sentiant de Christo Jesu, qui nonsolum vixit vitam pientissimam, miraculis fuit illustris, Dei potentia e mortuis in vitam fuit revocatus & cœlo receptus est, potentiamque suam singularem in homines exercuit: qui tamen idem si eos audias, pro articulo fundamentali doctrinæ suæ, sectatoribus suis crassissimam credendam proposuisset contradictionem.

Septimum: Sed dicent tamen Increduli, ex propositione obscura & non satis intellecta, nulla posse deduci ad ita vel aliter sentiendum & vivendum consectaria. Respondeo, verum hoc esse, si nulla plane detur fidei articuli, qui credendus injungitur, notitia; at ex minus nota & obscuriore ejus cognitione, quantum ad pie vivendum requiritur, non posse deduci consectaria, negamus; quod vel ex ipsis principiis Deistarum potest demonstrari. Asserunt illi Deum, Ens infinitum, æternum, a mundo adspectabili diversum plane existere; ubi ad ejus Essentiam perventum est, caligant oculi mentis, & nonnisi per analogiam quandam proprietatum spiritualium, quæ mentibus insunt, proprietatum divinarum umbratilem quandam sibi comparant notitiam; & tamen ex hac cognitione officia omnia theoretica & practica, quæ Theologia Naturalis & Jus Naturæ præscribunt, eliciunt. Similis ratio est doctrinæ nostræ de S. Sancta Trinitate. Fatemur dogma de Trinitate ipsa, & de personis divinis, valde obscurum esse, & persuasionem de veritate hujus dogmatis non tam accurata notitia naturæ hujus dogmatis, quam vero disertis scripturæ testimoniis niti. Interim iidem Scriptores Sacri, qui nobis hoc dogma credendum injungunt, talia de eo manifestant, quæ ad pietatis studium excitandum facere possunt. Ita in negotio salutis, Patri, Filio, & Spiritui Sancto adscribuntur operationes singulares plane, quæ homines attentos ad sectandas varii generis virtutes, mirum in modum excitare possunt; Quod nobis

 suffi-

sufficit: Profecto si nonnisi ex veritatibus mathematicam evidentiam æquantibus, incentiva ad pietatem peti possent, pessime cum genere humano actum esset. Omnes, qui creationem universi a Deo factam esse asserunt, possunt inde per non obscuram consequentiam colligere, nos mortales omnes a Deo dependere: vitam facultatesque omnes a Numinis hujus voluntate esse suspensas: teneri omnes ad leges tanti Numinis, quantum illæ cognosci possunt, voluntatem suam componere, & quæ alia sunt ejusdem indolis consectaria. At simul manifestum est, nonnisi a posteriore, uti in Scholis loqui solemus, nobis cognitam esse hanc omnium rerum creationem. Quando enim ad Naturam Entis intelligentis solam attendimus, concipere non possumus, quomodo ad solum nutum Ejus corpora pariter & Spiritus condita sint, & quis sit inter Spiritus perfectissimi licet, voluntatem, & inter tantæ molis existentiam & conservationem, nexus. Ipsi tamen Deistæ, qui Atheis annumerari nolunt, dogma de creatione rerum omnium a Deo tanquam certissimum admittunt & tuentur.

Licet vero doctrina de S. Trinitate ipsis pariter & nobis obscura valde videatur, non tamen propterea arma abjicere debent, id est religionem christianam pro falsa plane habere, sed dignam existimare in quam diligentius inquiratur. Norunt illi Patrum & nostra ætate, plura antea incognita, in disciplinis mathematicis, Astronomia, Physica, arte Medica, & in aliis in lucem fuisse protracta. Idem obtigit in sanctioribus disciplinis, præsertim in S. Litterarum Interpretatione: Ad hæc refero etiam quod multa inutilia, quæ passim in systematibus occurrebant, obscura, & scholastica a Viris cordatis sunt resecta, & ad majorem simplicitatem & usum redacta. Ipsis Deistis (fatemur enim) debemus, quod varii generis dubia a Viris doctissimis sint soluta; & eruditioni theologicæ in omnibus ejus partibus major lux accensa. Non igitur in hoc negotio est præcipitandum; dies diem docet; quod hodie ignoramus, sequenti ævo addiscimus. Sapientis, in primis cui otium abundat est, in vero inquirendo præcipuam partem ætatis suæ conterere. Interim semper memores esse debemus doctæ ignorantiæ, arctissimorumque limitum, quibus nostra cognitio de humanis pariter ac divinis rebus circumscripta est, ad quam rite cognoscendam non male facient Deistæ, si nobilissimi *Lokii* librum de *Intellectu humano* sollicite evolvant. Denique certum est, Deum quemlibet pro ingenii, quo instructus erat, capacitate & veri amore judicaturum: Et profecto non tam opus est ad Deo placendum prolixa

innu-

innumerorum religionis articulorum cognitione, quam vero scientia necessariorum, sinceritate vitæ, & officiorum nostrorum præstatione, ad quod obtinendum compendiosior, solida tamen & sufficiens religionis notitia postulatur.

Agitur de Ethica christiana eaque vindicatur contra Deistarum insultus.

X. Reliquum est, ut antequam dissertationibus nostris de causis Incredulitatis &c. finem imponamus, strictim quædam contra ea, quæ Ethicæ christianæ a Deistis objiciuntur, moneamus: strictim dico, cum quia a doctissimis Viris, qui argumentum de veritate religionis christianæ tractarunt, copiosissime hæc materia pertractata est; tum quia hîc duntaxat disquirimus, quænam potissimum observanda, quando Deista præcepta moralia Ethicæ christianæ impugnat.

Redigemus omnia ad certas quasdam regulas, quarum uberiorem demonstrationem Deistæ pariter & quotquot veri amantes sunt quærent penes eos, qui data opera Ethicæ christianæ præstantiam demonstrarunt.

Duplici autem argumentorum genere utuntur Deistæ, Theologiæ moralis præstantiam impugnaturi. *Prius* petitum est ab eo, quod ea præscribat leges nimis duras, præstitu impossibiles, quæque conatus hominis etiam virtutis studiosissimi, superent; quales sint de amandis inimicis; de perfectione ipsam perfectionem Dei æquante: de deserenda Patria, dulci natali Solo, Parentibus, uxore & dulcissimis amoris pignoribus; de illicita sui defensione: & quæ alia sunt, quæ ut prolixe hic recenseamus, opus non est: *Posterius* vero præsidium quærunt, in obscurioribus & mysticis quibusdam Christi & Apostolorum expressionibus, quæ vel nullum fundant, si Deistas audias, sensum, aut saltem ita sint comparatæ, ut ne millesimus quidem mortalium, etiamsi veri sit cupidissimus, intelligat, quid tandem tam abstrusæ phrases significent? Tales sunt illorum judicio, v. gr. de inhabitatione Sp. Sancti in vere piis; de participatione divinæ naturæ; de regeneratione; de eo quod christiani dicantur Sacerdotes & Reges; in Christo esse; cum eo sepulti: ut de multis aliis phrasibus in Epistolis potissimum Apostolorum occurrentibus nil dicamus.

Quod ad priorem partem objectionis spectat, monemus sequentia. 1) Ethica christiana nec nimis laxa esse debet, nec nimis stricta. Laxam vocamus quando talibus præceptis absolvitur, quæ ab homine etiam impotentissimo & nequissimo observari possunt, neque ad radices vitiorum penetrat. Notum quid de *Ethica Jesuitarum* Viri ex ipso etiam cœtu Romanensium sentiant. Nimis stricta est, quando talia

in ea postulantur, quæ a nemine etiam pientissimo, rectique amantissimo præstari unquam possunt; Peccant in hoc multi inter Protestantes Doctores publici, qui de Theologia practica agunt. Argumenta singula ita exaggerant, tamque duris sæpe amplificationibus utuntur, ut prudentiores facile advertant, tales Christianos in rerum natura extitisse nullos, neque in posterum etiam repertum iri unquam; hinc illi etiam, qui ad virtutis studium non tamen sine luctatione inclinant, auditis nimis rigidis rethoricationibus & præstitu plane impossibilibus præceptis, a vero rectoque pietatis christianæ studio retrahuntur. Ethica christiana philosophiæ moralis præcepta non tollit, sed supponit. Præstantia vero in eo consistit, quod uberiorem illis accendat lucem; quod argumenta suppeditet ex ipsa, ut ita dicam, medulla doctrinæ christianæ petita; quod majora, quam Ethica philosophica afferat & subministret ad pie vivendum incitamenta, & quod denique ad officia præstanda majora promittat auxilia: Hæc officia Ethicæ christianæ simplici stylo sunt proponenda & ita commendanda, quantum ea in hominem virtutis studiosum cadere possunt. Non desinit enim Christianus homo esse: qui secus agunt, idem faciunt, ac ille, qui argumentis multis ad volandum aliquem inducere vellet, licet non minus ipse, quam cæteri homines probe sciret, hac facultate nos instructos non esse. (*) II. Con-

(*) Agnovit hunc errorem quorundam Doctorum Vir *Reverendus & Doctissimus J. F. Jacobi, In den Betrachtungen über die weisen Absichten Gottes bey den Dingen, die wir in der menschlichen Gesellschaft und der Offenbarung antreffen.* Tom III. utilissimi libri pag. 199. & seq. ita de hoc argumento disserit. *Diejenige Tugend,* (sagt er) *welche die Fabel von den Bienen beschreibet, ist nicht diejenige, welche Christus und seine erste Bothen gelehret, sonder diejenige, welche einige Morgenländische Weisen, ingleichen die Stoiker und Cyniker denen Menschen aufgebürdet, von welchen sie hernach viele Christen angenommen haben. Denn wie man die Glaubenslehren bald durch die Lehrsäze eines Plato, bald durch die Weisheit eines Aristoteles verderbet hat; so ist die sehr weise und angenehme Sittenlehre Jesu Christi mit den unerträglichen und unmöglichen Gesezen obbenamter Secten beschweret worden. Obige Secten verwarfen die sinnlichen Ergözungen und bey nahe alle Pflege des Leibes. Sie marterten denselben vielmehr auf manchertey Art, und suchten eine solche Unempfindlichkeit in ihre Seele zu bringen, welche theils ohnmöglich, theils sehr schädlich ist, und die Menschen zu verdrüßlichen und unnüzen Saurtöpfen macht. Die Lehre Christi aber ist dieser unmenschlichen Sittenlehre ganz entgegen. Der Herr selber folterte seine Jünger nicht mit vielen Fasten. Er ließ sie mit zu Gaste gehen, und essen und trinken was da ware. Und Paulus erinnert mehr als einmahl, daß auch der Leib seine Wartung und Pflegung haben müsse Er warnet, daß sich Ehegatten durch eine gezwungene Enthaltung nicht sollten in Versuchung sezen. Er legt dergleichen den Leib casteienden Übungen wenig Nuzen bey. Es ist derowegen die Sittenlehr Christi von der Sittenlehre verschiedener Christen sehr unterschieden. Ich bemerke hiebey, wie es die zu machen pflegen, welche erst angefangen, wieder die wahre Religion und Gottesfurcht eine Feindschaft zu fassen. Sie nehmen*

selbi-

II. Concedimus Deistis, præcepta moralia ad legem naturæ esse exigenda, nihilque admittendum, quod iis sit plane contrarium; cum enim hæ leges Deum Auctorem habeant, atque semper obligent, fieri non potest, ut præcepta moralia Ethicæ christianæ his contrarientur. Tantum abest, ut de legum illarum naturalium præstantia nos Christiani abjecte sentiamus, ut potius optaremus, eas populo christiano de rostris frequenter commendari; videmus enim eheu! eas cottidie pedibus conculcari & negligi; efficiendum igitur primo est Doctoribus publicis, ut homines ea officia præstanda inculcent, sine quibus humana Societas, cultusque rationalis Numinis stare non potest, antequam ad interiora & difficiliora Ethicæ christianæ præcepta custodienda, eos invitent.

III. Verbis presse non est semper inhærendum, neque omnes phrases, quæ hic illic in N. Testamento occurrunt, ad vivum sunt resecandæ. Ita quando dicitur, nos oportere esse perfectos, sicut Pater, qui in cœlis, perfectus est, nemo non intelligit, vocem *perfectus* non posse ita urgeri, ut ea significet æqualitatem omnimodam, quia hæc præstari ab hominibus etiam pientissimis non possunt. J. *Clericus in additamentis ad Hammondum ad verba illa* τελειος, ita commentatur. *Lucas habet cap. VI. v. 36.* οικτιρμονες *misericordes, quod conjungendum cum* τελειος, *ita ut velit Christus consummatam esse oportere nostram mansuetudinem, bonitatem, beneficentiam & misericordiam; quod futurum esset, si ne inimicis quidem nostris clausæ essent: Quemadmodum Deus non bonis tantum sed & malis benefacit. Contra Judæi, qui sui officii non esse putabant, benignitatem, nisi in solos Judæos exercere, multum aberant a consummata illa virtute, nec similes erant ei, quem Patrem suum vocabant, hoc est Deo. Vide v. 45.* Similia dicenda quæ eodem capite quin-

selbige so, wie sie von einigen Dieneren, welche nicht die gröste Einsicht haben, vorgetragen wird. Sie nemmen die unvorsichtigen Ausdrücke derselben, und die selbs gemachte Geseze einiger Christen und bestreiten selbige, und meinen, daß sie damit die Religion besiegt haben: Wäre es nicht weiser, daß man selbst die Offenbarung vor sich nähme, nach dem wahren Sinn derselben forschte und sie nach ihrem ganzen Zusammenhang untersuchte? Indem man aber die Bibel liegen lasset, und sich an die unrichtigen Vorstellungen gewisser Lehrer macht, so findet man Gelegenheit einen gewissen andern Kunstgriff anzubringen, der ganz besonders geschickt ist, unverständige zu verwirren. Er bestehet darinne: Man nimt einige Dinge, welche kein Laster, sonder unschuldige, nohtwendige, und nüzliche Sachen in der Welt sind, aber von einigen, zwar ehrlichen aber schwachen Christen zu den Lastern gezählet werden, und weiset ihre Unschuld, Nohtwendigkeit und Nuzen, und schliesset daher, daß alles was das Christenthum für Laster erkläre, von eben der Art sey. Dieser Kunstgriff ist durch das ganze Werk, so man unter dem Tittel der Fabel von den Bienen hat, durchgeführet.

to v. 39. & seqq. de non sumenda ultione, de amandis hostibus, &c. dicuntur. Vide ejusdem *Clerici* ad hæc loca commentarium. Erudite hunc v. 39. cap. V. explicavit, & quam sit rationi conformis ostendit, laudatus *Doctissimus J. F. Jacobi* in tertia parte libelli ultissimi : *vide Præfationem tertiæ* huic parti præmissam. Et profecto illis temporibus quammaxime necesse erat, ut his virtutibus eniterent Christiani, quia recte vivendi præcepta inter Judæos valde erant corrupta. Monstrare debebant Christiani quam sit doctrina Soteris nostri nonsolum pura, sed & ad pacis, amoris, & beneficentiæ studium tota composita, ab omni rancore, invidia, vindictæque cupiditate aliena prorsus : aliter sentire profecto debuit christianus, quam *Cicero*, qui *Epist. ad Atticum Libro IX.* ita loquitur : *Odi hominem & odero, utinam ulcisci possem.* Quæ omnia Viri docti, qui data opera Ethicæ christianæ præstantiam demonstrarunt, eamque contra Deistarum objectiones vindicarunt, fuse ostenderunt.

IV. Quemadmodum omnes Interpretes cuicunque Sectæ addicti, ubi Deo imperfectiones, v. gr. oculi, manus &c. attribui videntur, aut ubi is mala moralia vel jussisse, vel effecisse, si ad litteram respicias, existimatur, ad genuinas notiones de Numine & ad ejus perfectiones dicta singula revocant ; ita idem in hoc negotio præstandum est. Lex naturalis, ubi de officiis hominis christiani agitur, tanquam prima norma consideranda est: ad ea certe, quæ moraliter impossibilia sunt, nulla datur obligatio. Videndum ergo semper, utrum verba ipsa in sacro codice extantia, per rectæ interpretationis regulas non eum ferre possint sensum, qui cum decretis rationis & generalibus Juris Naturæ præceptis conveniat. Non uno specimine hoc ostenderunt Viri docti, qui Philologiæ sacræ præcepta data opera explicarunt, ut de eruditis interpretibus, qui grammaticæ & criticæ artis peritia, arte insuper cogitandi instructi erant, nihil dicam. Hoc profecto in casu aliquid tentandum est, quandoquidem agitur de primis religionis naturalis fundamentis, quæ sarta semper & tecta servanda sunt, nisi velimus victas dare hostibus religionis christianæ manus.

V. Qui novum Testamentum ἀθεῳ παθων legunt, inprimis autem divinam illam orationem Soteris nostri in monte habitam, quæ apud *Mattheum cap. V. VI.* & *VII.* occurrit, probe observare debent, quædam esse dicta & injuncta, quæ nonnisi primis illis religionis christianæ Propagatoribus, id est Apostolis, κατ' ἐξοχην attemperari debent; alia vero esse, quæ promiscue omnibus, qui disciplinæ christianæ alumni

esse

esse debent, applicari debent. Profecto ad hæc attendisse quammaxime interest. Est quidem divina oratio ita habita & scripta, ut aliquando dubium sit, utrum præcepta ibi data ad omnes christianæ disciplinæ sectatores pertineant, an vero singillatim referenda sint ad Apostolos. Vide quæ passim Viri docti, ut de Interpretibus nil dicam monuerunt, v. gr. *Saurinus* observat: in V. & N. Testamentum, Tom. IX. *Bibliotheque germanique*, Tom. XXVI. pag. 146. *Bibliotheque Britannique* Tom. XXIV. ut de aliis nihil dicam.

VI. Quemadmodum singularia quædam officia Apostolis defuncturis officiis publicorum Legatorum Christi inculcata sunt, quæ ad omnes promiscue Christianos non pertinent; ita pariter observandum est, quibus *temporibus* officia quædam gnaviter fuerint injungenda. Ita sanctissimus noster Soter dixerat, eos, qui se pro genuinis doctrinæ suæ sectatoribus venditent, paratos esse debere singulis momentis, ad deserendam patriam, uxores, & adversa quæque sustinenda, quæ nomine crucis veniunt. Hæc sine dubio non sunt ita intelligenda, ac si omnibus temporibus & locis ita hæc sint sustinenda, ut sine perpessione horum malorum nemo possit esse veri nominis Christianus: sed hæc pro circumstantiis illius temporis, quo hæc dicebantur, sunt interpretanda. Nemo verus tum temporis Christi assecla esse potuit, nisi is, qui ad duriora illa præcepta sancte custodienda paratus esset. Simul enim ac quis religioni christianæ nomen dabat, exosus plane erat suis, & præsentissimam mortem singulas in horas exspectare debuit. Eidem fato obnoxii erant primi post Christi excessum veritatis confessores, quod ex historia ecclesiastica abunde constat. Hodienum idem contingit illis ex Gentilibus, qui relicto paganismo in castra Christianorum transeunt. Vide Virorum præstantissimorum relationes de propagatione religionis christianæ inter *Malabaros*, ubi frequentissima offendes hujus rei exempla: At Christiani tempore pacis & quietis, hæc mala perferre non debent. Interim & ipsis nihil debet esse magis acceptum, quam pietatis & religionis studium constantiaque in persecutionibus summa, ita ut ingruente persecutione, ob religionem parati esse debeant quælibet potius ferendi, quam vero ob quietem, superstitiosas Deoque inimicas opiniones & graves errores admittendi.

VII. Denique, si Deista perpensis omnibus, quæ Viri docti ad tuendam Ethicam christianam in medium attulerunt, nondum sibi satisfactum esse putet, æquitati tamen locum concedere debet, neque pravorum affectuum causa, præcepta moralia prouti ipsi gratum & acceptum

tum est, interpretari: nam ita nonsolum Ethicæ christianæ, sed & juris Naturæ vis & obligatio subverteretur. In nostra profecto potestate situm non est, obligationem legum moralium ad nutum nostrum fingere velle. Si id, quod durum ipsis videtur & extraordinarium tollatur, manebunt tamen officia erga Deum, proximum & nosmetipsos præstanda, quæ a juris Naturalis doctoribus explanantur, firma.

Restat tandem, ut ad secundam denique objectionis Deistarum perveniamus partem, de qua, (quia in dissertatione de *Fanaticismo Protestantium cœtibus objecto* plura diximus) breviter hic differendum esse putamus. Conqueruntur nimirum Deistæ, de obscurioribus quibusdam & mysticis expressionibus, quæ partim in ipsis sermonibus sacris Soteris nostri, multo magis vero in epistolis Apostolorum occurrant, cum tamen sua opinione præcepta moralia, quæ ad omnes, qui religioni christianæ nomen dant, plana, facilia captu, & omnium ingeniis attemperata esse deberent. Ad hanc objectionem solvendam sequentia monenda esse putamus. Et I) quidem haud diffitemur objectionem hanc specie non plane carere: ursit eam jam suo tempore *Celsus apud Origenem Lib. VI. Sect. V. Versionis Moshemianæ pag. 655.* Ipsi doctissimi inter Christianos S. Scripturæ Interpretes hærent aliquando, quando in verum sensum verborum obscuriorum inquirunt; cavendum autem ab una parte ne vis significationis metaphoricæ & obscurioris, quam verba ipsa præ se ferunt, ultra modum minuatur; ab altera parte non ita urgenda oratio, ut sensus aliquis vel plane inintelligibilis, vel enthusiasticus, aut ad impossibile obligans, inde enascatur. In excessu enim & in defectu peccari, experientia constat.

II. Eum in finem est opera danda iis, qui Revelationem, novum præcipue Testamentum legunt, ut primo dogmatum præcipuorum, quæ in eo continentur, accuratam habeant notitiam: sine ea enim vix sanum ferre poterunt judicium de præceptis moralibus ex ipsa disciplina & dogmatibus religionis christianæ depromptis: quo magis vero ea intelligunt, eo clariores videbuntur phrases, quibus utuntur Scriptores sacri. Si quis *Platonis*, vel *Platonicorum*, *Stoicorum*, aliorumque Philosophorum decreta rite intelligit, clavem habet ad obscuriora quædam dicta metaphoricis verbis expressa, intelligenda. Pauci præterea scriptores sunt, qui de dogmatibus quibusdam agunt & officiis moralibus, in quibus nulla plane verborum occurrat obscuritas.

III) Æquissimum est, ut secundum naturam horum dogmatum, consectaria omnia explicentur, sive plano stylo sive metaphorico exarata,

rata. Philosophi veteres omnes turgida sæpe oratione utuntur, ubi placita sua vel aliis insinuare, vel miram efficaciam doctrinæ suæ explicare volunt. Ipsi Doctores christiani, qui veram indolem, naturamque Ethicæ christianæ tradere in animos inducunt, sæpe tam obscure & perplexe loquuntur, ut vulgus vim verborum non intelligat, doctiores vero nonnisi adhibita acri meditatione sensum sub verbis latentem eruere possint. Magis vero in recentioribus scriptoribus hic error taxandus, quam vero in primis auctoribus, qui religionis christianæ dogmata & præcepta tradiderunt. Hi enim de stylo non adeo erant solliciti, neque ad singula verba definiunda acriter intenti: Illi vero videri volunt esse Interpretes Apostolorum, & acu tetigisse verum verborum, sub involucris quibusdam latentium, sensum; & tamen efficiunt non semel, ut tenebras offundant majores verbis ab ipsis Apostolis usurpatis. Evenit hoc inprimis illis scriptoribus, qui nescio quam raræ pietatis famam adfectant, & destituti artis logicæ peritia, ingeniique cultura, sapere tamen præ cæteris in rebus divinis, & ad praxin christianam plurimum facientibus, sibi videntur. Horum profecto hominum scripta plus nocent, quam prosunt, quia nonsolum Homines ad incredulitatem inclinantes, sed & cordati Viri non possunt non offendi.

IV. Si versiones non sufficiant, ad phrases hinc illinc occurrentes intelligendas, (quanquam putemus, ea, quæ ad pietatis studium pertinent, sufficienter esse, & perspicue satis tradita) confugiendum est ad eos, qui data opera stylum N. Testamenti explanarunt, obscuriores phrases explicarunt, & verbis planis declararunt. Quemadmodum enim græci & Romani Scriptores suis idiotismis gaudent, v. gr. aliud sermonis genus est *Ciceronis*, aliud *Taciti*, ita notum est stylum N. Testamenti Hebraismis scatere. Quod si igitur Deista tanta ardet cupiditate genuinum sensum phrasium obscuriorum cognoscendi, necesse est, ut partim dogmatum religionis christianæ accuratam habeat notitiam, partim ut stylum Scriptorum sacrorum sibi reddat familiarem: hoc si faciat, pleræque illæ obscuritates evanescent.

V. Sæpe Scriptores sacri, Apostoli præsertim, iis utuntur phrasibus, quæ sensu quodam spirituali nituntur, & quas is demum accuratius intelligit qui simili animi adfectione est animatus. Ita si quando Apostolus Paulus ait: *Ego crucifixus sum cum Christo, vivo vero &c.* Is melius intelligit hæc verba, qui amoris Jesu Christi salutares effectus in se deprehendit, quam is, qui cortici duntaxat verborum adhæret, & nullos unquam christianæ pietatis motus in se deprehendit; quan-

quam simul non negamus, potuisse Paulo hac in parte aliquid singulare contigisse, quod de omnibus piis, quoad sensum internæ experientiæ dici non potest. Interim cum gaudium illud singulare, quod insitum erat Pauli animo, rationibus, sine dubio certissimis nixum fuerit, planis etiam verbis exprimi poterit: aliud enim est sensatio, aliud solida persuasio mentis, de possessione certorum donorum, cum gaudio conjuncta.

VI. Deistæ hoc in casu debent sequi regulam, quam omnes interpretes probant, nimirum obscuriores phrases ex clarioribus esse interpretandas. Ita si quis *Platonis* vel *Stoicorum* scripta legit, facile sibi summam generalium sententiarum, quas hi homines tradebant comparare poterit: ubi vero hæret in loco aliquo obscuriore, aut missus faciendus est tantisper ille locus, aut si lucem aliquam accendere vult illi, convenienter id faciendum est præceptis claris, quæ alibi hinc inde in horum Philosophorum scriptis reperiuntur. Idem in interpretatione N. Testamenti præstandum est. Sunt plurima officia erga Deum, proximum & nosmet ipsos observanda, quæ planissimis verbis exposita sunt, adeo ut longa, prolixaque interpretatione opus non sit.

VII. Si quis officia, quæ religio christiana præscribit, præstare serio in animum induxit, licet omnia vel non intelligat, vel ad statum suum adaptare non valeat, nihilominus Deo placere potest: sunt hinc inde loca, quæ etiam doctis negotia facessunt; hoc tamen non impedit, quo minus in cæteris omnia, quæ sunt necessario præstanda, intelligat: Idem fit in aliis disciplinis, facile capiuntur v. gr. generalia præcepta Juris Naturæ & Medicinæ: at ubi ad applicationem deventum est, hærent sæpe optimi. Deus ad sinceritatem potissimum cordis respicit. Hæc ubi adest, præcipuum etiam hominis christiani requisitum præsto est. Miserrimi essent plebeji homines, & ἀπαίδευτοι, si propterea, quod multa obscuriora loca N. Testamenti non intelligerent, spe consequendæ salutis exciderent. Cum infiniti sint gradus, ut cognitionis rerum divinarum, sic etiam præstationis officiorum, quæ religio præscribit; Deus quemlibet judicabit juxta æquitatem & circumstantias, in quibus positus erat, atque adeo etiam ad voluntatem hominis, præcepta illa vel præstandi vel non præstandi attendet. Præclare huc facit locus Petri *Matyris in Commentario suo ad* 1. *Epist. ad Corinthios cap. X. v.* 11. verba ita sonant: *Miserum est, cum habeamus tot clara & aperta in S. Litteris, de fide, spe, charitate, & cæterarum virtutum officiis, in quibus nihil est obscurum; quod ea prorsus neglecta relinquamus: &*

tan-

tanta superstitione, quæ incerta sunt, & minus ad salutem faciant, velle persequi. Hoc Diabolus curat, ut in quæstionibus infinitis ac inutilibus vehementer laboretur: abjectis, quæ necessaria sunt, ut serventur.

VII. Denique cavendum est Deistæ, ne in interpretatione S. Litterarum affectus potius suos, quam genuinas Interpretationis regulas sequatur. Pessimi & hic sunt illi consultores. Non quæritur hic, quam jucundus vel affectibus gratus, & acceptus sit ille sensus, quem quærimus, sed quam verus sit. *Nulli* (inquit ὁ Μακαριτης *Celeb. Werenfelsius in Dissertat. de scopo Interpretis*) *in hanc partem gravius peccant, & a vero scopo Interpretis periculosius aberrant, quàm qui in divino libro, in quo omnia tendunt ad sanctificationem hominis, quærunt prætextum impœnitentiæ, extenuationem vitiorum, quibus dediti sunt, & obfirmationem animi, in carnali, in qua sepulti jacent, securitate. Hi sunt illi, de quibus merito Petrus ait, eos torquere scripturas ad suam propriam perniciem. Tales fuerunt olim, qui abusi doctrina Pauli de justificatione hominis per fidem, bonorum operum omneque Sanctitatis studium velut supervacaneum neglexerunt; qui quidem Jacobum eo adduxisse videntur, ut Evangelicam doctrinam proponendam censeret verbis, Paulo in speciem contrariis. Tales fuerunt tot omnium seculorum Libertini & Antinomi, cum theoretici, tum practici, qui doctrinam de gratia per Christum allata, legeque Mosis abolita, ita interpretati sunt, ac si Christus per Evangelium effrenatam licentiam introduxisset.* Hactenus *Celebris* ille *Theologus*. Quod si Deista, monitis illis, quæ de doctrina christiana, ejusque præceptis dedimus, vacivas aures præbiturus est, nulli dubitamus, quin religioni christianæ nomen sit daturus, aut saltem eam dignam judicaturus, in quam instituto ulteriore examine diligentius inquirat. Atque sic meditationibus nostris de causis Incredulitatis imponimus finem, atque ex animo vovemus, ut tenuis hic labor aliquid conferat, ad vitium illud Incredulitatis, si non tollendum, (quod in tanta ingeniorum diversitate, & humani generis corruptione, sperari non potest) sed saltem ad illud reprimendum, & imminuendum.

APPENDIX
Quarundam Thesium Theologicarum.

I. Qui unum vel alterum argumentum aut testimonium ad gravem veritatem afferre solitum, infirmum esse adserit, veritatem ipsam negare censendus non est. Ita *Calvinus* unum vel alterum Testimo-

nium ad probandam S. Trinitatem ex V. Testamento petitum non satis solidum esse existimavit, ridicule propterea tanquam Judaismo favens reprehensus fuit.

II. Sententia celeb. *Lokii* de articulis fundamentalibus lata, vero quammaxime est consentanea, neque Socinianis favet.

III. Plus lucis ad intelligendum Novum Testamentum attulerunt Incomparabiles Viri *Erasmus* & *Grotius*, quam Patres plerique antiquæ Ecclesiæ.

IV. Veritati Religionis Christianæ nil detrahunt variantes Lectiones N. Testamenti, neque Pseudepigrapha statim post excessum Apostolorum magno numero hinc inde sparsa.

V. Neminem Jus habere in conscientiam hominum, veritas est æque demonstrabilis, ac ulla quæ a Theologis probari solet.

VI. Argumenta infirma ad probandam existentiam Dei vel veritatem Religionis christianæ è Systematibus Theologicis sunt eliminanda, quia plus detrimenti quam emolumenti afferre solent.

VII. In solo λυτρω Soteris nostri, unicam & certissimam salutis nostræ spem & causam repositam esse, ex Novi Testamenti locis clarissimis satis manifestum est.

VIII. Cum innumeræ lites & controversiæ minutæ, quæ in Ecclesia Christiana agitantur, plurimum conferant ad vitium Incredulitatis augendum, cordatis Theologis incumbit, ut nonnisi gravissimos & pietati nocivos errores sibi refutandos sumant.

IX. In solo Gymnasio & Ecclesia Tigurina tempore Emendationis Sacrorum plures erant Viri docti ad S. Litteras rite explicandas idonei, quam in universa, qua patet, Italia. Et profecto Viri sapientissimi licet in cæteris, & latini sermonis callentissimi, *Sadoletus*, *Bembus*, *Contarenus*, *Polus*, ad hoc argumentum quod spectat, infantes erant, collati cum *Zwinglio*, *Bullingero*, *Bibliandro*, *Pellicano*, *Leone Juda*, *Ceporino*, *Collino* aliisque. Ad hoc probandum opus duntaxat est, ut edita & inedita magnorum horum virorum ingenii monumenta inspiciantur.

X. Qui Evangelistarum & Apostolorum Scripta, secundum Philosophorum leges analyticas explicant, tenebras potius affundunt S. Litteris quam lucem.

MEDI-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836842-p0563-1

IMMERMANNI,

GYMNASIO TIGURINO
ESSORIS,

OC. SCIENT. SODALIS

SCULA

TORICI ET PHILOSOPHICI
UMENTI.

PRIORIS

ARS I.



GURI,

ESSNERIANIS.

MDCCLI.

Farbkarte #13
B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Inches Centimetres
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-836842-p0565-3